This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

3297
143 Y-King

יהוה

Y-KING

ANTIQUISSIMUS SINARUM LIBER QUEM
EX LATINA INTERPRETATIONE

P. REGIS

ALIORUMQUE EX SOC. JESU P. P.

EDIDIT

JULIUS MOHL.

VOL. I.

CUM QUATUOR TABULIS.

1834.

STUTTGARTIAE et TUBINGAE.

SUMPTIBUS J. G. COTTAE.

PATRI SUO OPTIMO

BENJAMIN FERDINAND DE MOHL

DICAT, DEDICAT OPUS

EDITOR.

PRAEFATIO.

Inter omnes constat librorum Sinicorum, quos classicos vocant, primum et antiquissimum esse Y-king, qui non minus per ingentem, qua apud Sinas fruitur, auctoritatem, quam per obscuritatis famam apud omnes innotuit. Fohi, secundum Sinarum opinionem, trigesimo ante Christum seculo symbola invenit, quibus doctrinam de rerum natura et origine graphice delinearet. Omnia enim ex duorum principiorum, activi et inertis, affectione mutua nasci tradidit, principiumque activum per lineam integram, iners per lineam interruptam designavit, et res quae ex eorum conflictu ortae sint varia duorum symbolorum compositione expressit. Ita 64 figuras, unamquamque ex sex lineis, tum integris, tum interruptis composuit. Ipsius interpretatio periit, sed symbola ad posteros transmissa rursus atque rursus novarum doctrinarum fundamentum fuerunt; sic ad principis Ouen-ouang tempus pervenere,

qui (duodecimo ante Christum seculo) res imperii restauraturus novam symbolis doctrinam adjecit, cuique brevem adscribens sententiam, quibus nova de moribus et reipublicae administratione praecepta indicarentur.

Post ipsum filius Tcheou-kong patris opus completurus cuique sententiae sex novas addidit, quibus singulas cujusque symboli lineas interpretatus est, physica ac metaphysica moralibus et politicis admiscens. Post sexcentos exinde annos hunc librum Confucius, res Sinicas in antiquum statum revocaturus, denuo suscepit, commentariis et appendice instruxit, in quibus sensum symbolorum Fohi ac sententiarum Quen-ouang et Tcheou-kong explicaret, et primum locum inter sex libros, quibus imperii doctrinam contineri voluit, ipsi attribuit. Ab eo tempore ad hunc usque diem summae Sinis reverentiae fuit, et quaecunque nova apud ipsos orta est schola, novae libri Y-king interpretationi doctrinam suam superstruere studuit. Sic metaphysica ac physica, morum doctrina et astrologia, rei publicae administrandae regula et rerum privatarum divinationes aeque ex Fohi symbolis derivantur. Nec apud Sinas tantum libri fama et reverentia stetit;

inter eos etiam, quos misit ecclesia Romana legatos, ut Sinas ad fidem Christianam converterent, multi mox eadem qua Sinae imbuti libri Y-king veneratione, in eo mysteria doctrinae Christianae reperiri sibi persuaserunt, et huic fundamento religionem Sinis tradendam imponere conati sunt. Ita in Europam libri nomen transiit, et multa multi de eo scripsêrunt, plerique, ut de ignota re, hallucinantes.

Pauccissima enim libri fragmenta edita; unum scilicet per P. Couplet, in praefatione Confucii Sinarum philosophi (Parisiis 1687. fol.), quod tabulam symbolorum et specimen explicationis sententiae decimae quintae exhibet; alterum per celeberrimum Deguignes qui appendici libri Chouking adjecit specimen commentarii in Y-king, a P. Visdelou scriptum. Extabat tamen ante hos centum annos, Parisiis libri integri interpretatio, cum commentariis amplissimis, qua nonnulli usi sunt, ut inprimis doctissimus Freret, sed nunquam publici juris facta fuerat.

Tripartitum est opus continens prima parte libri Y-king et ceterorum librorum quos King Sinae vocant, historiam et criticem; parte secunda interpretationem sententiarum Ouen-ouang et

Tcheou-kong et commentarios in quibus Confucii, Tching-tse, Tchou-tse aliorumque apud Sinas illustrissimorum annotationes suis admiscuit P. Regis; parte tertia interpretationem librorum quos Hi-tse (i. e. appendicis) nomine Sinae libro Y-king adjicere solent. Trium patrum Gallicorum ex societate Jesu, Pekini degentium, opera scriptum esse opus apparet ex praefatione, nempe Josephi de Maillac, Petri du Tartre et Joannis Baptistae Regis; sed maximam et longe optimam libri partem, patri Regis esse tribuendam, ex omni opere et epistolis quibusdam quas ipse ad celeb. Freret misit, manifestum est.

Prima pars ante annum 1708, quo ab imperatore in Tartariam missus est Regis ad delineandas imperii Sinici tabulas geographicas, scripta esse videtur [1]; secunda pars absoluta est anno 1722, mensis Julii die 27; tertia denique Romam missa anno 1723 mensis octobris die 25. Quae ex viri eruditi paucissima supersunt, invenies in unum collecta ab. ill. Abel Remusat; (Biographie universelle, art. Regis); sed anno 1736

1) Scribit enim a. 1727. ad cel. Freret: „la copie chinoise de mon Y-kim, dont je vous ai envoyé ce que j'en avais sur les King est de plus de vingt ans.“

ipsum adhuc vixisse Pekini ex epistola ad cel. Freret missa apparet, quae cum ipsius judicium de opere suo enunciet, et ultimum sit viri vestigium, integra ad calcem hujusce praefationis adjicietur. Opus composuit chronologicum, quod nunquam Europam pervenisse crediderim [1]), de imperii Sinici descriptione, optime meruit, ut apud Duhalde discimus, sed praestantissimum eruditionis suae, sagacitatis et laboris improbi monumentum hic liber Y-king mihi videtur.

Tribus usus sum codicibus manuscriptis, quorum primus est is, de quo loquitur Regis in epistola quam ad finem praefationis invenies. Manu sinica scriptus est, ab ipso auctore, anno 1736, correctus, et 120 foliis absolvit primam operis partem. Fuit olim cl. Freret, postea bibliothecae ministerii rerum navalium, nunc aedium astronomicarum Parisiensium.

n. 2. Secundus est bibliothecae regiae Parisiensis, integrum continens librum, transcriptus est Parisiis anno 1745, et anno 1754 cum altero quodam manuscripto collatus. Scribae in prima parte usi sunt manuscripto n. 1. de quo modo lo-

1) Id. ib. „Je n'ai jamais fait copier mon ouvrage chronologique; il n'a été fini qu'après le tremblement're, qui dissipa nos copistes."

cutus sum; in partibus secunda et tertia libro manuscripto, qui tum fuit cel. Freret; in margine autem varias alterius cujusdam lectiones adjecerunt. Ubi nunc hi duo codices lateant, nescio. Liber est duabus manibus accurate scriptus, et lectu facilis.

n. 3. Tertius codex ms. tertiam solum libri partem continet, eamque male et minime accurate transcriptam ex cod. n. 2. Est bibliothecae aedium astronomicarum.

Horum librorum usum mihi praebuit ill. Abel-Remusat, ea qua est benevolentia et liberalitate, et publicas hic ipsi gratias agere mihi liceat. Ipse primum consilii de edendo libro auctor, et per omne opus si quae difficultates mihi occurrerunt ipsius auxilium et eruditio Sinica, qua hoc tempore omnibus praestat, mihi nunquam defuerunt.

Opus integrum typis exprimendum curavi notasque paucissimas et brevissimas adjeci. Nomina Sinica secundum Gallorum morem scripsi cum auctor Lusitanorum et Gallorum morem permiscue adhibuerit, quod Sinicae linguae ignaris magnae difficultati fuisset; si quae tamen dubia mihi fuerunt, nihil mutandum putavi.

Parisiis, mense Oct. 1829.

Julius Mohl.

Epistola P. Regis adde cel. Freret Pekini 6. Oct. anno 1736 scripta.

Monsieur! J'ai été très sensible à l'honneur de votre lettre écrite de Paris 12. Oct. 1735 et reçue ici à la fin de Septembre. La brièveté du tems jusqu'au départ de nos lettres pour Canton ne m'aurait pas permis de répondre à vos bontés, si je n'avais retrouvé dans mes papiers une copie de la dissertation que vous demandez sur l'histoire des King chinois écrite d'une main chinoise. Je viens d'en finir la correction, et je me hâte de vous l'envoyer, quoique peu propre; persuadé qu'il vous sera plus agréable de la recevoir telle qu'elle est, que de vous la faire attendre encore un an. Je ne sçai si elle répondra à votre attente, écrite en latin, non d'un stile à plaire, mais propre à instruire. On n'a pu se passer de diverses citations d'autheurs qui interrompent sa narration, mais qui au fond servent de preuves. J'aurais été plus court, soit dans cet écrit, soit dans tout le commentaire sur l'Y-king, si je n'avais pas voulu réfuter tacitement ceux dont vous parlez, qui trouvoient dans les cinq King et surtout dans l'Y-king, les mystères de notre sainte religion, et semblables choses, qui ne pour-

raient venir que des anciens patriarches éclairés specialement d'en haut. En peu de mots je réponds partout à leurs objections, et à leurs pretendues démonstrations tirées de l'analyse de quelques caractères chinois, de certains éloges outrés, de deux ou trois passages de l'Y-king pris dans un sens tout contraire aux interprètes Chinois et à la suite du texte. Car pour dire la verité, les paradoxes qu'ils ont avancé, ne meritent une longue réfutation; je dis paradoxes, parcequ'il est nouveau en Chine et toujours étrange d'y entendre dire, que les trois premières familles roïales ne sont pas réelles, et que ce ne sont que des figures du Messie peint sous le nom v. g. de Ven-vang, et de Vou-vang; que le Tien-sse n'est pas dans les Kings l'empereur, mais le fils de Dieu; et consequemment le royaume dont on y parle, n'est pas le Tchong-koue, la Chine, consequemment encore le Chou-king décrit par avance la conduite du Messie; le Chi-king par ses odes en chante les louanges; le Li-ki en prescrit les rites; ces propositions, Monsieur, ne sont pas moins risibles en Chine, qu'en Europe celles du P. H. dont on parle dans les nouveaux mémoires de Trevoux.

Comme la dissertation que je vous envoie est à la suite de l'introduction à l'Y-king, et fait la première partie de mon commentaire, il se peut faire que certaines choses ne vous paraissent pas assez développées, mais je crois que votre sagacité naturelle qui paraît dans votre savante dissertation y suppléera. Pour ce qui regarde le Chou-king, vous ne pouvez nulle part mieux en apprendre le sens, que dans la traduction qu'en a fait le père de Mailla dans son histoire de Chine. Il y a même plus d'agrément à les y lire que dans le livre Chinois, où les ordres, les loix, les harangues des anciens Empereurs et ministres ne sont ramassés que suivant le tems, parceque ces discours sont mis dans la bouche de ces princes à mesure qu'ils paraissent sur la scène, ou prêts à combattre, ou déjà victorieux. Le Tchun-tsieou écrit à la manière de nos fastes fait nécessairement partie de l'histoire depuis Ping-vang, treizième empereur de la troisième famille Tcheou, à 242 ans; ainsi on aura dans l'ouvrage du père de Mailla le Chou-king et le Tchun-tsieou clairement expliqués. J'en ai été le reviseur, ainsi je peux en parler avec connaissance de cause; j'ajouterai encore en faveur

de savans tels que vous, qu'outre le nombre de révolutions, tantôt subites, tantôt ménagés par de longues intrigues, on y trouve des morceaux considérables des histoires des royaumes voisins, et surtout de différentes nations tartares, avec lesquelles la Chine a presque toujours eu la guerre; ce qui, joint à ce que vos doctes confrères ont tiré des écrits arabes et autres sur la Tartarie peut peut-être fournir une histoire bien plus sûre et plus complette que celle que nous avons reçue cette année de Canton, où elle étoit envoiée l'année passée. Je finis ici cette longue lettre, par vous assurer que je suis votre très humble etc.

PROSPECTUS OPERIS.

Inter authenticos veterum Sinarum libros is qui ab illis nominatur Y-king, a mutationibus, imprimis esse obscurus et difficilis vulgo censetur, quae tamen litteraturae Sinicae pars ne intacta videretur a nostris, quibus (absit verbo invidia) erudita Europa fere debet quidquid habet de hujus gentis historia, geographia, astronomia, philosophia, eloquentia, et praeclaris artibus, ideo hujus libri latina interpretatione et commentariis illustrandi partes sibi sumpserunt tres e patribus Pekini commorantibus.

Textum Sinicum latine verbo ad verbum expressit R. P. Josephus de Mailla, contulitque cum versione tartarica jussu hodierni Imperatoris a viris utriusque linguae peritissimis edita.

Ad textuum explicationem R. P. Petrus du Tartre viam aperuit, reseratis sensuum latentium ex ipsa historia fontibus, factoque in primis figuris aliquo interpretationis specimine.

Quae utriusque coepta R. P. Joannes Baptista Regis prosecuturus, eadem iterum expendit, fusius explicavit, ulterius promovit, auxitque Sinarum notis tum physicis tum moralibus, ne quid ex illorum commentariis hoc in opere desideraretur.

Unde autem existat textuum ac interpretationum difficultas? quos auctores figurae, eisque subjectae sententiae habeant? aliaque id genus bene multa, fuse exponuntur in prima parte quae tota cum sit proëmialis, ante attentius legenda est, quam ad secundam de explicatione textuum gradus fiat.

Continet hoc volumen primum.

I. Libri partem primam quae est procemialis tota..... 1
II. Partis secundae, sive interpretationis initium, complectens explicationem figurarum 1—16..... 161

LIBRI Y-KING
PARS PRIMA.

DE LIBRI Y-KING CAUSIS, AUCTORITATE, ARGUMENTO ET INTERPRETATIONE.

CAPUT PRIMUM.

Haec ab antiquissimis usque temporibus inter Sinas invaluit opinio, sicut vera, monarchiae initia ab eo *principe* esse repetenda, qui in annalibus Fo-hi et Pao-hi nominatur; ita ex eodem fonte profluxisse doctrinam libri Y-king, ad quem paucis exponendum jam aggredimur.

Quemadmodum vero in priscam celeberrimi conditoris historiam nonnulla irrepserunt quae a peritioribus velut apocrypha rejiciuntur, vel ut fabulosa omittuntur; non aliter a pluribus interpretibus factum est de causis libri Y-king. Nam alii suos illos auctores explodunt, qui rumoribus incertis male creduli narrant, imperatori ad crocei fluvii (sinice Hoang-ho) ripam consistenti mappam notis lucidis obscurisque distinctam obtulisse Draconem-equum, (sinice Long-ma); alii, ne facta quidem mentione emergentis ex alveo monstri, satis habent si ad eundem fluvium mappa haec inventa esse dicatur. Imo nec desunt interpretes aliqui (duo secundi seculi) et multorum seculorum antiquitate et eruditionis fama celebres, qui fabellis narrationi huic immixtis infensiores mappam ipsam principi Fo-hi abjudicant; refragrantibus tamen caeteris omnium fere aetatum scriptoribus, uti legere est in decimo nono libro Huen, pag. 3. novae interpretationis Y-king regiis typis in palatio ipso editae

anno Christi 1715, ut vel ex hoc satis appareat, cautione et critice ubique gentium opus esse in legendis et secernendis libris.

Ne igitur quod non satis explorate perceptum est videamur sine ulla dubitatione defendere, quae in utramque partem occurrunt ferme omnia, in dissertationibus notisque criticis, afferimus; probabiliora et conjecturas etiam, ubi certa nos deficiunt, hoc in opusculo secuti; uti nostri hactenus interpretes veterum librorum profanorum fecerunt.

Nec tamen sequimur hieroglyphicas, allegoricas aut mysticas significationes, si quae forte ex figuris erui possunt, ac translationes[1]); cum ad eas nulla cogat auctoritas, multo minus explicandae sententiae aut figurae necessitas; „et cum e rebus occlusis, inquit Arnobius, ista quae dicitur allegoria sumatur nec habeat finem certum in quo rei quae dicitur sit fixa atque immota sententia, unicuique liberum est, in id quod velit, attrahere et affirmare id positum in quo sua suspicio duxerit — — — quomodo potestis unam significationem adjungere dicto quod per modos videtis innumeros expositionum varietate deduci“ etc.

Ita ille contra gentiles, illo tempore protestantes suis fabulis contineri mysteria sancta, rationes miras atque altas, nec quas facile quivis possit ingenii vivacitate pernoscere, allegoricis et subditi — — intelligi omnia

1) Contra aliquos missionarios ex textibus ac litterarum figuris allegorice acceptis, mysteria religionis nostrae eruentes; ita ut haec aliaque id genus dogmata, in Y-king contineri sibi jactarent; mirum sane quod haec tam inania suni sint vulgare in Europa. Tacito illos in multis locis hoc in opusculo refutavi.

secretis — — aliud quidem dici, sed intelligi aliud, et sub vulgaris simplicitate sermonis rationem secretam et altitudinem involutam mysterii.

Ita addebant, ait Proclus, excitari ingeniosos ad contemplationis occultae desiderium et per insusitata nomina moveri ad veritatis, dictis factisque impossibilibus et absurdis involutae, inquisitionem.

Sunt haec, respondet Arnobius, angustiae atque acumina — — — quin, ut verius dicam, sunt sophistarum colores etc.

Missо itaque toto hoc interpretandi genere, ad aliquid probandum minime idoneo, quod nostri etiam, quoties fieri potuit, veteres rejecere, hanc amplectemur sententiam quae nitetur graviori aut ratione aut auctoritate, atque convenientiori cum obvio textus sensu explicatione, adhibitis verae et ubique receptae criticae, quoad fieri potest, legibus. Et quidem in quaestione proposita, hoc verosimillimum, et tantum non certum, constanti graviorum auctorum testimonio, efficitur [1]); a primis principis Fo-hi temporibus ad nostram usque aetatem pervenisse mappam illam celebrem, quae dicitur Ho-tou, fluvialis; quod forte inventa sit in aliquo lapideo monumento expressa insculptaque, sive dilapsis in contractiorem solito alveum aquis eminuerit, sive ab effossa ad litus humo occurrerit. Ut ut sit, talis pingitur, qualem videre est in tab. I. fig. 1.

Hoc nomen Mappae proprium nomen huic figurae factum est a primis nostris scriptoribus, qui de libris Sinicis aliquid edidere. Jamque hic invaluit, quod usus vocum picturae, typi, tabulae, latius pa-

1) Vide dissertat. primam ubi etiam probatur ex libro Sinis canonico Chou-king.

test; Che-tou latine est hic typus eclipsium. Ho-tou est fluvii cujuscumque tabula geographica; et quod haec delineatio oblata videatur principi, ut fingunt, a dracone in signo et vexillo quod ab eo servari posset. Quo sensu Mappa accipitur a Quintiliano, imo et a Juvenali, satira 11: Megalesiacae spectacula mappae.

CAPUT SECUNDUM.

Haec mappa, quam nomini principis Fo-hi inscriptam editiones libri Y-king jam omnes habent, constat tota notis albis et nigris, quibus numerorum a primo ad decimum naturalis series eo ordine exhibetur quem ipsa oculis subjicit; qui simul juncti, numerum 55 efficiunt. Horum quinque sunt in ipso figurae meditullio decussati, ceterique in triplicem ambitum ita dispositi, ut numeri ambitus secundi 1, 2, 3, 4 spectandas offerant differentias, tum ab eo qui medium occupat, scilicet 5, tum ab aliis quatuor qui in tertio ambitu subjacent, suntque 6, 7, 8, 9, ut per se patet; v. g. ex octo subtrahe tria dant 5; econtra, si differentiae 2, 4 nigro, et 1, 3 albo, colore notatae, addantur numeris tertii ambitus, nimirum 6, 8 nigris, et 9, 7 albis, semper numerum decimum exhibebunt.

Quod profecto nihil habet reconditi aut mysterii, nisi Sinis, aut plerumque arithmeticae theorematum ignaris, aut putidis cujuslibet antiquitatis suarumque rerum admiratoribus — quod saepe expertus sum in meis hoc per imperium geographicis excursionibus.

Neque enim moror eos Europaeos (eosdem qui supra) qui quaecumque de naturali numerorum serie in nostris mathematicorum libris reperire est ea huic mappae inserunt. Numeros triangulares, quadratos, pentagonos, aliosque id genus componunt, ut mappae

hujus miracula Sinis ipsis venditent. Perspicuum siquidem est similia theoremata non tam propria esse huic mappae quam naturae numerorum, quae proinde ad Sinicum librum Y-king singulariter non pertinere manifestius est quam ut in hoc probando diutius immorari debeam.

Numeri polygoni sunt diversae summae successive conflatae ex terminis progressionis arithmeticae, quorum primus est 1 — et differentia diversa. Si haec est 1 summae dicuntur numeri trigoni; si est 2, quadrati aut tetragoni; si est 3, pentagoni numeri a nostris dici solent; quorum theoriam, quae ad quemcunque polygonum pertinet, a serie numerorum mappae Fo-hianae non pendere, nec ea repetendum esse, evidens est.

CAPUT TERTIUM.

Ex hac autem mappa conditor Fo-hi suas expressisse figuras cum passim dicatur, et quidem multo probabilius quam ex aliis quae afferri possunt causis [1]), operae pretium est id sigillatim explicare quod Sinae implexe tradunt.

In mappa tria consideranti statim occurrunt; notarum color, numerus, situs.

I. Color est duplex, albus et niger; quo discrimine, ut ubique fere gentium, ita apud Sinas, lux et tenebrae designantur, solitis etiam antiquitus nominibus Yang et Yn significatae. Ad quae quoque, et quidem certius breviusque ne scilicet a colore quae facile evanescit discrimen penderet, duas lineas princeps Fo-hi adhibuit, aliam integram ——— uno ductu ductam, aliam — — interruptam, seu potius ex dua-

1) Vide dissert. 5.

bus minoribus compositam, quemadmodum factum etiam videbat in mappae globulis, seu notis o, o—o quarum prior Yang, posterior Yn nominaretur, atque etiam symbolice pro illis haberetur [1]).

II. Sed sicut ex varia globuli albi nigrique collatione variae in ipsa mappa nascuntur combinationes, ita ex duabus illis suis lineis quae effici possint variae figurae ex ordinata utriusque permutatione pronum fuit illi conjicere. Quid enim facilius, quam v. g. litteras a, b, quas aliquis assumpserit, ita invicem permutare, ut habeat quatuor syllabas aa, ab, ba, bb, hae autem si lineis exprimantur ——, — —, quasnam efficient figuras, nisi has quatuor ⚌, ⚍, ⚎, ⚏? quae sunt libri totius, aiunt, Y-king seu potius omnium figurarum Fo-hi fundamenta; et sinice Siang [2]) imagines, in libris authenticis caeterisque semper vocantur.

Nec multo difficilius fuit ex his quatuor figuris efficere octo ab his discrepantes, superaddita cuilibet una linea vel integra vel interrupta. Atque hac ratione famosae illae octo figurae, Pa-kua [3]) dictae, efformatae sunt, quae a conditore imperii Fo-hi primum inventae atque in usum inductae censentur. Nos octo symbola deinceps ferme appellabimus, quod a remotissima antiquitate instituta sint ad significandas res naturae praecipuas; v. g. coelum, terram, aquam, ignem, ventos etc., non vero quod natura sua, suisque velut lineamentis, illa corpora oculis exhibeant, ut patebit consideranti quae ex regia editione recentissima exscripsimus Tom. 19. pag. 17.

1) Vide tabulam II. fig. 1.
2) Vide tab. II. fig. 2.
3) Vide tab. II. fig. 3 et 4.


kouèn.
8.
Terra et materia terrestris, seu yn, principium alterum in rerum generatione ac corruptione.
ken.
7.
Montes. Solliditas, quod sistit motum. Quies.
kan.
6.
Aqua. Elementum liquidum.
suen.
5.
Venti. Vapores et habitus ventosi et mobiles, introgredientes lignum.
tchin.
4.
Tonitru vel exhalatio ignea, seu fulminea et calidæ motrix.
li.
3.
Ignis. Elementum pulchrum lucidum, calos, vis actuosa.
toui.
2.
Aquæ. Montium fontes, lacus; Aquæ kalibus ascendens supra.
kien.
1.
Coelum, et materia coelestis seu Yang, principium rerum quæ generantur. Aether fluidum.

Verum cum octo figurarum usus non satis, ut manifestum est, late pateret ad rerum aut omnium aut utilium significationem, ad sexaginta quatuor usque progressus esse Fo-hi dicitur [1]), quas etiam Koua appellavit. Nos latine emblemata vocabimus; quo nomine veteres latini figuras ornamentaque vasis illigata intellexerunt, non multum abludentes a Sinis, qui figuras Koua ideo ita dictas affirmant, quod, ait Kong-in-ta, doctor septimi seculi [2]), appenderetur ad instructionem populi. Sunt illae sexaginta quatuor, quarum quaelibet ex sex lineis componitur. Octo nempe illae priores figurae, quas symbola nominavimus una insuper linea auctae et duplicatae, exhibent sexdecim figuras, quatuor lineis constantes, quas habent etiam nonnullae editiones, ipsaque regiis typis expressa L. 19. pag. 17.

Hae rursus sexdecim, iterum duplicatae auctaeque addita linea, dant triginta duas figuras, quinque linearum, multis aliquorum librorum pagellis frustra descriptas; a quibus ad sexaginta-quatuor, de quibus solis agitur in libro Y-king eadem est progressio, nempe numerus figurarum est in ratione dupla 2, 4, 8, 16, 32, 64; at numerus linearum, ex quibus illae constant, est juxta naturalem numerorum seriem seu in proportione arithmetica 1, 2, 3, 4, 5, 6; atque adeo eorum alter exhibet potestates, ut loqui solent nostri algebristae, binarii 2; scilicet quadratum, cubum, quadrato-quadratum, super-solidum, denique quadrato-cubum. Alter earundem potestatum numeros exponentes 1, 2, 3, 4, 5, 6, ex quibus sciri potest quota sit data binarii potestas, ut, quoniam sunt

1) Vide dissertat. 7. et tab. III.

2) Post Chr. 629.

6 lineae in magna conditoris Fo-hi figura intelligatur 64 numerus omnium emblematum esse sexta binarii potestas.

Hac una duplicandi binarii methodo inventa esse illa 64 emblemata passim doctores atque interpretes tradunt, et nihilominus ita illam extollunt, ut ne ipsa quidem conditoris imperii sagacitas huic excogitandae par fuisse videatur; prorsus ut necesse fuerit e coelo vel e mari Draconem accersere, qui mappam suo dorso insculptam aut appensam offerret, ad cujus formam sua inventa Fo-hi dirigeret.

Equidem non ibo inficias, regulam, quae proportionem tum geometricam tum arithmeticam, simulque omnes permutationum in rebus quibuscumque assignatis numeros representat, aliquid habere admirationis et theoriae non vulgaris, verum ea, quae a principe Fo-hi in suis e binario efficiendis figuris observata traditur, nec generalis est, quandoquidem ad unam rationem duplam pertinet, nec compendiosa — cum enim unum hoc requiratur ut datis octo figuris, Pa-koua jam primum inventis, inveniantur sexaginta-quatuor aliae, linearum duplo majores, longum est per tot successive diversas omninoque inutiles figuras ad quaesiti solutionem descendere — haec siquidem statim haberi potest, invento quadrato numeri 8 propositi, ut sciunt arithmetici nostri.

Numerus itaque 64 erit sexta binarii potestas si progressio coepta, uti solet, supponatur a duabus lineis ———, —— ——, quas Sinae vocant Leang-y, id est duo elementa: omnium scilicet figurarum libri Y-king seu magnae tabulae principis Fo-hi, sexaginta-quatuor emblamata exhibentis, quam anno 1687 jam edidit Parisiis P. Philippus Couplet.

At idem numerus 64 est secunda tantum potestas

numeri 8 symbolorum, quae Pa-koua appellant; et tertia potestas numeri 4 imaginum quas vocant Sse-siang, et quas velut omnium, tum octo, tum sexaginta-quatuor, figurarum radices nonnulli interpretes asserunt; nempe est una ubique regula inveniendi omnes permutationes diversarum rerum, quarum quaelibet repeti possit quoties opus est, seu quoties potest, quae quoniam a nostris imprimis analystis, v. g. a domino Prestet, Tom. I. lib. 5. probl. 17., de quocumque rerum datarum numero sive pari sive impari fuse exponitur, satis sit hoc loco eam indicare, ut vel ex hac observatione constet; hanc, quam in suo Fo-hi tantopere admirantur Sinae philosophi, inventionem permutationum, a quibus Y-king nomen habet, et juxta etymologiam sinicam dici potest liber de mutationibus, nihil aliud reipsa esse, quam unum exemplum seu paradigma regulae generalis nostrae per omnes numerorum casus ac rationes excurrentis. Sed de genesi numeroque figurarum jam satis, nunc de earum situ breviter.

III. Neque enim sat erat ad ipsas tum octo tum sexaginta-quatuor emblematum tabulas eo quo videmus ordine disponendas intellexisse, v. g. ex duabus lineis ——, — — posse quatuor effici combinationes seu imagines; sed etiam necesse fuit mutuum illarum situm aliqua ratione definire, utra enim, v. g. ex duabus ——— ———, ——— ——— prior pingeatur?

Rationem itaque cum forte nullam aliam habere posset princeps Fo-hi, habendam sibi duxit mappae sibi oblatae vel a se repertae, in qua numeri 1, 2, 3, 4 globulis expressi ordinem exhibent, Sinicèque nostra etiam aetate adhuc ab omnibus appellantur Sse-siang-tchi-ouei, loca quatuor imaginum, seu quatuor primarum combinationum.

Habito autem situ quatuor primorum terminorum,

facillimum est non solum ad octo et ad sexaginta-quatuor, sed ad quantumvis numerum producere, ut per se patet.

Denique, cum ad latus numerorum (ut vocant) ordinalium 1, 2, 3, 4, in eadem mappa videantur numeri 6, 7, 8, 9 nigro alboque distincti, ex ea expressi dicendi sunt qui pro quatuor imaginibus (si quando ad calculos revocandae sunt) Tchi-ouei supponunt; et Sse-siang-tchi-chou, quatuor imaginum numeri, vere esse dicuntur in ipsa etiam nova regiis typis libri Y-king editione. Verum siquidem est hos quatuor numeros 6, 7, 8, 9 perpetuo aliquot seculorum usu aestimandis quatuor imaginibus fuisse velut addictos, et ita factos earum proprios, ut alii qui nulla habita mappae ratione a quocunque, tum majores tum minores, excogitari facile possunt, omnino rejiciantur, aut saltem usurpentur.

CAPUT QUARTUM.

Ex his, tum octo, tum sexaginta-quatuor combinationibus a principe Fo-hi inventis, ritequo ordinatis, pronum fuit efficere tabulas oblongas, quadratas, rotundas, aliasque id genus, quae omnes illas figuras sive eodem sive diverso ordine complecterentur; aut quod eodem recidit duas illas lineas ——, — —, quas figurarum elementa duo vocari diximus, ordinatim combinatas representarent; quales multae reperiuntur in variis Sinarum philosophorum voluminibus tabulae [1]).

In editionibus libri Y-king passim venalibus, similes saltem quatuor spectantur; nomen quidem principis Fo-hi in fronte prae se ferentes, utpote ex figu-

1) Vide tab. IV. fig. 1.

ris ab illo inventis compositae; at ad calcem, marginemque, nomina doctoris vel potius Bonzii e secta quae Tao-kia nominatur, Tchin-touan, qui non ante decimum aerae christianae seculum claruit (circa 928), et aliorum novae philosophiae principum Tcheou-hien-ki, Tchang-tsai, Tchao-kang-tsie etc. Bonzio illo litterato non ita posteriorum. Floruere enim sub familia Song decima-nona, quae decimo undecimoque seculo dominata litteras imprimis adamavit.

Incredibilia sunt, et Bonziorum historiis simillima, quae de illo Tchin-touan narrantur a Sinis, et ab ipso vitae virorum illustrium scriptore Li-chi. Jam annum quintum attigerat, necdum loqui potuit. At brevi ejus lingua sic inhaerens, non scalpello uti solet incisa, sed lacte cujusdam divinae foeminae, liberata est mortuo patre, relictis rebus domesticis ac hominum societate, juncis vestitus, cacaboque quem manu ferebat contentus, in antra montis Tai-chan secessit, ut in comparandum immortalitatis pharmacum incumbat. Ibi vero familiariter usus est hominibus immortalibus Chinsien, quos magno numero illa secta fabulatur, eoque imprimis qui nominatur Su-tong-pin. Ex Tai-chan digressus est tandem, monente alio immortali cervina pelle inducto, qui illi ostendit montem alterum sibi minime cognitum Ou-tang, novem cavernis insignem, in quo Tchin-touan sine cibo viginti annos vixit egregia illa solaque vitalis spiritus circumvolvendi arte (Yun-ki, Tchouen-ki) quam secta Tao-kia profitetur; at novam rursus hominem coepit etiam montis Outang fastidium. Sibi videre visus fuerat nescio quem militem ferreum, gladio terribili armatum, a quo jubebatur redire ad terram perfectorum. Sibi itaque forte in occidentali imperii parte melius futurum cogitare coepit; moxque in occidentalem montem longo itinere se

recepit utrumque reipsa pulcherrimum ibidem nactus est. Illud mirabilius, sibi montem lustrandi occurrisse unum famosum eremitam, nomine Li-ki, duorum jam seculorum aetate venerandum, sed tamen ita crudae viridisque senectutis, ut omnibus socii officiis non deesset.

Interea, emergente ex his latebris doctoris Tchin-touan fama, multi litterati se illi excolendos tradiderunt; ex quo factum est ut sensim, sine sensu, rumor de eius peritia atque virtutibus secundus ad aures ipsius imperatoris pervenerit; hujus jussu quaesitus est, nec facile inventus. Nam e manibus discipulorum fugiens in aliquo vallis secessu se absconderat, ibique multos menses dormiens, ignotusque jam dudum jacebat; cum ab uno lignatore repertus est, humi prostratus pulvereque obsitus. Quo nuntio recreati magistratus, quos mandatum regium urgebat, ad locum accurrunt; abalienatum a sensibus variis modis excitant denique ad aulam honorifice deducunt; hic vero majori etiam honore excipitur, magnatibus ab imperatore stare jussis dum splendido convivio reficitur. Reversus postea in suam speluncam et jamjam moriturus, ipsi imperatori epistolam dedit, cujus erant haec ultima verba: praesente anno, vigesima secunda die decimae lunae, figuram mutabo [1]).

---

1) Mortuus est circa annum 985 post Chr. Haec ex historia Tong-kien. In historia imperii fit mentio istius Tchin-touan omissis multis, ut solet, fabulam redolentibus; narrat tamen „visum fuisse non semel dormire totos centum dies vegetumque exurgere non minus quam qui vixit lautissime;“ ter etiam venisse in aulam sub Tcheou-tchao semel circa 954, et bis sub Song-tchao imperante Tai-tsong circa annos 977 et 984. Erat oriundus ex oppido Po-tcheou, secessit in solitudinem, seculo, monitoribus publicis abrenuntians, quod non potuerat

In his profecto, aliisque id genus quae sciens volensque brevitatis causa omisi, qui Bonzium, licet doctoris nomine graduque insignem, non noscit, nae ille parum perspicax est; nec opus est illi scriptorum alia testimonia proferre, ut omnino constet auotorem istarum mapparum fuisse ex haeresi Tao-kia dicta; qua forte nulla pejor apud Sinas extitit; cujus scilicet celeberrimos professores non paucos magicae artis vel inventores, vel propagatores, fuisse conqueruntur gravissimi philosophi atque historici.

Ex hoc tamen Bonzio doctrina illa manavit ad doctorem Tchong-fang, a quo illam excepit doctor Mou-siou, et ex hoc princeps alter novae philosophiae Tcheou-lien-ki. Hoc enim tanquam certum suaque aetate constans, supplici libello exposuisse doctorem Tchou-tchin refert ipse virorum illustrium laudator Li-chi; quo certe testimonio vix est reperire ad rem elucidandam aptius. Nam doctor Tchou-tchin floruit paullo post mortem magistri Tcheou-lien-ki, et ante aetatem doctoris Tchou-hi, a quo imprimis sua haec dogmata hausere recentiores philosophi. Cum illo proinde et in dignitate maxima constituto, et auctoribus de quibus loquitur aequali, ac prae caeteris novae physiologiae vicino, standum esse judicabunt quicumque criticem norunt.

Alterum philosophiae principem Tchao-kang-tsie ex eodem fonte haurire potuisse, etsi ex dictis perspicuum sit (cum ea jam doctrina traderetur palam), confirmari tamen potest narratione doctoris Hiong-sse-li, qui anno 27 aerae currentis Kang-hi, librum satis amplum edidit de successione scientiae,

---

in litterario examine lauream doctoris assequi, ait historia. Negat secta Tao-kia in suis libris historias.

Hio-tong. Is siquidem doctorem Tchao-kang-tsie tabulas has figurarum, earumque doctrinam accepisse ait a doctore Li-chi-tsui, qui omnia debebat doctori Mou-siou; hunc vero inter scriptores Sinas convenit fuisse velut haeredem omnium documentorum, quae sibi tradidit doctor Tchong-fang, a suo magistro Tchin-touau ad posteritatis memoriam relicta, ex quibus omnibus efficitur a Bonzio illo profectam esse quae tum a Tcheou-lien-ki, tum a Tchao-kang-tsie proposita est, multisque opusculis ita explicata, ut brevi invaluerit. Ad hos ergo pertinet novum hoc veterum figurarum systema, multiplexque illa dispositio quae in editionibus etiam communibus circumfertur, adjecto ad marginem magistri seu inventoris Tchin-touan nomine; licet in titulo conditori Fo-hi tribui videatur; quod utcunque qua ratione vetum sit, jam, opinor sat superque exposuimus.

CAPUT QUINTUM.

Ad quos vero usus inventam permutationum regulam potissimum adhibuerit princeps Fo-hi, quam facile est conjectare, tam difficile est definire; quamvis enim magnas illa utilitates certo certius afferre potuerit novo monarchiae conditori, tum in ordinibus magistratuum militum plebeiorumque rite disponendis, tum necessariis novae reipublicae subsidiis certo numero providendis, nihil tamen eorum, quae praecipua conjectoribus fortasse videantur, traditione certa hinc temporis hac saltem ratione factum fuisse accepimus.

Hoc solum vulgo traditur, et ex historia credibile fit, ab illis primis permutationum inventis principem Fo-hi gradum fecisse ad characteres novae genti describendos: sive suas illas primas figuras nodis funium, quibus velut totidem signis seu litteris mandata ede-

bantur, principio statimque substituerit (unde figurae illae in tabellulis ligneis ad deferentis cingulum alligatis dictae sunt koua, i. e. appensae aut pendulae); sive postea perpensis melius ex hac etiam admonendi absentes ratione incommodis, cum jam probe nosset existere posse ex paucis lineis varie permutatis ingentem figurarum diversarum numerum, primum ipse litterarum Sinicarum specimen suo tempore edi jusserit.

Id constat sex regulas ad opus illud spectantes in annalibus referri, quae ab illo repertae asseruntur; jubentque qui operi praeesse debebat, nomine Tsang, ut rerum vel 1) similitudines proprias, vel 2) metaphoras, vel 3) indicia, vel 4) nexus, vel 5) proportiones, vel 6) synonymias sequeretur. Quod num ille reipsa praestiterit, an ob subortas usu in ipso difficultates immutaverit, quanam ratione affirmari aut negari potest? cum certo certius sit nullum omnino librum, simileque monumentum, antiquissimis illis characteribus expressum, hac nostra aetate in bibliothecis Sinensibus apparere; et praeterea quaecumque opera edita sunt, manibusque litteratorum teruntur, a sex regulis illis aberrare manifestum sit.

Equidem non est facile sigillatim prosequi quae sub variis dynastiis factae sunt litteris Sinicis mutationes et accessiones, cum a scriptoribus illorum temporum non annotatum reperiatur, quae primis, quae secundis, aliisque litteris successerint; et recentiores nonnullos id conatos deficiant certa diversae vetustatis monumenta, quibus a novis characteribus ad antiquiores, et ab his gradatim ad primogenios, deducantur. Sed nec hoc necessarium est, cum, quod passim affirmant, mutatis litteris, idem semper fuerit expressus suorum veterum textus sensusque: quemadmodum in succedentibus sibi veterum librorum, vel gothica, vel quadrata,

editionibus; ipsisque etiam, ob mutatum [illegible] usum apud nos, gallicis versionibus, [illegible] sententia diligenter observatur.

[illegible] omnia hoc consilio huc adduximus, non [illegible] quae Sinae annalistae referunt de [illegible] a principe Fo-hi inventarum, quas ad litterarum elementa formamque traduci voluit, sed etiam, ut intelligatur quem in sensum accipienda sint hyperbolica, quibus vulgo abundant commentarii Sinici, elogia conditoris Fo-hi, quem Sinae nonnulli velut omnium scientiarum inventorem, librorumque auctorem, ad coelos usque extollunt. Illi nimirum, quemadmodum v. g. Cadmo Graecorum doctrina omnis a posteris tribuitur, quem litterarum suorumque characterum parentem agnoscunt; ex quo ulterius liquet sensus illorum scriptorum, qui in opusculis nonnullis opus Y-king a Fo-hi inventum venditant tanquam (pen) originem aliorum librorum (king) authenticorum; quatenus videlicet ab eo litterae, aut saltem litterarum elementa, prodierunt. Nam illud omnino constat principem Fo-hi meras figuras, sine ullo textu reliquisse; imo nec relinquere potuisse, cum hoc sinicarum litterarum opus, nonnici sub illius successore Chin-nong absolutum fuisse testentur annales imperii historiaeque; cujus proinde aetate factum est Sinice scribendi initium.

Hae porro lineae ———, — — et ex his a Fo-hi compositae combinatione figurae, quod tum ad hanc, tum ad illam significationem pro auctoris arbitrio trahi possint, utpote quae (usi per se patet) censeantur in rebus indifferentibus, merito dubitatur in Sinica universitatis partitione, coeli, terrae, hominis (Tien-ti-jin), a philosophis omnibus admissa, an existentes e coeli motu temporum varietates, an rerum in terra orientium occidentiumque vices, an civiles ex

hominum moribus reipublicae conversiones, illis suis duplicis generis linearum permutationibus repraesentare voluerit, inventor Fo-hi.

Ex his solumque princeps Ouen-ouang hujusque filius Tcheou-kong[1]) 1800 fere post annis, atque utroque posterior sex circiter seculis (quae tanta intervalla dubii aliquid merito afferunt) Confucius, scripta reliquerunt probabile fit, quod philosophi Sinae jam plerique pro certo habent, principem Fo-hi intendisse in naturalis mundi hujus spectabilibis mutationes. Nam ipsa, inquiunt, epigraphe, v. g. ad primam figuram kien addidit Ouen-ouang, eas tribuit dotes quas nonnisi coelo convenire manifestum est; e quibus, veluti symbolis, sua documenta politica mutuatur: ut dum suorum temporum mores carpit, naturam solam perantiquo coeli (quod hic kien dicitur) emblemate expressam, consectari videatur.

Confucius certe ita censuisse dicendus est: nam primo, primis illis Fohianis symbolis Pa-koua, nomina coeli, terrae, aquae, ignis etc. imponi posse credidit, unde in vulgus manavit carmen, quod libro Y-king in vulgaribus quoque editionibus praefixum legitur, ac velut physicum veterum Confuciique systema complecti a nonnullis doctoribus putatur; a nullo profecto negari potest versus hos in Y-king utiles esse,

---

1) Ad singulas figuras adscriptae sunt a Ouen-ouang sententiae quas epigraphes nominamus. Sententiae ad singulas sex lineas cujuslibet figurae sunt a Tcheou-kong adjectae, et a nobis parte secunda dicuntur epiphonemata distinctionis causa. Commentaria in epigraphem quamlibet, seu totam figuram dicuntur a Confucio toen; at commentaria in epiphonemata seu in singulas figurae partes dicuntur ab eo Siang. Cur autem ita vocentur, dicitur cap. 8. et alibi.

tum in propriis figurarum nominibus retinendis, tum in rebus naturalibus ad easdem referendis.

Secundo, verbis minime obscuris Confucius in appendice suo (Hi-tse) ad suos in Y-king commentarios, narrat: Pao-hi, i. e. (ut inter omnes auctores convenit) fundatorem Fo-hi, dum imperium gubernaret sublatis sursum oculis coeli formam esse contemplatum; demisso postea obtutu, in terrae speciem intendisse; quod in volucribus pecudibusque nitet, et quod tellus suppeditat, inspexisse; ex corporibus sibi vicinio mutuatum esse, sicut et ex rebus a se remotis, unde initium daret octo suis symbolis (Pa-koua) etc.

Haec porro naturae contemplatio principi non minus necessaria fuit, quam scientia permutationum, cum in omne comparatione utraque pars debeat esse probe cognita, et illud e suis figuris emolumentum capere vellet novus monarchiae conditor, ut rerum naturalium symbola a se constituta sui haberent: quorum ope populus ille tunc agrestis et ignarus, contra superstitionem quae ex crassa naturae ignoratione saepe oritur, et contra vanos metus spesque inanis commotiones, se tutari posset; quem etiam finem sibi in philosophia physicaeque studio propositum fuisse optimi quique philosophi nostri veteres suis in opusculis profitentur, Socrates, Plato, Democritus, Aristoteles, ceterique; imo ipse Epicurus, licet ultra quam par est progressus, ideoque atheismi suspectus apud Tullium aliosque; de ipso vide Lucretium lib. 1.

Quicumque, etiam sunt philosophi sini [1]), existant coeli terraeque generationum ac

1) Vide Sing-li-ta-tsuen, lib. 27.

corruptionum effectus, si eorum rationem causamque non perscrutemur, haud dubie ad res inanes, Bonzaicis fabellis simillimas, et ridiculas effutiendas abibimus, nec unquam pbterimus ad claram notitiam pervenire; ita ut vane cum sectis illis timeamus, quae occasione fulminis v. g. spargunt de Draconio curru, de lapidea securi, de cacodaemonis tympano igneoque flagello etc.

Is itaque videtur conditoris Fo-hi fuisse sensus in suis naturae perscrutationibus, qui fuit nostrorum antiquorum sapientum optimorumque philosophorum: aniles superstitiones, quae plerumque plebeculam dementant et facile per totam nationem funduntur, non posse ferme refrenari, nisi aliqua saltem generali cognitione rerum naturalium, quae vanum terrorem alios, que motus inconditos rudibus (quorum numerus ubique gentium major est) ac meticulosis ingenerant. Quemadmodum vero, quod hac nostrorum sapientum methodo abusi sint epicurei religionem ipsam cum superstitione evellere conati, non ideo reprehenduntur Socrates, Plato, aliique vel ob id maxime celebres, ita etiam immortalis manebit principis Fo-hi, Sinicae philosophiae auctoris, gloria, licet forte (quod hoc in loco non discutimus) non defuerint qui longius quam aequum est progressi sunt, v. g. de Li, ratione, de Tai-ki, magno termino, ceterisque id genus alibi explicandis, multa suo marte commenti.

CAPUT SEXTUM.

Certiora sunt quae de principe Ouen-Ouang, et ejus filio Tcheou-Kong dicturi sumus. Hos in confesso est auctores fuisse sententiarum, quae mutis illis antiqui Fohi figuris subjiciuntur, et textum libri

Y-king (seu Tcheou-y) [1]) proprium sole constituunt; prorsus ut in postrema regiis typis impensisque editione solus ille textus in primis quinque tomis proponatur, rejectis in alios certis Confucii ipsius commentariis Toen et Siang dictis, et, potiori jure, ceteris opusculis quae non ita constat a Confucio fuisse scripta, aut sincera ad nos pervenisse, de quibus suus brevi erit dicendi locus.

Cum tamen textibus libri Y-king a principibus Ouen-ouang et Tcheou-kong relictis addantur commentarii Confuciani Toen et Siang nos in hac nostra elucubratione ex illis ea afferemus, quae lucem afferre interdum possunt; ne textus liber tantum non aenigmaticus fiat obscurior, remota omnino philosophi interpretatione. Nam licet et ipsa multis in locis nunc obscura sit, habet tamen magnam, ubi perspicua est, apud Sinas auctoritatem, et quidem merito, cum illius commentarii sint omnium antiquissimi, alioque juxta veras criticae leges priscae doctrinae testes fide digniores.

CAPUT SEPTIMUM.

Cur vero princeps Ouen-ouang ad ejus modi aenigmata recurrerit, causa in promptu est ex historiis librisque authenticis, et ita habet.

Cum anno ante christianam aeram 1154 imperator [2]) secundae familiae regiae, Chang et Yn diversis temporibus cognominatae, vigesimus octavus regnare coepisset, publica imperii quies horrende perturbata est. Nam famosae pellicis amore irretitus, non solum omnia negotia illius arbitrio permisit, sed etiam ejusdem furori, optimatum censura monitisque excitato

1) Cur Y-king dicatur Tcheou-y vide infra.
2) Tcheou coepit regnare An. 1135 ante christianam aeram.

indulgens, omne crudelitatis genus in eos exercuit. Horum alii exilio multati, alii gladio percussi, alii e feroli arbore suspensi, multi etiam (quod immanius est) inaudito supplicii genere ad columnam aeneam igne candentem alligati perierunt. Tantus inde timor, ut princeps Kouei-tse, tyranni frater natu major ex aula clam dilapsus in saltus, sibi suisque paucis notos, se abdiderit. Frater vero natu minor Ki-tse, fraternae crudelitatis censor, in vinculis multis annos vixit. Patruus Pi-kan heroicae fortitudinis princeps, a censoris officio tot suppliciis se minime absterreri passus quidem est, at gravissimas tandem poenas dedit, exsectis ante truculenti principis (quem omnes tyrannum Sinae vocant habentque) oculos ipsi praecordiis.

Emicabat inter magnates de republica sollicitos princeps Ouen-ouang, quo nullus tota in hac gente etiamnum clarior virtutis fama. Eximia ille cum apud omnes fere plebeios tum apud principes clientelares (qui magno tunc numero erant) gratia valebat, quid in tantis rerum difficultatibus faceret? Fugere exemplo principis Kouei-tse? Atque ita rempublicam deserere (ait historia) ipsi videbatur indecorum; metuere mortem? metuque mortis omnino tacere non esse fidelis subditi. Claris vero (uti hoc in imperio mos est) admonitionibus, scriptisque palam libellis, imperatorem efferare? jam vulgo censebatur omnibus perniciosum. Nec ipsi privato deerant magnae pro se extrema quaeque metuendi causae. Jam custodiae semel datus erat, nequicquam tam multis aulae principibus factum indigne clamitantibus, et ad defectionem pronis. Hanc itaque viam inivit, communicato sapientioribus intimisque amicis consilio ut quidem (sicut prius) de republica, et politica gubernandi ra-

tione, philosopharetur, sed tamen quam solitus erat nunc obscurius occultiusque.

Jacebant illo tempore (ut ipse Tchou-tse recentiorum alter princeps aliique scriptores diversa aetate testantur) figurae ab antiquissimo Fo-hi exaratae: sive longa temporis diuturnitate vulgo obliterata esset earum significatio, sive a rudi plebecula ad sortium usum traductae, a sapientibus principibusque viris, sine aliquo rubore, dudum tractari non potuissent. Verum jam ad eas deventum erat angustias, ut pulchrius tutiusque esset promiscuae aliquorum turbae videri nihil nisi vulgare sapere. Has igitur figuras, e quibus imperitum vulgus fortunas et infortunia (prout talorum casus ferebat) sibi augurari solebat, princeps Ouen-ouang coepit interpretari, tanquam selectus a coelo, post tot secula, aenigmatum Oedipus: et alligata cuilibet figurae seorsim sumptae morali epigraphe nunc perfecti regis, nunc boni subditi dotes, totamque boni malique regiminis formam ita adumbrare, ut fortunata illa esse intelligentur quae recte administrata, quemadmodum ex multis ab illo gestis constabat; infortunata vero quae administrantium vitio corrumpebantur. Unde totam principis Ouen-ouang interpretationem ad civilem reipublicae conversionem spectare manifestum est; repetitis tamen ab ipso monarchiae conditore ejusque sexaginta-quatuor emblematibus (64 koua appellé ut dixi supra), ita sentiendi dicendique causis.

Observant etiam philosophi (lib. 15. Sinicae philosophiae Sing-li) principem Ouen-ouang antiquum octo symbolorum (Pa-koua), unde aliae figurae omnes pendent, ordinem invertisse; quo ipsa imperii suis temporibus subversio graphice exprimi poterat, mutatis e naturali loco, quem genesis dederat,

iis quatuor figuris, quae rerum naturalium pugnis ac dissociationibus, quas posterior labentis anni pars afferre solet, velut in antecessum, repraesentandis idoneae videbantur; v. g. si symbolum ☲ ignis supponatur loco symboli ☵ aquae, utriusque elementi inordinatio principi visa est non minus apta ad significandas ruinas et clades reipublicae male ordinatae, quam naturales ab hieme aut imminente aut saeviente rerum generatarum corruptiones. Hoc siquidem novum octo symbolarum systema ideo dicitur a Sinis posterioris coeli mappa, Heou-tien-tchi-tou; quod mille et octingentis annis recentius sit ordinata primum a Fo-hi, juxta naturalem combinationis seriem, descriptione; quae idcirco prioris coeli mappa seu imago, Sien-tien-tchi-tou, appellatur ab ipsis novae philosophiae [1]) principibus Tchao-tse, Tching-tse, Tcheou-tse et in postremis editionis regiae commentariis, certe inter auctores, qui hoc in opere laudantur plusquam ducenti, ne unum quidem invenias, qui non perspicue doceat, supponatque ut indubitatum, nullam extitisse posterioris coeli mappam ante Ouen-ouang, antiquo Fo-hi tot seculis posteriorem; appellationis itaque hujus ratio cum ex tot testium consensu certa sit [2]) et tempori rebusque conveniat, nihil opus est ad divinationes puraque figmenta recurrere. Satis sit ex ejusdem editionis capite vigesimo-primo adjicere hic mappas utriusque systematis, nempe tum antiquae tum novae dispositionis (Pa-koua) octo symbolorum.

---

1) In Choue-koua-tchouen, Tom. 2.

2) Vox haec seu distinctio Sien-tien, Heou-tien, nullibi reperitur in Y-king, sed solum apud aliquos interpretes magni nominis.

Coeli posterioris Mappa.

a Ouen-Ouang descripta ante Ch. Anno 1154.





Coeli prioris Mappa.

a Fo-hi descripta ante Ch. Anno 2952.





NOTAE.

1) mou, fou, tchang-niu, tchong-niu, et reliqua nomina, sunt etiam a Ouen-ouang indita octo symbolis in nova hac mappa posterioris coeli, heou-tien, seu posteriorum temporum, aliter quam antiquitus dispositis, -tien saepe sonat idem ac tempus, dies.

2) Octo symbola in circulum ordinata vulgo etiam eduntur, tum nomine conditoris Fo-hi, tum nomine posterioris Ouen-ouang. Inter utramque mappam hoc interest, quod in priori coelum (kien) ponitur in superiore puncto circuli, terra in infimo seu opposito: in posteriore superiorem locum occupat li, ignis, juxta Fo-hi, juxta Ouen-ouang principem, in hac dispositione, aetatis mediae filia. In opposito correspondet (kan) aqua, seu mediae aetatis filius. In medio circumferentiae punctis oppositis Fo-hi habet (li et kan), ignem et aquam; et Ouen-ouang (toui et tchin) quae tunc sonant aetate minor filia, aetate major filius etc. Sed haec melius intelligi possunt ex figuris quas alibi (tab. 4.) afferimus quam ex notis.

3) Ceterum, in explicatione textuum principis Ouen-ouang, fere alluditur semper ad mappam antiquam nominaque conditoris Fo-hi, ut patebit ex dicendis interque paucas reperies allusiones ad mappam novam, nominaque nova tot post saecula a Ouen-ouang proposita potius quam in usum inducta.

4) Parum itaque haec confert jam ad libri Y-king notitiam olim vero, quando prodiit, ad breve forte tempus significare ingeniose potuit rerum peritioribus praesentem imperii subversionem ex eo existere quod supra poneretur, seu dominaretur, tchong-niu mediae aetatis puella, li ardens ac crudelis; nempe famosa illa pellex de cujus sevitia diximus, ut ut sit, necesse fuit aliquid deliberare ex mappae hujus explicationibus, quod usui, licet raro, deinceps erit, inutilia vero omittere, ne obscuri simus.

Nec dubium est, quin, sicut tempus quo vigent excuberantque omnia, actuosa (quam Sinae philosophi vocant Yang) naturae vi sese ubique exerente ac velut dominante, florentem imperante Fo-hi aliisque priscis eximiae virtutis principibus rempublicam rite exprimebat; ita illa anni tempestas, qua defluit totus

ille naturae decor resque decrescunt ac tandem rigent, assumi praeclare potuerit pro genuina labentis jam imperii imagine a principe Ouen-ouang, ut ex hac principes primatesque facile inferrunt. remediis non minus praesentibus quam potentibus tandem aliquando utendum.

Ita vero animati sunt magnates, durioris jugi alioquin impatientes, ut principem Ouen-ouang vinculis tandem liberatum, moxque bello contra Boreales confecto illustriorem, ad capessendum imperium saepe saepius invitaverunt; eoque reluctante, imperatori publico libello declaraverint: se deinceps iis dumtaxat obsecuturos mandatis, quae principis Ouen-ouang manu suas in ditiones transmitterentur; inde tantus metus, tum malo imperatori Tcheou tum truculentae ejus pellici Ta-ki, cui saeva consilia vulgo tribuebantur, ut dementiationi principum, licet sibi injuriosae, obluctari aperte minime ausi sint; satis habentes cuniculis agere, atque variis suspicionibus ac querelis ducem Ouen-ouang fatigare; quas omnes difficultates sua animi provisione et sagacitate ita ille superavit, ut muneri amplissimo, quo soli imperatori inferior erat, non cesserit nisi octogenario major, jamque infirmus ea aegritudine, qua vix elapso anno extinctus est.

Successit filius Ou-ouang, paternae non modo ditionis et dignitatis haeres, sed etiam summae in imperio auctoritatis atque apud principes gratiae: quorum votis auxilioque, duobus post patris mortem annis, ad supremum imperatoriae dignitatis apicem evehitur, debellato nullo fere labore tyranno, qui et a suorum odiis et ab hostium vindicta nihil non metuens, suam ipse aulam incendit, seque in eundem rogum furens injecit.

Similis quidem reipublicae conversionis meminerant Sinae, cum imperator Tching-tang, sex ante secula familiae regiae secundae Chang postea dictae, In, celeberrimus fundator, impium imperatorem Kie paterno imperio exuit anno 1768. Id tamen erat, inter utrumque facinus, discriminis, quod nec Kie occisus fuerat, sed fugatus in australes partes ibique elapso triennio placide mori permissus, nec illo tempore in ipsius domesticos regiosque administros fuerat saevitum. Unde Tching-tang in ipsa victoria tam clemens quam severus Ou-ouang videbatur; tempus etiam reprehensioni obnoxium erat, quod ante finem triennii, luctui paterno antiquis legibus praescripti, Ou-ouang arma induisset, duplicis proinde peccati erga patrem reus, et quod filialis pietatis morem non observasset, et paternae moderationis cunctationes non diu fuisset secutus. Ad exprobationes id genus adversariorum itaque refellendas opus erat apologia insinuatis imperii tunc capessendi causis, quae in libro quarto operis authentici Chou-king usque ad nauseam decantantur, et quidem multis capitibus quae complectitur pars haec operis ultima ideo Tcheou-chou historia denominata a gestis dictisque familiae regiae tertiae Tcheou quam Ouen-ouang et Ou-ouang fundarunt: iidem omnino qui certo sunt auctores omnium textuum qui jam leguntur in libro Y-king, seu potius in Tcheou-y. Ita enim librum Y-king (duo alii fuisse memorantur a nonnullis) quem solum habemus vocant omnes editiones, petito scilicet nomine ab eadem familia Tcheou a qua editus est.

Ad haec porro dicta factaque (ut dicetur in interpretatione) ita clare variis in locis alluditur in Tcheou-y, ut quae aperte in Tcheou-chou referuntur historice, eadem omnino videatur expressisse, licet obscurius,

princeps Tcheou-kong novi imperatoris Ou-ouang frater is siquidem explicationem figurarum Fohianarum a patre Ouen-ouang coeptam, adjecta cuilibet epigraphe, ita prosecutus est, ut ad unamquamque e sex linis ex quibus figura quaelibet constituitur, sententias alligaverit; quae tum ad demonstrandum fratris in rempublicam amorem, tum ad proxime praeteriti praesentisque regiminis discrimina indicanda ferme pertinent.

Atque hoc totum, quod pluribus exposuimus, paucis suo more observat Confucius in (Hi-tse) appendice ad suos in Y-king commentarios, affirmans verbis minime ambiguis: librum Tcheou-y versari circa negotia quae inter Ouen-ouang principem et Tcheou imperatorem extitere, postremis familiae In desinentis temporibus, et familia Tcheou jam virtutibus florente, et vero, ut Confucius aliique interpretes tacuissent, nunquid ipse liber hoc idem loquitur aperte? dum praecipuorum illa in imperii mutatione actorum [1]) nomina recenset, eorumque gesta ac consilia innuit; agens [2]) de eligendo principe et translatione [3]) imperii; de necessitate hujus rei faciendae; de opportunitate ad id quaerenda; de viis ad hunc finem ineundis, quales sunt v. g. rebelles [4]) parare, milites bene instruere, castra rite metari, foedus [5]) mutuum sincere sancire; de victoriae [6]) fructu, distributione domorum et agrorum; de rebus pacato imperio faciendis, inter quos est parentatio [7]) solemnis, et imperatorio ritu facienda suis avis in parentali aede Miao atque in patrio familiaeque Tcheou proprio monte Ki; cura [8]) thesauri regii augendi; constitutio [9]) poenarum contra improbos; legum anti-

1) *Vid.* figuras ut 36 aliasque. 2) 1. 3. 10. etc. 3) 1. 2. 3. 27. 4) 4. 13. 26. 5) 7. 5. 13. 18. 8. 6) 7. 3 etc. 7) 17. 45. 8) 41 etc. 9) 21.

quarum et novarum observatio; ceteraque id genus bene multa, ubique gentium, victoriam reique publicae mutationem consequi, solita: quae etiam de Caesare, Augusto et celebrioribus regnorum conditoribus annales nostri referunt; a posteris deinde suis, ob eximiam et (quod caput est) fortunatam rerum agendarum peritiam, ac ob bellicas civilesque virtutes, inter veros heroes, imo et inter Divos habitis; prorsus ut, si illis antiquis scriptoribus (Virgil. in Georgic.) creditur, coelum terraque illorum mortem praesentisse videantur:

Sol etiam extincto miseratus Caesare Romam,
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Impiaque aeternam timuerunt secula noctem,
Tempore quamquam illo Tellus quoque et aequora Ponti
Signa dabant.

Ex encomiis nimiis in libri Chi-king carminibus, alibique, inferebant aliqui Ouen-ouang et Ou-ouang principes non fuisse meros homines. Sed cum majora etiam dicta reperiantur de aliis tum apud Sinas tum apud nos, inanis est probatio qui enim nimis probat, nihil probat; ob haec coactus sum afferre similia e latinis.

Minora quidem sunt signa quae de Ou-ouang referuntur ab historicis Sinis, sed tamen illud in libris authenticis continuo repetitur, nihil ab eo principe factum sine coeli mandato, quo decreta erat tyranni punitio, ne scilicet populo invisa superis nova monarchia videatur; quod deinde exemplum secuti sunt alii regiarum familiarum viginti fundatores, paribus suorum encomiis celebrati.

Hanc vero in Ou-ouang venerationem auxit singularis ac inaudita munificentia tum erga cognatos eosque de se bene meritos, tum erga antiquas familias a

tyranno afflictas, quibus et dynastarum honores et ditiones contulit. Auxit insigni novi imperatoris clementia [1]) qui nullum occidi voluit nisi armatum. Auxit instituta post bellum vitae ratio non solum ab omni suspicione aliena; ita ut (fides sit penes Sinas) princeps iste videatur id observasse quod in Augusto nostri mirantur, refertque Suetonius: oportet nos nihil mali facere videri, nam privatis quidem hominibus satis est nihil delinquere, principibus nequidem suspectis esse licet. Auxit denique novi monarchae intenta in rempublicam cura, quam suis legibus atque factis pristino splendori restituit, producto ut loquuntur Sinae [2]) ad quatuor usque maria imperio; quod quidem hyperbolice dictum non inficiabor. Est tamen ejusmodi ut similia et forte etiam tumidiora apud nostros tum panegyristas tum poetas reperire sit v. g. apud Virgilium (Aen. 1.) dicitur:

. . . . illa inclita Roma
Imperium terris, animos aequabit Olympo;

sicut apud Sinas (Pei-tien-ti) aequatur coelo et terrae. Nihil itaque mirum si Ou-ouang, post partam victoriam, et reipublicae tam utilitas, et de nobilissima quaque familia adeo munifice meritus a grata posteritate tantis laudibus extollatur, ipsisque sinicae monarchiae conditoribus ac legislatoribus Fo-hi, Yao, Chun comparetur.

Principi autem Tcheou-kong auctori texturum [3]) libri Y-king erant praeterea aliae celebrandi tuendique fratris causae necessariae, ut per se patet, quippe

1) Apud Mencium lib. 1. cap. 7.

2) Chou-king lib. 4.

3) Texturum ad lineas cujusvis figuram vide supra et infra.

erat novo monarchae summa auctoritas et gratia. Omnis itaque injustitiae culpa elevanda, vel levissimae ambitus suspiciones absterquendae, bonum ex mutato imperio exagerandum, aliaque id genus quae decent principem eximie politicum summumque postea imperii totius multos annos administrum. Se enim talem ipse Tcheou-kong exhibet suis in orationibus ac documentis quibus abundat liber Chou-king.

Talem exprimunt historici Sinae veteres et novi. Conari proinde ex illo principe jam effingere aliquem aut mystam aut mythologum aut sophistam, nihil aliud est quam cum nonnullis Sinis hariolis fumos vendere, et rei certae notaeque velle figmentum substituere. Quisquis enim, aiebat in dissimili licet causa imperator Marcianus vere tamen de omni inquisitione, post veritatem repertam ulterius discutit, mendacium quaerit [1]).

CAPUT OCTAVUM.

Cum libri argumentum sit hujus generis quod rerum gestarum memoriam requirat, vel ex hoc necesse est existere tenebras variis in locis, a seris nepotibus minime dissipandas. Nam annales praeter illu-

1) Cum nostris loquendi formulis assueti damnare plerique soleant peregrinas, non abs re judicamus sinicas cum latinis interdum conferre, ut de tota re aequius judicetur.

Ipsi Sinarum doctissimi monent, nec metaphoricis, nec hyperbolicis locutionibus ita inhaerendum, ut in his stet interpres vimque faciat, sed modum, ex auctorum mente ac fine, his ponere sciat. Sapiens, ait Mencius lib. 2., interpres libri Chi-king, i. e. libri Odarum, non debet accipere verba ut sententiae noceant .... Sed mature riteque expensis omnibus sensum definire ac velut ex iis eruere; exempla affert ex Oda Yun-kan imo et ex libro historiae Chou-king; vide partem tertiam quae hoc habet.

stria quaedam facta dictaque quae rempublicam spectant, cetera quae sunt velut privata et domestica vix attingunt. In tanta scilicet imperii mutatione silent quae sint adhibitae ad rem maturandam callidae machinationes, quae inita clandestina concilia; quibus suasionibus, conjecturis, susurris, plures ad idem inducti; cum quibus clancularia esset studiorum conciliorumque communicatio; quis aut quae, tum in aula tum extra aulam, res misceret. Narrant quidem crudelem reginam Ta-ki maximam in omni aulae imperiique administratione partem habuisse. At, quibus sit illa usa conciliorum arbitris, quibus sermonibus promissis, minis, et insidiosis artibus, non referunt. Narrant etiam principem Ouen-ouang carcere fuisse illo tempore liberatum, opera unius puellae forma eximia ceteris-que dotibus praeditae, ac in interius palatium submissae a subditis amicisque principis, id tres annos frustra antea aliter conatis.

At ex his, caeterisque id genus, pendere tamen manifestum est, integram explicationem similium librorum. Nihil proinde mirum quandoquidem ex antiquis principum Ouen-ouang et Ou-ouang aetate gestis multa aut parum aut nullatenus cognita sint, si sensus libri Tcheou-y haberi non potest pro integro, pro ubique explorato, pro plane tradito (quod deplorant aliqui auctores in suis commentariis), sed pro interpolato ac mutilo, qui, ex his quae sciuntur, conjiciendo ac velut divinando interdum habeatur [1]).

Quae vaticinantur harioli Sinae plebei, non proferunt ut dicta ad mentem auctoris Ouen-ouang, sed ut bona vel mala omina ex dictis a se accepta, dataque petentibus, de quo discrimine iterum agemus infra, cap. 59., quod annotamus, ne quis putet duplicem his sententiis subesse sensum nationis Sinicae.

1) Historia Sinica antiqua et Kang-mou novae historiae, pau-

Quod idem accidit non paucis nostrorum tum antiquorum tum recentiorum opusculis; iis scilicet quorum aut vis aut lepor positus est in allusionibus, metaphoris, vocibusque quibusdam, alia jam dicta factaque raptim perstringentibus. Quis v. g. Ciceronis epistolas ad Atticum omnino intelligit? multa nempe nos latent de Pompejo totiusque Triumviratus arcana ac domestica historia, tunc utrique scribenti prorsus cognita, quae proinde satis erat uno verbulo subindicare. Idem de Catullo dictum puta, cujus epigrammata, aequalibus Romanis in deliciis, nostris jam hujus aetatis hominibus ideo pleraque non sapiunt quod lepidas ad curiam personasque allusiones, jocosque nesciamus. Quod potius veriusque cadere patet in satyricos Persium et Juvenalem, aliosque, et quidem etiam in satis recentiores, v. g. in auctores famosae satyrae quae catholicum hispanicum, seu Menipea, proprio nomine vocata est: cujus joci posteris, rerum illius temporis insciis, fiunt inficeti, eo insulsioros (opinor) seris nepotibus futuri quo magis nostris patribus placuerunt.

---

cioribus quam par est verbis gesta narrat; unde fit ut versio ipsa ferme sit jejuna, nisi dilatetur ab historicis, v. g. a Tso-chi, antiquissimo scriptore, de quo infra fusius diss. 6. et ex speculo historico Tong-kien (kien sinice est speculum) augeaturque ex his quae referunt, suis in notis ad textum historiae litteris majoribus edi solitum commentarii simul impressi; atenim, quo res antiquiores sunt eo pauciora in his reperire est. De Ouen-ouang vero filiisque vix aliqua alicujus momenti, extra libros Chou-king et Chi-king quae tamen non omittemus in interpretationibus.

Quoties in Sinicis libri Y-king commentariis annotatur distinctam alicujus textus aut particulae notitiam non habere, toties id nos lectorem monebimus, unde intelliget paucas esse id genus sententias puta 20 ex 448.

Nec dubium quin quas illi auctores nostri habuerunt ita scribendi causas, periculosas nimirum animorum offensiones, eaedem suadere potuerint principi Tcheou-kong obscuritatem. Quaestionis enim tractandae natura erat odiosa; huc siquidem tota recidebat: an licuisset exauctorare familiam regiam (In vel Chang) secundam, e qua erant adhuc principes nonnullo etiam eximii, ut tyranni Tcheou fratres Ki-toe et Ouei-tse quorum jam meminimus, et suam domum (Tcheou) quantumvis virtutis fama meritisque florentem superinducere. Quae disputatio et olim post primam regiam domum Hia [1]) a clarissimo principe Tching-tang extinctam, agitari coeperat; et majore etiam contentione, sub primo imperatore Leou-pang [2]) quintae familiae (Han) jactata fuit: aliis doctorum Sinarum aïentibus, imperatores Tching-tang et Ou-ouang fuisse quidem gubernandi peritissimos, virosque excellentes, at utrique tamen ad solium ascendenti idem evenisse (ut utar verbis doctoris Tchao-tse) quod soli eclipsim patienti, usurpationis nimirum macula virtutum regiarum splendore aliquamdiu adumbrato: aliis philosophis contra mordicus tuentibus, nihil illos principes fecisse non aequum, non decorum, quos scilicet populorum oppressorum vox, coelestis mandati interpres ad thronum imperiumque vocaverat, quibus tandem omnibus silentium decreto regio impositum est; cum novus imperator, cujus jus regnique aequitas, ita in dubium, veterum fundatorum nomine, vocari videbatur, utrique parti ediceret: hanc quaestionem non esse philosophorum ad quos solae scientiae pertinerent, sed principum quibus reipublicae cura incumberet.

1) Mencius lib. 1. 8. 34. refertur infra, parte 2.

2) Leou-pang dictus Han-kao-tsou coepit ante Chr. 206.

Atque haec omnia ideo fusius forte quam necesse erat exponenda censuimus, ut facilius intelligantur quaedam quae apud Sinas interpretes tanquam invicem pugnantia reperiuntur, atque adeo lectorem minus ad omnia attentum in varios errores inducere facile possunt. Si enim aliquos [1]) Sinas auctores audias, periit nobis sensus libri Y-king. Exempli gratia, doctor Lai-chi-te qui floruit decimo-sexto seculo, sua in expostulatione contra interpretes familiae regiae Ming tunc dominantis, quorum expositiones, ut et doctorum familiae Song pleraeque, leguntur in pandectis philosophicis (Sing-li-ta-tsuen), ita denique concludit: a morte Confucii doctrina libri Y-king concidit; liber Y-king opus quatuor [2]) sanctorum, incidit in longam noctem jam a duobus amplius millibus annorum. E contra, doctor Kong-in-ta dominante familia Tang celeberrimus, sub initium septimi seculi, in sua commentariorum praefatione asserit probatque libri Y-king traditionem esse constantem ac certam; et doctor Tching-tse XIII. seculi interpres, in epitaphio seu encomio clarissimi inter illos philosophi Tchao-tse, ait: sola doctrina (agitur de Y-king, in quo libro imprimis illustrando desudavit multis annis), quam excellens ille vir coluit, nunquam fuit interrupta, illa sola ad nos certa successione pervenit; (in Sing-li lib. Tao-tong). Volunt siquidem scriptores isti solum librum Y-king, cum suis commentariis, ex generali librorum (quod aeram christianam duobus amplius seculis praecessit) incendio evasisse; atque adeo solum ex quinque (King) authenticis libris sincerum intactumque fuisse servatum, quod an satis

1) His ad litteram illi missionarii adhaerebant, qui mysteria, Sinis ignota, Y-king libro affingere conabantur.

2) Fo-hi, Quen-ouang, Tcheou-kong, Kong-tse.

probent, hic non expendimus; utroque demus, textus libri Y-king eosdem fuisse qui nunc leguntur.

Verum ex dictis jam constat sensum ejusdem libri propagatum fuisse ad posteros, sed nec integrum nec ubique exploratum; utpote ex rerum gestarum ad quas alluditur oblivione, variis [1]) in locis ita intercisum, ut continua illius operis series, ac velut contextus haberi non possit totus cujus proinde tenebras, non solum aetas duorum (ut aiebat Lai-chi-te) millium annorum, sed quantavis supponatur, nunquam dissipatura est. Ineptum est siquidem velle, ut, quo remotiores sunt interpretes ab auctoribus libri Y-king, quae ex illorum notitia pendent eo melius intelligant, licet nulla nova antiquitatis monumenta eis occurrant.

Nec minus ineptum videretur propugnare, nullam exstare apud Sinas de libro Y-king traditionem: quam ipsi non solum apud se semper fuisse vulgo affirmant, sed etiam manifestam faciunt, adductis per singulas aetates doctorum nominibus, per quorum manus illam posteritas accepit, et quorum commentationes adhuc pleraeque extant.

A Confucio (narrat Kong-in-ta, quem sequuntur regii commentarii in libro proemiali) traditus fuit liber Y-king, cum suis commentariis [2]), discipulo Tchang-ku-tse-mou; a Tse-mou, doctori Kiao-pi-tse-yang. Ab eo illum habuit Han-pi-tse-kong; huic successere Tcheou-tse-hia, Tsum-ou-tse-tching et Tien-ho, qui fuit incendio librorum proximus. Istum excepere Ouang-tong-sse-tchong, Leang-jing-ting-koen,

1) Circiter viginti.

2) Extant Confucii commentarii libri Y-king, dicti Toen et Siang, vide infra.

Tien-ouang-tsun, Che-tcheou, Tchang-yu post hos, secundo christianae aerae seculo, clari imprimis fuerunt tres, Fei-tchi, Tching-huen et Ouang-pi, cui potissimum debetur doctrina libri Y-king, quae a tam multis seculis viget.

Licet autem Li-chi, in vita doctoris Ouang-pi scribat, aliique in commentariis regiis fateantur, illum auctorem fuisse dum vixit studiosum doctrinae magistri Lao-tse, quem bonzaica secta Tao-kia parentem cognoscit; illius tamen commentarii principem locum habent in collectione librorum quae jussu imperatoris primi (629 aerae christianae) familiae regiae Tang edita est, appellataque Chi-san-king: et illius sententiae insistunt ceteri qui in illo opere partem habuerunt: ut ex hoc vel satis appareat, eos in antiquis opusculis anteaque editis commentariis nihil reperire potuisse melius, quod eo magis mirum est, quo certius constat ex historia doctorem Ouang-pi valde juvenem mortuum esse; anno aetatis, ait Li-chi scriptor vitae virorum illustrium, vigesimo quarto.

Nec tamen ita intelligenda sunt quae de sua traditione aliquoties magnificentius praedicant Sinae, ut omnia in libro Y-king ipsis aperta ac perspecta esse credamus. Nam praecipui interpretes ac velut eorum jam principes, Tching-tse et Tchou-tse similesque, fama toto imperio celeberrimi, suis in commentariis utro profitentur, non uno in loco (quot loca vide supra), sensum propositi textus a se suisque nesciri. Satis itaque habent pleraque intelligere, et suis notis ita explicare ut magnificis illis quae praefati sunt encomiis non indigna videantur.

Ceterum liber Y-king, seu Tcheou-y, licet sensum offerat interdum ita involutum, nihilominus ejusdem est auctoritatis ac quatuor alii vetusti qui a

genia tota authentici ac velut canonici habentur, tum quod antiqua obscuritas uti apud alios populos ita apud Sinas, suam habeat veneration em, plerisque eo magis admirantibus quo minus intelligunt; tum quod commendationem quam maximam totus textus accipiat ab auctoribus Ouen-ouang et Tcheou-kong quibus non norunt Sinae principes virtute meliores, nec non ab ejus interprete Confucio philosophorum principe, quod nulli alii ex libris authenticis contigit; tum denique quod multa ad imperii regimen (quod inter sapientes id genus Sinas est potissimum) utilia aut necessaria complectatur.

CAPUT NONUM.

Maximos profecto Confucii in interpretando conatus demonstrant tam multa (quae decem Chi-y vulgo nominantur) commentaria: quorum alia omnino certa sinceraque, alia vel dubia vel saltem adulterata, dudum a peritioribus merito habentur, quin et idem Sinarum philosophorum princeps dicitur, cum suis illis opusculis necdum acquiesceret, jam senior novum opus meditatus fuisse, quod viri mors posteritati invidit.

Dolendum sane! nam in iis commentariis quae Toen et Siang sinice nominantur, suntque genuina philosophi opera, nullus negaverit imprimis perspicuitatem: sive quod multa ad perfectam rerum intelligentiam necessaria longo quinque amplius seculorum lapsu, jam ex hominum memoria excidissent: sive quod involutum adhuc relinquendum sibi putaverit, quod non posset feliciter explicare ac velut demonstrare; potius habens politico-moralem (quod etiam in aliis operibus observatur) philosophum agere, et ex occasione tum figurarum, totius velut naturae symbo-

lorum, tum sententiarum rerumque gestarum a primis regiae familiae Tcheou, tunc dominantis, fundatoribus, praecepta politica et moralia ad formandos principes populosque tradere.

Florebat siquidem Confucius [1]) regnante King-ouang [2]) imperatore vigesimo quinto post Ou-ouang factum imperii dominum ob ingentem imprimis tum ipsius tum patris Ouen-ouang virtutum famam; haec prima initia, ex quibus ad solium tandem perventum erat, non expediebat penitius perscrutari; sed inter ea sola facta, quae nota populo ac publica essent, satius erat consistere.

Ipse praeterea liber Y-king, licet non solis jam prisci Fohi figuris, sed etiam duorum principum Ouen-ouang et Tcheou-kong sententiis constans, rursus illa aetate ad divinationem, omina, atque alios varios usus, ab imperita plebecula revocatus fuerat.

Huic malo, quod sapientes omnes invalescere dolebant, remedium facturus Confucius, in hoc potissimum immorari interpretando debuit, ut populum doceret imperii bona et fortunam ex politica bonaque disciplina profluere, mala vero atque infortunia ex illis neglectis. Verum proinde est dictum doctoris olim [3]) clarissimi Nyeou-yang: Sina Confucio ipse Ouen-ouang pro hariolo habitus fuisset, ab infima scilicet plebe, ubique gentium indolis superstitiosae.

Hanc autem maculam et a regiae familiae Tcheou conditoribus abstergebat, et populum ad infortuniorum causas revocabat philosophus, imperatorem suum

1) Natus sub Ling-ouang, Imp. 23. ante Chr. 550.
2) Ante Chr. 518.
3) Vixit floruitque saeculo christianae 1064 circa.

King-ouang ac Regulos (quod genti utilius gratiusque erat auguriis omnibusque) adhortans ad rectam administrationem, omniaque exigi volens ad priscas Sinici imperii leges, quod et ipse praefecturam regni Lou adeptus, reipsa praestitisse dicitur, magna inde libri Yking seu Tcheou-y, fama, tertiumque auctoritas, tanti viri definitione multiplicique scripto vindicata, nec enim unamquamque a principe Ouen-ouang figuris affixam epigraphen duntaxat explicat commentario quem Toan nominat, quod rem veluti secet ac summatim decidat, uti notat doctor Ouang-pi, sed etiam singulas filii Tcheou-kong sententias ac epiphonemata alio exponit commentario nomine Siang, quod scilicet ab imaginibus figurisque, velut rerum naturalium symbolis, disserendi initium faciat.

Cetera autem, quae plerumque Confucio tribuuntur, in Y-king opuscula, nihil aliud esse videntur, quam commentariorum supplementa, ab ipso minime conscripta, sed ab illius ore, a discipulis excepta; ut constat de libro ipso Lun-yu, inter Sse-chou tertio. Incertum quidem quisnam ista litteris commiserit, at certum videtur aucta deinde fuisse non paucis articulis, qui a constanti Confucio doctrina abhorrent. Haec sane quidem, sola regula, a certis, dubia saepe secerni possunt.

Illa porro inter opuscula locum primum damus (ut solet fieri in omnibus editionibus) illi quod Hi-tse Sinice inscribitur, et latine a nobis appellatum est appendix ad commentarios Toan et Siang, de quibus dictum est; dividiturque eorum exemplo in duas partes.

Secundum, vocatum Ouen-yen, non habet nisi pauca de eadem doctrina dicta.

Tertium Chouo-kouo-tchouen nominatur et haberi potest inter analecta ad figurarum interpretationem.

Quartum appellatur Tse-koua-tchouen, estque de naturali figurarum inter se ordine.

Quintum est Tsa-koua-tchouen, de iisdem figuris mixtim sumptis.

Sed de his fusè in parte operis nostri tertia agendum erit, quae erit tota de explicatione et disquisitione illorum opusculorum. Solent haec imprimi in fine tomi secundi ultimique libri Y-king seu Tcheou-y, post sexaginta-quatuor figurarum genuinos cartosque textus, auctoribus principibus Ouen-ouang et Tcheou-kong, nec non edi una solitos philosophi Confucii veros commentarios Toan et Siang.

Licet autem vasta sint horum opusculorum quae retulimus nomina, brevitatis tamen causa parti tertiae elucubrationis hujus nostrae titulum fecimus: pars tertia, de critice appendicum ad librum Y-king.

MONITUM.

Nomine libri Y-king vulgo et lato sensu intelliguntur omnia opuscula quae solent imprimi sub hoc titulo, et dividi in duos tomos, qui complectantur quatuor Kouas seu libros. Horum duo primi praeter quasdam prolegomena, quae vocantur Tcheou-y-chang-pen, Tcheou-y-hia-pen (seu Y-king primus tomus, secundus tomus) habent soli figuras textusque principum Ouen-ouang et Tcheou-kong. Tertius et quartus tomi secundi habent textus Confucianae appendicis, dictae Hi-tse, et aliorum quatuor opusculorum quorum meminimus. Dum ergo citatur liber primus aut secundus cogitandum est ita sentire principes Ouen-ouang et Tcheou-kong, summae apud Sinas auctoritatis. Libris omnibus post praefationem praeponi solent aliqua velut prolegomena Che-y (modus utendi virgultis herbae Che). Koua-ko cantilena de nominibus mutationum Koua, quae memoriae causa facta est. Figura Fohi dicta Ho-tou; principio Ta-yu figura Lo-chou;

figuras duas octo Koua a Fohi; ejusdem nomine duas figuras 64 Koua; principis Ouen-ouang duas etiam figuras octo Koua, quas scilicet antiqui Fo-hi octo Koua alio modo habent disposita, ita ut quae erant olim supra jam sint infra dicunturque Koua seu mutationes coeli posterioris Heou-tien, nempe figuris Fo-hi dictis ibidem Sien-tien, coeli prioris. Quae omnia vix aliquid faciunt ad veri textus explicationem, et in editione imperatoris jussu nuper facta, aliisque notas maioris, rejiciuntur in calcem operis post sinceros libri textus.

CAPUT DECIMUM.

Hactenus locuti sumus de solo Tcheou-y, cujus solius textus a principibus Ouen-ouang et Tcheou-kong familiae regiae Tcheou, et a philosopho Confucio in eos commentaria, cum hac aetate jam habeamus solos exponendos, suscepimus. In libro tamen antiquo, licet non indubitatae fidei Tcheou-li memorantur tria nomina, quae aut tres [1]) olim fuisse libros Y-king, vel eundem sub tribus primis regiis familiis aliter nominatum, interpretum non paucis indicare visa sunt. Liber Y-king (ait doctor Teou-che-chan in commentariis regiis) dictus Lien-chan est principis Fohi; at qui vocatur Hoei-tsan est imperatoris Hoang-ti.

Ab hujus opinione longe abest doctor Tching-kang-tching in iisdem commentariis citatus, ait enim: liber Y-king sub prima familia Hia vocabatur Lien-chan-y; sub secunda familia In appellabatur Hoei-tsan-y; et sub tertia familia Tcheou nomine

1) *Iidem qui supra*; tribus ex his King conjiciebant adumbrates vel notos olim fuisse tres status naturae, integrae, lapsae, reparatae. Idem attuli quae Sinae probabilibus dicunt de jam non existentibus.

natus est Tcheou-y; conaturque afferre harum denominationum causas, quae ibidem exploduntur et minime fundatae declarantur, inanes reipsa sunt; cum (additur) qui nos praecessere litterati haec ut inutilia abjecerint, nihil opus nos illa resumere. Si tamen stare voluimus, maxime per omnes aetates librorum numero, dicendum est, a loco, tum principem Chin-kong, qui Fo-hi successit, dictum esse Lien-chan, tum imperatorem Hoang-ti cognominatum Hoei-tsan, atque adeo haec dua vocabula esse familiarum utriusque cognomina, quemadmodum constat librum Tcheou-y ita appellari a familia Tcheou, mutuato nomine a regione Tcheou in qua est Ki-chan antiqua patria fundatorum illius tertiae [1]) domus imperatoriae, quae retento dynastiae paternae nomine dicta est Tcheou-tchao.

Nec dubium esse potest quin Chin-nong figuras, quas praedecessor Fo-hi ad naturae explicationem adhibuerat, eas traducere potuerit ad herbas salubres ac medicinales suas in classes distribuendas; ex quibus forte confectum fuit herbariolum quod illi ab historicis tribuitur, cujus una tantum pars ad posteros integra pervenerit. Nam cum lineae, ut notavimus, elementares ——, —— nihil naturae sua significent; sicut a Fo-hi suppositae sunt velut symbola primorum physices principiorum Yn et Yang, ita a Chin-nong assumi potuerunt pro Kang et Jeou [2]); (quae duo etiam nomina non minus saepe habent libri veteres) pro siccitate et humiditate, vel pro calore et frigore, atque deinde fieri ex his, ad imitationem praedecessoris Fo-hi, variae combinationes ipsa linearum

1) Familia prima Hia-tchao, familia secunda Chang-tchao, tertia Tcheou.

2) Jeou, mollis, debilis etc. Kang, durum, quod non cedit, firmum etc.

permutatione exprimendae; si ponatur (in historia Kang-kien notatur) imperator Chin-nong herbas, in quibus colligendis ac dignoscendis tam feliciter laboravit, revocasse ad quatuor genera seu quatuor generales classes; vel, habita ratione gustus, dulces, amaras, acidas, salsas; vel spectata earum natura, calidas, frigidas, alsas, trepidas. Hae omnes exhiberi ab illo rite potuerunt quatuor illis figuris quae (Sse-siang) quatuor imagines dicuntur in Y-king fundatoris Fo-hi. Nihil ergo obstitit quo minus liber permutationum (Y-king), lineis figurisque ab imperatore Chin-nong ad herbas traductis, appellari potuerit, vel etiam prodierit sub nomine familiae, dictus Lien-chang-y.

Idem dicendum de imperatore Hoang-ti, qui potissimum incubuisse narratur in civilem statum rite ordinandum, moresque hominum componendos. Illi fuit etiam integrum, duorum praedecessorum exemplo, ne illis minor videatur, duo prima illa figurarum elementa ———, —— —— velle esse symbola virtutum Jin et Y, pietatis subditorum, et justitiae regis; ex quibus patet deinde progressio ad alia civilia officia distinctius explicanda, iisdemque conditoris Fo-hi figuris exprimenda. Facilius adhuc fuit, si quatuor imaginibus (Se-siang) assignaverit Hoang-ti quatuor virtutes, quae a Sinis velut cardinales vulgo habentur (jin, li, tchi, y) pietas, civilitas, prudentia, justitia (ex Kang-kien historia). Ita ut liber ille secundus, cujus antiqua extat mentio, fuerit liber de permutationibus (Y-king) linearum, tanquam virtutum officiorumque symbolis a Hoang-ti assumptis; cujus familia, a loco, seu patrimoniali regione nominata sit Hoei-tsan.

Ad haec credibile est alludi in opusculo Confuciano Choue-koua-tchouen: „antiqui sancti volentes explicare qua ratione coelum operetur, Seang-y, duo elementa ———, — — vocaverunt Yn et Yang ad terrae agendi modum suis exponendum, duas lineas ———, — — supponere voluerunt pro Jeou et Kang, molli et duro seu firmo, vel potius humido et sicco. At in regula morum hominibus danda Jin et Y, pietatem ac justitiam, elementaribus lineis ———, — — exprimi voluere.“

Ut ut sit, cum omnino constet sola in libris Sinicis etiam vetustis extare nomina Sien-chang-y, Hoei-tsan-y, aliaque id genus v. g. San-fen, ita ut unus supersit Y-king dictus Tcheou-y, manifestum est, nihil certi ac explorati de illis jam sigillatim afferri posse. Ariolationes ac conjecturae, tum ex nomine, tum ex quibusdam figuris apocryphis, ideisque scholae Sinicae hactenus ignotis, auctorum suorum temeritatem demonstrant, nec tamen nodum dissolvunt.

CAPUT UNDECIMUM ET ULTIMUM.

Nunc vero ut ad ipsam libri interpretationem veniamus, nonnulla praetermittenda sunt, quae, ex dictis, ni fallor, intelliguntur.

Illud primum, quamvis nomine Y-king edantur omnia illa monumenta quae sigillatim recensuimus, non omnia tamen sunt ejusdem nec antiquitatis nec auctoritatis, qua distinctione occurritur multis de libri fide disputationibus, mea quidem sententia, inanibus.

Illud secundum, veram sinceramque libri Y-king explicationem pendere unice, non ex figuris sive trium seu sex linearum, quae ut per se pater nihil natura sua significant, sed ex ipsis textibus ab utroque principe

Ouen-ouang et Tcheou-kong figurae cuilibet annexis, prorsus ut ad illos, veluti totidem regulas, suum commentarium non exigere, nihil aliud sit quam ultro citroque aberrare, et quidem eo longius quo plus laboris quacumque alia via susceptum fuerit.

Denique, si liber Y-king seu Tcheou-y (ut debet et fit) consideretur ut constans ex figuris, sexaginta-quatuor conditoris Fo-hi; ex principum Ouen-ouang et Tcheou-kong textibus; et ex subjectis a Confucio interpretationibus; quae vulgo magnis characteribus simul typis excuduntur; certum est illum complecti desumpta ex figuris, veluti rerum naturalium symbolis pleraque ethico-politica, occasione translati imperii ad novam familiam Tcheou, atque in hoc argumento soloque totum librum Tcheou-y versari. Possumus proinde tuto inhaerere definitioni doctoris Ouen-tchong-kong: „figura, ait, istae Koua dictae nihil aliud sunt, quam bonorum malorumque ex recto perversoque regimine existentium imagines.“

Caeterum, cum lingua Sinica (quod dudum etiam in Europa notum est) nominum declinationibus, verborumque conjugationibus, atque variis particulis careat, nihil vetat quominus casuum et temporum mutatione, si illa explicationi lucem affert, caeterorum interpretum exemplo, interdum utamur. Nam hac ipsa grammaticali facultate utendum sibi censuerunt doctores Tartari Mantchou, qui hodierni imperatoris jussu librum Tcheou-y (qui est Y-king tertiae familiae Tcheou solusque superest) suam in linguam verterunt. Cum quorum authentica versione, utpote aequivocis minus obnoxia (quoad librum primum et secundum) accurate collata est versio latina haec nostra, quam velut genuinum textum proponimus et explicamus.

Collatio versionis Tartaricae cum textu Sinico facta est in primo et secunda libro editionis communis, indubitatos operis Y-king textus continentibus. Est enim hic opus hic labor, quae vulgo sunt in tertio et quarto libro, rejectaque sunt in hac nostra opella ad tertiam partem, minus habent difficultatis quoad sensum obvium, sed (meo quidem judicio) plus quoad criticem.

Caeterum, cum in secunda parte potissimum sequar editionem ultimam imperatoris jussu factam adjectosque commentarios ad illam recurrendum erit, si qui citationes expendere voluerit, nisi forte aliter in margine notetur. Qui autem textus sunt in primo et secundo Kuen editionis communis implent duodecim Kuen editionis regiae; citationes itaque utrius editionis valde diversae.

DISSERTATIONES ET NOTAE CRITICAE,

IN PRIMAM PARTEM COMMENTARII Y-KING.

DISSERTATIO PRIMA.

Princeps Fo-hi [1]) fuit conditor monarchiae Sinicae, et auctor figurarum libri Y-king, quae sinice Koua nominantur. Agitur hic de Pa-koua, nam aliae etiam figurae 64, dicuntur Koua de quibus est dissertatio septima.

Propositionis pars prima satis superque probata censenda est, primo, auctoritate earum historiarum quae imperatorum ac supremorum tribunalium jussu editae, totiusque imperii applausu receptae, a decem amplius seculis summam hactenus fidem obtinuere; ita magni imperii annales Nien-y-se [2]), ita celeberrimae historiae Tong-kien, Kang-kien [3]) quae opera satis est evolvere, ad omne dubium de Sinicae gentis conditore, ejusque duobus successoribus [4]) Chin-nong et Hoang-ti tollendum. Ita sigillatim narrant multa;

1) Fo-hi ex sententia omnium ferme Sinar. histor. chronolog. interpr. est dicendus vixisse ante Chr. anno 2952, aliqui uno aut duobus annis imminunt hunc numerum; nulli, probatae genti fidei, multum infra hos numeros deprimunt initium.

2) Nien-y-se, seu annales historiae, nempe 21 dynastiarum tempora usque ad Ming, in unum collectae, plusquam 300 tomis complectitur haec collectio opera historicorum regiarum qui sub illis vixerunt. Ex his erant Tong-kien, in illis ea, haec obiter et incidenter, conditoris Fo-hi mentio.

3) In Tong-kien-kang-mou imperatoris Kang-hi.

4) Rerum gestarum sub Chin-nong et Hoang-ti fit mentio in Lou-hing cap. 3. libri sexti Chou-king, vide discurs. 8.

ubi nati sint et a quibus parentibus? ubi aulam posuerint? qui fuerint praecipui illorum administri? quas leges sanxerint? quibus imprimis rebus vacaverint? quos filios habuerint etc.

Probatur secundo, testimonio principis philosophorum Confucii, multis seculis ipso annalium auctore antiquioris. Is enim in opusculis Hi-tse parte secunda [1]), semel atque iterum primum monarchiae conditorem appellat Pao-hi, vel (ut inter omnes convenit) Fo-hi; „quo mortuo, inquit, Chin-hong successit, et post hujus mortem Hoang-ti" [2]).

Probatur tertio, auctoritate libri Li-ki qui inter quinque authenticos jam habetur. Eadem enim ille habet quae Confucius, a nullo commentatorum tum veterum tum recentiorum in suspicionem vel levem vocata. Eadem veteres omnes libri. Ad haec refellenda vel unus proferatur auctor, aut Confucio antiquior, aut libri Li-ki receptior, aut magnorum annalium scriptore in colligendis veterum monumentis accuratior; id dum non fit, sed merae conjecturae ac dubitationes contra afferuntur, nihil profecto obtineri potest.

Ast in historiam principis Fo-hi, inquiunt, irrepsere quaedam fabulosa, v. g. de matre ipsius Hoa-siu, quae dicitur concepisse dum forte gigantis vestigium premeret, lucidaque iride cingeretur; verum qui haec de hac

1) Idem in Confuciano Kia-yu et in Tcheou-li, libris saltem quovis historico et annalista Han-tchao antiquioribus, editi sunt, duobus seculis ante Chr. Sub Han-tchao, Kong-yan-koue, primus conditor antiquioris historiae libri Chou-king id clare dicit in libello imperatoris oblato, loquens de imperio: „a Fo-hi coeptum, ait, et ab eo historiae principium repetendum" natus sub King-ti, qui coepit ao. Chr. 156 regnare.

2) In urbe Tchin-choou provinciae Ho-nan visitur locus sepulchralis conditoris Fo-hi cognominati etiam Tai-hao, proceris

DISSERTATIONES ET NOTAE CRITICAE,

IN PRIMAM PARTEM COMMENTARII Y-KING.

DISSERTATIO PRIMA.

Princeps Fo-hi [1]) fuit conditor monarchiae Sinicae, et auctor figurarum libri Y-king, quae sinice Koua nominantur. Agitur hic de Pa-koua, nam aliae etiam figurae 64, dicuntur Koua de quibus est dissertatio septima.

Propositionis pars prima satis superque probata censenda est, primo, auctoritate earum historiarum quae imperatorum ac supremorum tribunalium jussu editae, totiusque imperii applausu receptae, a decem amplius seculis summam hactenus fidem obtinuere; ita magni imperii annales Nien-y-se [2]), ita celeberrimae historiae Tong-kien, Kang-kien [3]) quae opera satis est evolvere, ad omne dubium de Sinicae gentis conditore, ejusque duobus successoribus [4]) Chin-nong et Hoang-ti tollendum. Ita sigillatim narrant multa;

---

1) Fo-hi ex sententia omnium ferme Sinar. histor. chronolog. interpr. est dicendus vixisse ante Chr. anno 2952, aliqui uno aut duobus annis imminuunt hunc numerum; nulli, probatae genti fidei, multum infra hos numeros deprimunt initium.

2) Nien-y-se, seu 21 historiae, nempe 21 dynastiarum imperii usque ad Ming, in unum collectae; plusquam 300 tomis complectitur haec collectio opera historicorum regiorum qui sub illis vixerunt. Ex his extat Tong-kien; in illis fit, licet obiter et incidenter, conditoris Fo-hi mentio.

3) In Tong-kien-kang-mou imperatoris Kang-hi.

4) Rerum gestarum sub Chin-nong et Hoang-ti fit mentio in Lou-king cap. 3. libri sexti Chou-king, vide dissert. 8.

ubi nati sint et a quibus parentibus? ubi aulam posuerint? qui fuerint praecipui illorum administri? quas leges sanxerint? quibus [illegible] [illegible]? quos filios habuerint etc.

Probatur secundo, testimonio principis philosophorum Confucii, multis seculis ipso annalium auctore antiquioris. Is enim in opusculis Hi-tse parte secunda [1]), semel atque iterum primum monarchiae conditorem appellat Pao-hi, vel (ut inter omnes convenit) Fo-hi; „quo mortuo, inquit, Chin-hong successit, et post hujus mortem Hoang-ti" [2]).

Probatur tertio, auctoritate libri Li-ki qui inter quinque authenticos jam habetur. Eadem enim ille habet quae Confucius, a nullo commentatorum tum veterum tum recentiorum in suspicionem vel levem vocata. Eadem veteres omnes libri. Ad haec refellenda vel unus proferatur auctor, aut Confucio antiquior, aut libri Li-ki receptior, aut magnorum annalium scriptore in colligendis veterum monumentis accuratior; id dum non fit, sed merae conjecturae ac dubitationes contra afferuntur, nihil profecto obtineri potest.

Ast in historiam principis Fo-hi, inquiunt, irrepsere quaedam fabulosa, v. g. de matre ipsius Hoa-siu, quae dicitur concepisse dum forte gigantis vestigium premeret, lucidaque iride cingeretur; verum qui haec de hac

1) Idem in Confuciano Kia-yu et in Tcheou-li, libris saltem quavis historico et annalista Han-tchao antiquioribus, editi sunt, duobus seculis ante Chr. Sub Han-tchao Kong-pan-koue, primus conditor antiquioris historiae libri Chou-king id clare dicit in libello imperatoris oblato, loquens de imperio: „a Fo-hi coeptum, ait, et ab eo historiae principium repetendum" natus sub King-ti, qui coepit ao. Chr. 156 regnare.

2) In urbe Tchin-choou provinciae Ho-nan visitur locus sepulchralis conditoris Fo-hi cognominati etiam Tai-hao, proceris

regina objiciunt, nonne similia legerunt de King matre legislatoris Yao, cujus tamen historia ab omnibus, nullo excepto, historicis Sinis asseritur, mater etiam principis Heou-tsie [1]), tertiae familiae regiae Tcheou patriarchae, pressisse et illa dicitur vestigium gigantis in ipso odarum authentico libro Chi-king? quid de recentioribus dicent historiis Tang, Song, Yuen? nonne (vid. part. 2. cap. 29.) habent prodigia de fundatoribus? cum igitur illos fateri necesse sit, nisi velim Sinicis monumentis certioribusque omnem fidem abrogari, nec curent a gente explodi atque exsibilari, principes Yao, Heou-tsie, aliosque id genus, olim apud Sinas floruisse, et multa praeclara gessisse, licet ad majorem eorum commendationem non vulgari hominum more geniti fuisse canantur, aut etiam fingantur, parum illi sibi constare censendi sunt, si ob nonnulla mira aut figmenta principis Fo-hi et successorum historiis inserta, vel politice dicta, illum monarchiae conditorem fuisse pernegant, et quidem inutili prorsus conatu, facilius enim persuaseris Romanis nullum Romae regnasse Romulum et Numam Pompilium, quorum alter a lupa ablactatus, alter a Dea Egeria institutus fuisse fingitur, quam Sinis principem Fo-hi non fuisse sinici imperii fundatorem.

ADNOTATIONES.

Martinium pro se adducit impugnator antiquitatis temporum, at immerito, nam ille verbis minime obscuris monet lectorem, velle persuadere Sinis, non extitisse primos illos imperii fundatores, rem esse plenam te-

---

ornatus arboribus vitaque annuo (velut parentationis) adhuc cultus; distat tribus stadiis ab urbe. Constat ex historia, a fundatoribus dynastiarum, misso legato ei parentatum, ut aliis illis prioribus legislatoribus.

1) Chi-king de Heou-tsi ode Pi-kong, Seng-min etc.

meritatis periculosae, propterea quod suae historiae non minus quam oraculo credant, nec se ab ea abduci opinione permissuri sint, quam a suis acceperunt. Haec itaque fuit Martini viri modestissimi sententia de antiquorum temporum computatione. Si textui hebraico adhaerere religio est, initium Sinicae historiae repetatur a legislatore Yao; at a Fo-hi, Chin-nong, Hoang-ti, si Sinarum auctoritatem sequimur.

Perspicuitatis gratia totum annalium Sinensium tempus in duo intervalla distingui a Sinis etiam solet; primum, ante Fo-hi, nihil fere habens certi, sed omnia populari traditione aut potius rumore transmissa, uti observatur ab annalium primis auctoribus, simile est secundo intervallo Varronis ad Olympiadem primam, quod μυθικὸν nominavit. Secundum Sinarum intervallum potiore jure a Sinis dici potest ἱστορικόν, complectens acta institutaque a Fo-hi ad nostram usque aetatem, et per cyclos digestum sexagenarios quorum anni singuli nota characteristica distinguntur, quae chronologiae ratio peritorum judicio certissima est, certior saltem graeca per Olympiades, ad rerum memoriam ordinemque breviores, ait nihilominus Africanus: „post Olympiades vero, quoniam quadriennio omnia diligenter renovabantur, nulla est prorsus temporum confusio.“ Quid ergo de Sinicis sentiendum? „Fo-hi, ait auctor annalium, memoratur in libris King, Idei sectae, a quo proinde ordiri annalium debent scriptores.“

Propositionis secunda pars non minus certa est, principem Fo-hi fuisse auctorem figurarum Koua, nam a Confucio expressis verbis, quorum aliqua retulimus, constanter asseritur, et in libris Li-ki, Y-king, aliisque omnium aetatum commentariis, tanquam indubitatum atque hactenus exploratum supponitur. Illud magis me movet, quod Confucius in opere Tschong-yong describens antiquissimum parentandi regium ritum, inter alia parentalis aulae ornamenta, ex Chou-king[1]), suo ordine collocari ab antiquis impera-

1) Glare in Chou-king part. 4. c. 24. seu l. 6. c. 3. Kou-ming.

toribus relicta vasa aliaque id genus, v. g. nudum vel purpureum ensem, coelestem sphaeram et mappam Ho-tou [1]) ad Croceum fluvium a Fo-hi inventam. Ita glossa communis, caeterique fere omnes commentarii, ex antiqua traditione, certum habent. Hinc enim rem, non solum antiquissimi philosophorum principis auctoritate testatam, sed etiam, repetita a primis monarchiae Sinicae temporibus consuetudine, in annuum aulae usum inductam, qua traditione nihil certius afferri potest apud gentem rituum priscorum tenacissimam.

„Sunt, ait Tcheou-tse [2]), qui dixere mappam Ho-tou non esse dignam fide, id a doctore Nyeou-yang ad nostram usque aetatem pervenit, verum caeteri omnes litterati doctoresque, You traditione, ad nos transmiserunt eosdem omnino numeros qui in mappa Ho-tou etiamnunc videntur" — ita ille recentiorum princeps, aliique ibidem laudati quos approbat imperator, adjecta his notis sua decisione.

Ne tamen auctoritate sola videamur agere, respondendum est argumentis quae affert illustris ille doctor, et quae hic in pauca contraho. In opusculo, ait, Hi-tse dicitur: „Ho-tchou-tou e fluvio exiit mappa, et vir excellens illam comprehensam habuit" — unde sequitur eam esse non ab homine mortali inventam, sed a coelo summissam. Quod si ita est, et a mappa originem habent Pa-koua (octo symbola), quonam pacto tribui possunt principi Fo-hi? Is tamen, alio in loco ejusdem opusculi, dicitur ex coeli, terrae, rerumque mortalium contemplatione initium dedisse suis octo figuris; quae proinde nihil jam erunt nisi humana inventa.

1) De tabula Pa-koua (ut deducitur ex mappa Ho-tou) dictum est supra cap. 3.

2) In comment. regiis, Tom. 19. pag. 3.

Sed huic difficultati, quae tota aequivoco nititur, jam capite quinto occurrimus, distinctione a philosophis adhiberi solita inter signum et rem significatam; ex mappa sibi oblata hausit princeps Fo-hi suas linearum combinationes, quas Koua appellavit; et esse mera signa ac symbola, rebus ex sola instituentis mente significandis idonea, manifestum est; ex ipsa autem naturae contemplatione, cuilibet rei naturali unum ex signis prius inventis assignavit, quo illa deinceps expressa intelligeretur. Sed de his satis.

ADNOTATIO.

In Kiao-feou provinciae Chang-tong oppido, est collis distans parum (duobus stadiis in hist. Kang-kien), in quo fuit sepultus Chao-hao, post Hoang-ti imperator; ita dictus quod esset parvus Hao seu alter Fo-hi. Ad partem australem illius sepulchri extat tabula lapidea vetus, in qua inscripta sunt Pa-koua octo symbola praedecessoris Fo-hi.

DISSERTATIO SECUNDA.

De numeris, qui dicuntur quatuor imaginum 6, 7, 8, 9 numeri, Soe-siang-chi-chou, id paucis statuimus capite tertio illos esse ex mappa Ho-tou oblata a principe Fo-hi desumptos. Cum enim mappa, quae figurarum origo asseritur, illos numeros vel ipsis oculis exhibeat, nihil opus fuit principi alio recurrere, nec nobis in causa ita facile obvia mysticas totique genti ignotas causas comminisci.

Illud praeterea per se patet quatuor illos tertii ambitus numeros non potius significare natura sua quatuor combinationes duarum linearum ——— , — — quam aliarum quarumcumque rerum; cum omnis numerus, ut docet tota philosophorum schola, sit quantitas abstracta a qualitate. Fuit itaque principi Fo-hi integrum edicere ut illi numeri 6, 7, 8, 9

debine supponent pro quatuor primis combinationibus, quam imagines Siang statuerat.

Quae proferri possunt scriptorum loca in quibus eorundem numerorum mentio fit, nihil reipsa aliud probant quam id quod capite tertio conclusimus, illos scilicet numeros perpetuo aliquot seculorum usu aestimandis quatuor imaginibus fuisse velut addictos. Reperiuntur siquidem illi indicati in libris interpretum, tum qui primo aerae christianae seculo floruere sub familia regia Han, tum qui seculo septimo sub familia Tang librorum veterum collectionis Chi-san-king nominatae auctores fuerunt; et multo fusius expositi atque exaggerati in commentariis sub Song et deinde sub Ming familiis regia auctoritate etiam editis.

Nec dubium ulli, nisi in his rebus peregrino, esse potest quin pro 6, 7, 8, 9 assumi possint alii numeri, v. g. 24, 28, 32, 36, ex quibus siquis mappam effinxerit, erit priscae illa similis, seu potius, ut loquuntur geometrae, in eadem ratione. Ast (notant etiam auctores physiologiae Sinicae Sing-li) semper verum erit ad priscae mappae imitationem novam hanc fuisse excogitatam.

Nec hic inquirimus quot mappae, et qua arte possint similes fieri antiquae, sed quae fuerit primi hujus auctoris Fo-hi mens ac methodus, ad quam proinde explicandam non faciunt nec proportionales nec aeque multipli, numerorum quorum notitia praesupponi debet; at, inquiet aliquis, unde erit periodus illa, inter recentiores imprimis interpretes famosa, Ta-yen, Tchi-chou, quae periodus libri Y-king a nostrorum nonnullis appellata est, et velut periodus luno-solaris proposita, constans 11,520 annis. Haec siquidem facile ita habetur, seque totam debet numeris libri

Y-king simul compositis, aut saltem secundum numerorum aequemultiplis: respondeo, quod parte tertia probabitur, hanc periodum non esse ita antiquam, nec periodos luno-solares nec annuam motus coelestis quantitatem, peti posse ex mappa, sed ex accuratis ac diuturnis observationibus motuum solis ac lunae. Numerus quinarius, qui mappae medium occupat, ducatur per ternarium, isque per quemcumque voluceris ex eadem desumptum, semper sophisticum erit colligere hanc summam esse mensurum aut motus annui aut periodi coelestis; cum nulla ratio ex mappa haberi possit cur assumpti numeri non ter, non quater, potius quam semel aut bis sint invicem aut multiplicandi aut mutuo addendi, et cur in hac potius quam in illa summa sit sistendum. Quemadmodum enim, nisi absurde, dici potest anni communis quantitatem 365 dierum originem habere v. g. ab annis patriarchae Henoch, qui in genesi numerantur omnes trecenti sexaginta quinque, licet inter utramque summam sit consensio, ita nihil inanius fingi potest periodis luni-solaribus, motuumque coelestium mensuris, ex eo definiendis quod illae convenire forte videantur cum calculis qui ex mappa inventa excerpi possunt.

Negandum est secundo numerum 11,520, qui vera periodus esse supponitur, non nisi ex ipsis mappae numeris effici posse. Si enim coelestem aut ex coelesti civilique revolutione efformatum velint, quod utique necesse esset ad aliquid probandum, habent in cyclis Sinicis unde illa deduci nullo negotio potest. Nam anni lunaris embolimici (jun) quantitatis ab antiquissimis etiam Sinis definita est 384 dierum; seculum Chi Sinice est 30 annorum; qui numeri invicem producti dabunt summam quae inquiritur, nempe 11,520.

Si vero agitur de numero seu periodo quae ex nullo astrorum motu, sed ex mero inventoris arbitrio pendeat, nihil vetat quominus ex mappa et libri Y-king figuris petatur, nam cum quaelibet figura (sunt autem sexaginta-quatuor) senis constet lineis, vel Yang ———, vel Yn — —, erit numerus linearum ——— Yang 192; qui si multiplicetur per 36 numerum etiam primae imaginis dictae Lao-yang, producet summam 6,912. Habebitur quaeque numerus 4,608, adductis 192 linearum —— —— Yn in numerum 24, qui spectat ad ultimam minimamque imaginem Lao-yn, et pro illa (ut dictum est) substitui potest; ex quibus productis exurgit summa 11,520. Verum nulla hactenus natio litteris scientiisque exculta sola periodo mere arbitraria usa est; esset quippe ad annorum characteres definiendos omnino inutilis, nec ullis certis chronologiae regulis adstringenda.

ADNOTATIONES.

Periodus 11,520 licet, numero dierum anni embolimici seu magni anni Sinici, 384, in numerum 30 seculi Sinici ducto, haberi possit, non est tamen luni-solaris. Continet quidem illa 192 cyclos sexagenarios Kia-tse Sinarum, at ille cyclus non restituit solis lunaeque locum ad eandem diem horamque. Nam resolutus in lunationes dat 742 menses integros, cum fractione non contemnenda; nec idem resolvi potest in integros cyclos metonicos 19 annorum, Sinis quanquam dudum notos; quandoquidem supersunt, post divisionem, tres anni, cyclis haud dubie addendi sequentibus. Cyclus itaque sexagenarius pro civili habendus est; uti a Sinis habitus est, eo solum utentibus ad distinguenda tempora, et historiae epochas, noto cycli numero et characteribus, v. g. Ting-mao qui sunt anni quarti perpetui indices.

Ergo, inquies, cyclus eadem non dat tempora, cum anni Sinici non constent aequali mensium lunarium numero? id equidem verum est, si astronomicus sit cycli usus apud Sinas, sed non ita est famosa periodus Juliana, aut Constantinopo-

natus est Tcheou-y; conaturque afferre harum denominationum causas, quae ibidem exploduntur et minime fundatae declarantur, inanes reipsa sunt; cum (additur) qui nos praecessere litterati haec ut inutilia abjecerint, nihil opus nos illa resumere. Si tamen stare volumus, maximo per omnes aetates librorum numero, dicendum est, a loco, tum principem Chin-kong, qui Fo-hi successit, dictum esse Lien-chan, tum imperatorem Hoang-ti cognominatum Hoei-tsan, atque adeo haec dua vocabula esse familiarum utriusque cognomina, quemadmodum constat librum Tcheou-y ita appellari a familia Tcheou, mutuato nomine à regione Tcheou in qua est Ki-chan antiqua patria fundatorum illius tertiae [1]) domus imperatoriae, quae retento dynastiae paternae nomine dicta est Tcheou-tchao.

Nec dubium esse potest quin Chin-nong figuras, quas praedecessor Fo-hi ad naturae explicationem adhibuerat, eas traducere potuerit ad herbas salubres ac medicinales suas in classes distribuendas; ex quibus forte confectum fuit herbariolum quod illi ab historicis tribuitur, cujus una tantum pars ad posteros integra pervenerit. Nam cum lineae, ut notavimus, elementares [illegible] nihil natura sua significent; sicut a Fo-hi supositae sunt velut symbola primorum physices principiorum Yn et Yang, ita a Chin-nong sumi potuerunt pro Kang et Jeou [2]); (quae duo etiam nomina non minus saepe habent libri veteres) pro siccitate et humiditate, vel pro calore et frigore, atque deinde fieri ex his, ad imitationem praedecessoris Fo-hi, variae combinationes ipsa linearum

1) Familia prima Hia-tchao, familia secunda Chang-tchao.

2) Jeou, mollis, mitis etc. Kang, durus, quid non cedit, firmum etc.

permutatione exprimendae; si ponatur (in historia Kang-kien notatur) imperator Chin-nong herbas, in quibus colligendis ac dignoscendis tam feliciter laboravit, revocasse ad quatuor genera seu quatuor generales classes; vel, habita ratione gustus, dulces, amaras, acidas, salsas; vel spectata earum natura, calidas, frigidas, alsas, trepidas. Hae omnes exhiberi ab illo rite potuerunt quatuor illis figuris quae (Sse-siang) quatuor imagines dicuntur in Y-king fundatoris Fo-hi. Nihil ergo obstitit quo minus liber permutationum (Y-king), lineis figurisque ab imperatore Chin-nong ad herbas traductis, appellari potuerit, vel etiam prodierit sub nomine familiae, dictus Lien-chang-y.

Idem dicendum de imperatore Hoang-ti, qui potissimum incubuisse narratur in civilem statum rite ordinandum, moresque hominum componendos. Illi fuit etiam integrum, duorum praedecessorum exemplo, ne illis minor videatur, duo prima illa figurarum elementa ———, —— velle esse symbola virtutum Jin et Y, pietatis subditorum, et justitiae regis; ex quibus patet deinde progressio ad alia civilia officia distinctius explicanda, iisdemque conditoris Fo-hi figuris exprimenda. Facilius adhuc fuit, si quatuor imaginibus (Se-siang) assignaverit Hoang-ti quatuor virtutes, quae a Sinis velut cardinales vulgo habentur (jin, li, tchi, y) pietas, civilitas, prudentia, justitia (ex Kang-kien historia). Ita ut liber ille secundus, cujus antiqua extat mentio, fuerit liber de permutationibus (Y-king) linearum, tanquam virtutum officiorumque symbolis a Hoang-ti assumptis; cujus familia, a loco, seu patrimoniali regione nominata sit Hoei-tsan.

Sunt tamen qui eorumdem originem repeti volunt, non ex sola mappa Ho-tou, sed etiam ex alia non minus celebri, ideo dicta Lo-chou, quod e rivo Lo-ho (is est in provincia Honan) olim emerserit, qua illi in assertione parum profecto sibi constant, cum enim una fere sit veterum ac recentiorum sententia, istam mappam Lo-chou incidisse in manus imperatoris Yu (Ta-yu regnare coepit anno 2207), qui sex saltem seculis posterior est ipso Sinicae monarchiae conditore Fo-hi (Fo-hi ao. 2952), illud necessario sequitur figuras Hona aut a Fo-hi non fuisse excogitatas, aut a mappa Lo-chou nullatenus expressas; utrumque autem simul admittere, nihil aliud est quam secum pugnare. Ipsa praeterea mappe Lo-chou ita differt a Ho-tou, ut vel oculis falsitatem hujus paradoxi demonstret, nam nec numeri sunt iidem, nec, quod caput est, ejusdem rationis et artis. At additione, subtractione, aliisque regulis, ad prioris mappae Ho-tou numeros trahi possunt? verum quid non efficias, si eas regulas pro arbitrio versare velis, qui, et quales sint numeri propositi, quaerimus; non qui et quales ex iis effidi possint.

Mappa autem Lo-chou, suis globulis hos qui subjiciuntur exhibet numeros. Sunt iidem prorsus, qui quadratum, ut vocant mathematici nostri magicum constituunt ex serie naturali numerorum 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, quod jam demonstratum est algebrae et analysis auctoribus [1]).

Ex quo patet hanc mappam non esse vel a testudine, sicut fabulatus est Hong-gan-koue, nec casu quodam, et velut naturae prodigio, ita fuisse efformatam. Nam manifestum est meditatione sola ingeniique solertia ita disponi potuisse numeros, ut juxta lineas,

1) Vide mappam Lo-chou et quadratum magicum in tab. I. fig. 2.

parallelas, sive perpendiculares, sive diametrales, quoquo modo jungantur, earidem summam 15 semper constituant: „itane, inquit Cicero de divinat. lib. 1.; vero quidquam potest esse casu factum quod omnes habet in se omnes numeros veritatis? quatuor tali jacti casu venerem efficiunt, num etiam centum venereos, si 100 talos jeceris, casu futuros putas? aspersa temere igmenta in tabula ovis lineamenta effingere possunt: num etiam Veneris Cnidiae Coosque pulchritudinem effingi posse aspersione fortuita putas? Sus rostro si humi A litteram impresserit, num propterea suspicari poteris Andromachem Ennii ab eo posse describi?" etc.

His forte etiam miserabilius fortunae aut naturae ludentis opus lectori videbitur, si observaverit inter 362880 dispositiones numerorum illorum faciendis, unam reperiri magicam, seu eidem semper summae conflandae parem, atque adeo ingenti e numero eligendam.

Sed, inquiet aliquis, mappa Lo-chou ab imperatore Yu [1]), a quo fundata est prima domus regia Hia, posteritati tradita est; hujus fit expressa mentio in libri authentici Chou-king capite Hang-fang, Confucianis opusculis longe antiquiore, nec ullus (si excipias doctorem Ngeou-yang et aliquos ejus discipulos) qui eam imperatori Yu non attribuat. Haec enimvero quid aliud efficiunt, nisi mappam Lo-chou non esse apocrypham? quod ultro damus; nec tamen concludi potest illam, aut dorso monstruosae testudinis ex aqua emergentis, aut lapideo frusto a natura, saepe (ut aiunt illi) in aliis mirabilia efficente, extitisse ita insculptam; imo potius esse opus ingenii impera-

1) Regnare coepit Ta-yu (magnus Yu) anno ante Chr. 2207, filiusque ejus Ti-ki anno 2197.

tegis Yu quod tradidit notis nigris albisque distinctum, ad imitationem antiquae mappae Fo-hi, quae non minor haberi voluit, cognominatus magnus, Ta-yu.

DISSERTATIO QUARTA.

In ceteros principit Fo-hi figuras, multiplicem formam variasque mutationes fuisse inductas (quod jam observatum supra est) patet ex vulgaribus editionibus libri Y-king, et ex pandectis philosophicis Sing-li-ta-tsuen, quae a Jao fere annis ab imperatore Yong-lo laudatae, in lucem prodierunt.

Harum auctores cum in iisdem libris appellentur doctores Tchin-touan, Tcheou-lien-ki (obiit circa annum 1073), Tchao-kang-tsie (obiit circa annum 1077), Tching-tse (floruit etiam seculo 11mo at post Tchaou et Tchao), Tchou-tse etc. non facile intelliges cur suis conjecturis potius quam testimoniis litteratorum tam multis credere nonnulli malint, nisi forte sua interesse putent antiqua paradoxa novis confirmari. Sed res, ex ipsis libris, velut ad oculum demonstrari iterum potest, ita ut nulla de facto hoc supersit dubitandi causa. Certum siquidem est, ante doctoris, seu potius Bonzii, Tchin-touan tempus, illa mapparum (de quibus agitur) genera, et subjectas explicationes, in antiquioribus commentariis non extitisse — si non ita est, vel unus proferatur? constat autem nullum reperiri. Doctor Ouang-pi, interpres secundo aerae christianae seculo omnium celeberrimus, quem caeteri secuti sunt, nihil profecto simile habet; mappae etiam illae omnes desiderantur in absolutissima (qualis nulla antea fuit) veterum collectione, quae antiquiores sua aetate interpretes laudat, et quae sola septimo, octavo nonoque seculo viguit. Ergo quod illae deinde, in operibus philosophorum Tchin-touan,

Tcheou-lien-ki aliorumque, dominante familia Song impressis appareant, his auctoribus merito tribuuntur.

Qui, a 90 circiter antea annis, doctor Tsien-chi eandem antiquam collectionem rursus edi curavit, sua in praefatione, gravissimis sane verbis reprehendit damnatque doctorem Tchou-tse, ceterosque id genus familiae Song commentatores, „qui (ait) gloriantur novam se invenisse viam, doctrinamque, sibi non traditam tradere, unde fit ut ab illo tempore litterati neociant antiquorum textuum sensum perscrutari, malintque incedere inter has tenebras figurarum ab his novatoribus affinas.“ Doctor Tcheou-tse negat quidem magistrum Tcheou-lien-ki, seu Tcheou-tse, debere suas mappas ac expositiones bonnio doctori Tchin-touan; sed, cum ultro fateatur magistrum a nullo accepisse quae posteris tradiderit, illi suisque novitatis notam a caeteris scriptoribus merito inuri negare non potest.

Sed quid opus est testimonia auctorum congerere? cum hoc ipsum, ex opusculis illorum nomine editis, et in pandectas philosophicas collectis, clare intelligatur. In opusculo Tai-ki-tou et Tong-chou videre est mappam seu figuram, Tai-ki, magni termini, qui est circulus:



„Illa, ait imperator in commentariis novis (regiae ed. tom. 19. p. 13), initium habet a doctore Tcheou-tse“ (idem dicitur in Tong-kien et in Yuen-y-se) opuscula doctoris Tschang-tsai, quae inscribuntur Si-ming et Tching-ming, nihil certe minus redolent quam antiquam doctrinam; ideoque censet Hiong-sse-li periculosa. Longum esset dicere de indolen-

tia libri quem doctor Tchao-kang-tsie inscripsit Hoang-ki-kin-chi. Satis sit illum novitatis damnare verbis doctoris Yang-kouei-chan: „simile nihil dixit Confucius, nec sancti unquam locuti sunt de ratione initii finisque coeli terraeque supputandi.“

Constat itaque nova esse veterum figurarum systemata et quidem in schola bonzaica (ea quam Tao-kia appellant) nata vel adulta, quae ideo latentis veneni suspicionem movere jure possint, nec ideo contendimus traditis a Tchin-touan commentis nihil addi potuisse novi a doctore Tcheou-tse, v. g. figuram circularem, velut (Tai-ki) magni termini symbolum, et a Tchao-kang-tsie, caeterisque; cum facile sit inventis addere, et erroris proprium sit in pejora prolabi.

At, inquiunt, non omnes sentiunt Tcheou-tse novae philosophiae principem a Tchin-touan sua hausisse; verum, si res bene perpendatur, unam esse omnium sententiam apparebit, si nempe omittantur qui nec aïunt nec negant, sed taciti rem odiosam praetereunt; nam qui doctorem Tcheou-lien-ki scholae Bonzii doctoris Tchin-touan non ascribunt, aïunt illum fuisse discipulum Bonzii alterius Chou-yaï in monasterio Ou-ling-se urbis Sou-tcheou celeberrimi; semper proinde verum erit novam hanc philosophandi rationem bonzaismi merito esse suspectam. Imo nec duae opiniones inter se pugnant, cum facilie fieri potuerit ut Tcheou-tse, ut a suo magistro Mou-siou imbutus tradita a Tchin-touan doctrina, postea (majoris eruditionis gratia) in disciplinam coenobitae Cheou-yai ultro concesserit.

„Nihilominus, aïunt, novatores isti ad Confucii aliorumque etiam antiquiorum mentem se philosophari profitentur, quid enimvero mirum! Si idem faciant quod varii generis Bonzii, quod diversae haeresis secta-

rii, caeterique bene multi, qui antiquos suorum libros suam ad sententiam detorquere conantur, infelici certe hactenus conatu; cum hactenus nihil ex libris authenticis exculpere potuerint, quod expressis verbis habeat quae pro primis suae doctrinae principiis assumunt. Dum vero recurrunt ad opuscula, aut apocrypha aut adulterata, quorum meminimus supra, pervertunt profecto ipsae indagandae veritatis rationem, totumque doctrinae ordinem, secundum quem a certis ad incerta est enitendum.

Tcheou-tse inquit, „Ou-ki et Tai-ki, magnus terminus est sine termino, vel magnus axis sine axe.“ Tchao-tse ait, „Tao-ouei-tai-ki, ratio est magnus terminus.“ Iterum ait: „Sin-ouei-tai-ki, cor est magnus terminus“ etc. atqui certissimum est ne in opusculo quidem (cujuscumque sit) Hi-tse hos textus reperiri, sed solum nomen Tai-ki, magni termini, quod ne ipsi quidem negare possunt varios sensus pati posse, cum varie ab illis usurpetur, si cor est Tai-ki; si ratio est Tai-ki; si natura est Tai-ki; aliaque quae afferunt sunt etiam vere Tai-ki; nonne patet metaphoram illam, vel a magno termino, vel a magno axe, vel a polo cardineque certo desumptam, nunc physice nunc moraliter esse accipiendam; ita ut sicut singulae res naturales, saltem praecipuae (ita docent isti), possunt dici suo modo, vereque sunt, totidem Tai-ki seu bases rerum cum illis connexarum, ita singulae virtutes quatuor illae, jin, li, y, tchin, apud Sinas praecipue haberi debeant Tai-ki, scilicet officiorum, totiusque ethices, velut cardines; atque haec dicta sint obiter, nam totum hoc novae philosophiae systema, nonnisi *longis* multisque dissertationibus clare exponi potest; *videnda* imprimis est pars tertia operis hujus.

Cum igitur, nec in quinque voluminibus authenticis ac velut cànonicis, nec in certis Confucii Menciique libris, imo nec in opusculo Hi-tse non ita sincero, ne unus textus legatur de Tai-ki, Ou-ki, similibusque vocibus, evidens est istos recentiores, post tot scilicet secula, necquicquam pro se veteres appellare, novumque esse id quod commenti sunt.

DISSERTATIO QUINTA.

Novus octo symbolorum ordo a principe Ouen-ouang propositus, ideo (ut diximus capite septimo) appellatus est a Sinis Heou-tien-tchi-tou, posterioris seculi mappa, quod mille et octingentis annis recentior sit ordinata primum a conditore Fo-hi (juxta naturalem combinationum seriem) descriptione, quae Sien-tien-tchi-tou, prioris coeli imago, ob eam causam nominatur ab ipsis novae philosophiae principibus Tchao-tse, Tching-tse, Tchou-tse, aliisque, nec non in postremis editionis regiae commentariis in traditionem Confucianam, quae Choue-kouatchouen inscribitur; uti patebit evolventi tomum vigesimum primum, ex quo figuram capitis septimi desumpsimus [1]).

Et quidem a nullo in libris Sinicis vel obiter versato negari potest, mappam quae nomine principis

---

1) In nullo textu libri Y-king qui totus constat ex sententiis principum Ouen-ouang et Tcheu-kong, reperiuntur hae voces ac distinctiones Sien et Heou-tien, sed solum in usu interpretum nec valde antiquorum.

Apud interpretes recentiores vix reperire est qui ad illam distinctionem Sien et Heou-tien recurrant in explicatione figurarum 64, et subjectorum epiphonematum; nam sensus non pendet ab hac distinctione, ut dicitur sigillatim in parte II. de singulis textibus.

Ouen-ouang [1]) (Fo-hi posterioris) ubique apud Sinas editur, eandem omnino esse quae appellatur „posterioris coeli.“ Ita enim in omnibus editionibus imprimitur, ex hoc autem prorsus certo sequitur subjectum posteriori huic figurarum systemati sensum haberi duntaxat posse ex mente atque sententia illius auctoris; at constat tum ex publicis imperii annalibus, tum ex Chou-king libro indubitatae apud Sinas auctoritatis, principem Ouen-ouang nihil aliud intendisse nisi praesentem monarchiae Sinicae, aetate illa ruentis, subversionem, minime vero de rebus futuris a reipublicae administratione alienis, aut de sortibus ac divinatione fuisse sollicitum. „Illo, aiunt, tempore princeps habebat cor afflictum calamitatibus imperii, nec aliud animo volvebat nisi modum medendi tot malis, ope suorum documentorum quae per omnia deinceps secula propagarentur.“ Ita doctor Ngeou-yang opere posthumo, ita Tchou-tse libro primo; ita quadraginta doctores in philosophiae Sinicae libro decimo quinto; ita Kong-in-ta cum suis, in commentario prorsus ut unus sit ea de re sensus doctorum, qui sub variis dynastiis a mille amplius annis floruerunt.

Mirum profecto est tales de futuris meditationes tribui posse principi Ouen-ouang ejusque filio Tcheou-kong. Nihil est enim tam pugnax eorum moribus, ac velut characteribus quibus illi sese exprimunt in omnibus illis documentis quae posteritati reliquerunt. Quid illi aliud, nisi civile imperii regimen, nisi populorum regumque officia, nisi ritus servandos, leges antiquas revocandas, caeteraque id genus ad publicandam utilitatem facientia (uti decet principes in

1) Vide mappam Fo-hi in tabula IV. fig. 3 et 3.; et mappam Ouen-ouang ibidem fig. 4 et 5.

politicis ethicisque imprimis versatos) aperte et copiose loquuntur. His itaque si attribuitur mappa posterior, sicut hactenus a Sinis omnium aetatum scriptoribus, quae ad imperium tunc subversum alludere supponatur, convenit illa profecto tum tempori tum personis. Absurda e contra est et intempestiva, si ad alios ab his principibus diversos, et remotiora tempora, sive mystica sive allegorica ratione, Sinis litteratis omnibus ignota, traducatur.

Quin et mappa ipsa id ipsum probat, si vel mediocriter perpendatur, quod uno scriptorum Sinarum consensu asseritur, nempe a principiorum duorum (in rerum generatione et corruptione) Yn et Yang concordia vel pugna repetendum esse discrimen prioris et posterioris coeli, seu tempestatis foecundae ac florentis, quae ver ac aestatem priorem anni partem obtinet, et tempestatis jam sterilis ac horrentis, quae posteriora anni Sinici tempora autumnalia ac hiemalia occupat. Nonne Confucius historiae suae authenticae de principibus regni sui Lou titulum fecit (Tchun-tsiou) a vere et autumno, propterea quod, cum respublica regali virtute et accuratione efflorescit, tunc sit amoenissimi veris instar; autumno contra similis, quo marcescunt omnia, si improbitas et desidia antiquam gubernandi rationem corrumpant; nec credo longe aberrabit qui Confucium conjectarit voluisse imitari principem Ouen-ouang in hoc titulo, seu potius in hac idea, ejus siquidem doctrinam se ubique sequi ac velut explicare tam saepe gloriatur; docetque in suis commentariis ejus mappam coeli posterioris referendam esse ad annuas mutationes naturae seu temporis seu coeli, utriusque est idem Sinis (Tien) sensus, uti plerisque scriptorum Latinorum.

Ad annuas autem mutationes explicandas distinguunt Sinae philosophi duplex principium rerum, quorum unum vocant Yn, aliud Yang. Spiritus ille subtilior (hi) principiorum Yn et Yang, qui semper et nunquam dissipatur, est sol et luna ..... coelum et terra; en prima species principiorum Yn et Yang stabilium: ille vero qui semper crescit, vicissimque decrescit, est frigus calorque. En altera species eorumdem principiorum mutationi annuae obnoxiorum, quoad scilicet actionem diversam, licet sint reipsa eadem.

Illa ergo symbola Koua, quae pro coelo terraque supponunt, merito non mutata sunt in nova principis Ouen-ouang ordinatione, mutari vero debuerunt quae coloris frigorisque incrementa ac decrementa designant, ut coelo terraque mutata tempestas, vergente in finem anno, intelligeretur.

Aiunt praeterea philosophi eidem ventos et fulmina (aut tonitrua) esse utrique anni parti communia, v. g. tonante coelo ver aperiri; tonante coelo hiemem inchoari; quaeritur ibidem: „decima luna fulmen tonat; quomodo fit?“ ait: „suspicari licet tunc spiritum subtilem Yang motum excitare, atque haec est causa cur nix multa deinde decidat, felicemque ubertate annum praenuntiet ..... fulmen, etsi terribile est ..... conjunctum cum pluvia humectante, cum vento exsiccante, confert ad rerum generationem;“ ex his omnibus jam ratio physica habetur cur ex octo symbolis quatuor immutata novum principis Ouen-ouang systema exhibeat. Duo sunt symbola coeli et terrae, quorum in Yang subtiles spiritus, utpote rerum principia, semper perseverant et nunquam dissipantur quacumque anni tempestate. Duo sunt symbola ventorum ac tonitruum, priori et posteriori anni parti (juxta Si-

nas philosophos) communium, enimvero cuinam diverso rerum statui aeque convenire possunt venti et tonitrua, nisi annuis tempestatum conversionibus? quidquid aliud fingatur, non solum erit alienum a mente Sinarum, sed hariolorum minime sibi constantium commentis simillimum, alia vero quatuor symbola, caloris ac frigoris, humiditatis ac siccitatis, ideo mutata in hoc systemate posteriore spectantur: quod istae (ut vocant Aristotelici) qualitates quolibet anno crescant ac vicissim decrescant, unde posterior anni pars fit tam horrida ac sterilis (Yn), quam prior fuit florida ac fertilis (Yang). Manifestum est igitur in mappa posteriore agi de posteriore anni parte, seu de postremo tempore (Tien est quoque tempus, dies), quod etiam coeli nomine passim significatur.

Haec porro imago nova coeli in pejus mutati tam bello congruebat sensui principis Ouen-ouang de perverso imperii statu dolentis, ut aliam reperire non potuisse videatur, quae sit et aptior ad philosophandum, velut ab aenigmate, de perversa administratione, et similior antiquae conditoris Fo-hi (cujus vestigiis inhaerere volebat) imagini, a priori felicique anni tempestate expressae. Nullum certe est dubium, quin, sicut tempus quo vigent exuberantque omnia, actuosa (quam vocant Yang) naturae vi sese ubique exerente ac velut dominante, florentem imperante Fo-hi rempublicam rite exprimebat; ita illa anni labentis tempestas, qua defluit totus illae naturae decor, horrentque omnia, assumi praeclare potuerit pro genuino ruentis jacentisque imperii emblemate a principe Ouen-ouang, quo sua documenta politica optimatibus de republica sollicitis insinuaret.

Caeterum mappa tum prioris tum posterioris coeli, quae reipsa nihil aliud est quam antiquior recentiorque

ordinatio octo (p a - k o u a) symbolorum veterum, non ita facit ad sexaginta-quatuor figuras (l e o u - c h i - k o u a) intelligendas, nec ad sensum figurae cujuslibet pervadendum. Is omnino pendet, ut dixi capite ultimo ex textibus Sinicis cuilibet olim annexis a principibus O u e n - o u a n g et T c h e o u - k o n g. Illi scilicet constant *vulgo* multis characteribus simul junctis, et quidem omnino iisdem quibus eduntur quicumque alii libri, nihil itaque in hoc discriminis est inter authenticos et fabulosos. Si character ex Y - k i n g desumptus est h i e r o g l y p h i c u s, idem erit in quovis alio volumine ubi iisdem lineis pingitur, adeo ut mysteria, si ita est, ubique Sinae habeant. Si vero sumatur unus character cum alio, et conjunctim significet, jam contextum caeteris libris similem facit, qui ex usu Sinicae linguae intelligendus est; atque adeo verum erit quod proposuimus, sensum libri Y - k i n g, sicut et aliorum, pendere ex notitia textuum. Sed de his satis vide figuras cap. 7.

ADNOTATIO.

Duo rerum principia Yn et Yang vocari jam diximus, et quidem proprie at metaphorice quidquid perfectius vocatur Yang (etiam in opusculis Confucianis tertiae partis et in caeteris libris). Minus perfectum seu vilius imperfectiusque vocatur passim Yn. Ita sol est Yang, luna est Yn. Mas est Yang, mulier est Yn; equus est Yang, bos est Yn. Kien itaque constans ex tribus lineis integris, expressum est Yang, dicique potest symbolum masculinum; Koen contra, constans ex tribus lineis Yn, est foemininum, nomine matris. Ita T o u i cujus prima linea est Yn; Li, cujus media; Suen, cujus ultima, recte possunt haberi pro foemininis, et ideo a Ouen-ouang vocantur puella minoris aetatis, mediae aetatis, et majoris aetatis. Eadem est disserendi ratio de tribus K e n, K a n, Tchin quae masculina censentur, et nominibus juvenis minoris, mediocris et majoris designantur; secundum locum quem in iis occupat linea Yang. Quae omnia sunt ad mentem prin-

cipis Ouen-ouang, qui haec supponere habuit, ut posset velut aenigmate de perversione imperii cum suis philosophari, at nullis tamen ei rei natura petitis causis. Satis ei erat si quae assumebat significationem haberent. Ideo inania omnia plane sunt quae nonnulli Sinae commenti sunt circa ignotas sibi appellationum istarum causas. Verum cum haec explodantur a caeteris, nihil opus est, a nobis refutari, explicatio certe nostra, licet brevis, est facillima, et omnino verisimilis, quandoquidem ex ipso Sinarum usu, et figurarum syntaxi, atque inscriptionibus concluса est.

DISSERTATIO SEXTA.

Quod capite octavo asseruimus de traditione libri Y-king a Confucio illustrati, et ad posteritatem transmissi, ita certum est ut a nullo negari posse videatur. Secuti sumus quidem, in nominibus eorum recensendis per quorum manus illa ad nos pervenit, auctores antiquae collectionis librorum authenticorum Chi-san-king dictae, inter quos primum locum obtinet doctor Kong-in-ta; quod iste, sociique, quaecumque ante seculum septimum extabant monumenta, favente imperatore Kao-tsong [1]), in manibus habuerint, et sint longe antiquiores interpretibus omnibus qui sub ultimis dynastiis idem argumentum retractarunt. At ne quidem, inter hos posteriores, ullum alicujus nominis reperire est qui traditionem non agnoscat, etiamsi nomina doctorum eadem non edantur.

Qui nostra aetate fuit unus ex imperii administris Hiong-sse-li, in prolixo opere (Hio-tong) de successione doctrinae, discrepat a doctore Kong-in-ta, ejusque collegis. Nam, si illi creditur, a Confucii discipulo Tchang-keng opus Y-king pervenit in manus doctoris Han-pi-tse-kong, a quo illud accepit

1) Edita sub Kao-tsong, sed imperata factaque sub Tai tsong.

Kia-se-yong, is dedit illud doctori Tcheou-tse-hia qui discipulum habuit Kouan-se-tchin, atque ab ipso transmissum est denique ad magistrum Tien-hose-tchouang, qui prae reliquis claruit primis familiae regiae Han initiis, habuitque auditores quatuor, caeteris celebriores, commentariis et notis et quidem nonnihil inter se diversis. Narrat siquidem Hiong-sse-li, regnante imperatore Suen-ti anno ante aeram Christi 73, dissidium extitisse inter litteratos, quod recentiores illo tempore notarum editores, Ouang-tong, Yang-tcho ejusque discipulus King-fang, ad divinationem et infortuniorum praesagia inclinare viderentur. Cui malo cautum voluit imperator Tching-ti anno ante Christum trigesimo-secundo, demandata doctori Leou-ho, illa aetate clarissimo, cura recognoscendi et accurate examinandi libros authenticos, et subsecutas in librum Y-king ejusque traditionem elucubrationes. Hinc factum est, ut qui postea scripserunt litterati in aliam omnes sententiam abierint praeeunte imprimis magistro Fei-chi, qui explosis interpretis King-fang conjecturis, sensu libri obvio et ab antecessoribus tradicto inhaerere voluit. Quem paulopost conatum ita promovit doctor Ouang-pi, ut palmam inter omnes illius temporis commentatores retulisse censeatur, et ab eo subsequentium seculorum scriptores, quae habent meliora, fermè acceperint, mutatis tamen additisque non raro in loco suis interpretationibus, quas nova mapparum seu tabularum (de quibus supra) accessione confirmatos voluere, illi imprimis qui sub dynastia Song floruerunt.

Nihilominus verum est doctorem Hiong-sse-li nullatenus dubitare de successione doctrinae, quam e contra multis capitibus prosequitur, et quidem (ut sibi videtur) caeteris accuratius; sed solum in referendis litteratorum nominibus non semper convenire cum

scriptoribus regiae familiae T a n g; cum quibus, utpote antiquitati vicinioribus, standum esse censuimus.

Discriminis autem hujus variae causae cogitari possunt, quae etiam nostris similibus libris tenebras affuderunt. In tanta nominum cognominumque ejusdem doctoris varietate facile fieri potest, ut in catalogum aliquis error irrepserit. Exempli causa; Confucii discipulus T s e - h i a, cui opus Y - k i n g relictum affirmat N g e o u - y a n g, vocabatur proprio nomine T c h a n g. At discipuli Confuciani S s e - m o u familia, gentilito nomine, appellabatur etiam T c h a n g; nihil proinde facilius, quam ex hac similique appellatione unum scriptorem cum alio confundere. Forte etiam qui doctrinae successionem tradiderunt, non in eadem inciderunt praedecessorum opuscula nec ullatenus vero simile est magistrum uni tantum discipulo sua tradidisse, nec inter tot doctores fuisse saltem, duos qui magistri doctrinam scriptis exceperint, suisque auxerint notis.

Quidquid dicatur, illud semper manet omnino exploratum, manifestam fieri libri Y - k i n g traditionem, adductis doctorum cujuslibet aetatis nominibus; ut paradoxum sit prorsus incredibile, et vulgo a Sinis clare refutatum, nullam extare apud hanc gentem de sensu libri Y - k i n g traditionem, atque adeo liberum esse de illo ariolari. Ita enim necesse est, ubi testimonia communi gentis consensu firmata ultro deseruntur, conjectura autem, quae ferme in varias partes duci potest, nonnunquam etiam in contrarias, nihil est incertius; ad eam itaque non recurrendum, nisi si quando nos deficiant testimonia aut certa aut probabilia; in locis nimirum illis ob quae conqueruntur Sinae capite octavo adductis, sensum libri tam antiqui ad posteros promanasse nec omnino integrum nec ubique exploratum, sed mutilum interdum atque adeo intercisum, ut doc-

trinae series tota, totiusque contextus continens connexio, haberi non possint.

Nec nos movent magnifica encomia quibus auctor Hiong-sse-li nonnullos e doctoribus a se adductis celebrat, ut illius traditionem Hio-tong antiquae praeferamus, nam, praeterquam quod laudatores Sinae hyperbolico stylo solent delectari, negari non potest istum alios in hoc genere superasse. Quis v. g. ferat doctorem Tcheu-lien-ki vel unum complecti Confucium, discipulosque Yen-tse, Tteng-tse magistrum Mencium, doctores Tching-tse, Tchang-tse, Tchao-tse, praecipuos novae philosophiae auctores; ita tamen illeidem, principem horum Neotericorum, eumdem Tcheoulien-ki vocat Confucium dynastiae Song, inter imperatorias familias decimae octavae, qui postea laudaturus celebrem illa aetate interpretem Tchou-tse, dictorum jam immemor, eum quoque dicit „Confucium dynastiae Song ita ut non sit habiturus parem.“ Nihil ergo ex his inferri potest, nisi id genus auctores doctori Hiong-sse-li imprimis probari, quod ultro fatemur. Nostri quoque interpretes, quem probant aestimantque aut Platonem aut Aristotelem aut Sophoclem, similesque, non minus magnificis et saepe hyperbolicis extollunt encomiis. Nec tamen, quod nunc hunc, nunc illum, quemdam philosophorum deum, virum divinum, naturae genium, mystam etc., nec quod eorum doctrinam non humanam, mortali majorem, a diis inditam, divinam, coelestem, reconditissimis et miris rationibus ac mysteriis foetam, interpretes isti cum antiquioribus nonnullis appellant; ex his nihil aliud colligere solemus, nisi hos veteres scriptores fuisse viros hoc in genere eximios, et apud Graecos summo in pretio esse doctrinam quam ab illis accepimus, nam hyperbole, ex

Quintiliani praeceptis, supra modum, non ultra modum, intelligi debet, ex argumento scilicet atque adjunctis.

DISSERTATIO SEPTIMA.

Superest unum breviter enodandum, quod velut intricatum proponitur a nonnullis Y-king interpretibus: an scilicet principi Fo-hi, cui figurae trium linearum octo (quas symbola nominavimus) recepta ab antiquo sententia tribuuntur, sexaginta quatuor figurae sex ex lineis compositae (quae emblemata diximus) tribuendae quoque sint?

Quocirca (ait Kong-in-ta [1]) in prologis ad Y-king, art. 2.) sunt quatuor opiniones; antiquiores, ut Ouang-sou-tse, aiunt tribuendos esse ipsi Fo-hi; Tching-huen, cum discipulis, successori Chin-kong; historicus Sse-ma-tsien, suique annalistae, principi Ouen-ouang; Hien-ching, et aliqui, fundatori primae familiae Hia, nempe magno Yu.

At tres has ultimas horum scriptorum novas opiniones refellit egregie idem auctor, plura ex appendicibus Confucianis Hi-tse, ex Confuciano opusculo Choue-koua-tchouen, ex Tcheou-li antiquo, aliisque libris, congerens testimonia, quorum majorem partem inveniet lector in parte tertia operis. Satis est hic dicere, solam primam sententiam, apud omnium aetatum interpretes communissimam, convenire cum traditionibus de origine Y-king.

Primum, dicitur principem Fo-hi suas excogitasse figuras, post assiduam coeli, terraeque, rerum omnium, earumque mutationum annuarum contemplationem; ut scilicet, per linearum combinationes, observata expri-

1) Seculi septimi celeberrimus interpres.

meret, et (ut ait Confucius) his imagines, seu potius signa, constitueret. Verum octo, trium linearum combinationes non sufficere perspicuum est, non solum ad observata notis exprimenda, sed nec ad ea quae illi ipsi historici (parum in hoc sibi constantes) aiunt principem Fo-hi mandasse circa characterum Sinicorum delineationem, circa variorum distributionem magistratuum in classes diversas ordinesque, caeteraque quae commemoravimus.

Secundum, dicitur in opusculis Confucianis in ultimam partem operis Y-king rejici solitis fundatorem Fo-hi usum esse herba Chi, et in ejus foliis observasse velut sex lineas; atqui sex lineas sexaginta-quatuor figurae illae quae emblemata diximus non vero octo illae quae symbola nominavimus suis numeris et elementis exprimunt; quorsum haec observatio principis refertur, si ad senarium numerum non pertinere supponitur? (Hi-tse P. I. c. 10. et Choue-koua c. 1.)

Tertium, advertit expressis verbis Confucius [1]), sex linearum in emblematibus duas repraesentare principia coelestia, Yn, Yang, duas principia terrestria, Kang, Jeou; duas principia moralia, Jin, Y; et quidem ad mentem auctoris figurarum Y-king supponit ergo, tunc extitisse figuras sex lineis constantes quales nunc habemus, nempe post octo trilineária symbola ab ipso Fo-hi adinventas ad majorem utique usum — adde quod dicit alibi [2]) de octodecim permutationibus, per quas perficitur Y-king ex quatuor; de quatuor viis ad omnes motus et agendi modos pertinentibus. Quae omnia majorem certe combinationem supponunt priori illa trium linearum; ergo illam quam libri Sinici sem-

1) Hi-tse II. 9. Choue-koua 2.
2) Hi-tse I. 8.

per alteram habuerunt in sexaginta-quatuor figuris. „Qui maxime laudaverunt Chin-nong (refert Kong-in-ta ibid.) dixerunt illum superasse Ouen-ouang, Confucium; at non dixerunt duplicasse trium linearum figuras Koua . . . . erant jam illae.“

Quod vero Ouen-ouang nomina mutasse vulgo creditur figuris illis (inter sexaginta-quatuor) quae constant ex duobus symbolis [1]) diversis supra infraque, ideo a nonnullis auctoribus [2]) dictum est illum principem easdem excogitasse. Quae si tunc prodiissent, non pro antiquo Y habitae fuissent, ut fuerunt tempore Ouen-ouang; quem illarum auctoritate usum esse (quod in veneratione essent) ad philosophandum de perverso imperii statu cum suis, et velut sub aenigmate prisco probavimus, et tota parte secunda demonstrabitur.

DISSERTATIO OCTAVA ET ULTIMA PRIMAE PARTIS.

De auctoritate libri Tcheou-y aliorumque a Sinis King dictorum.

Etsi ex dissertatione sexta, et capite octavo, satis pateat quid sit concludendum de Tcheou-y qui (ut dictum est) solus superest ex tribus libris olim Y-king nomine non indignis; cujus figurae sunt a Fo-hi, textus a Ouen-ouang et Tcheou-kong, commentarii a Confucio; non tamen abs re erit illius enucleatius exponere criticem, aliorumque librorum quos tota

---

1) Vide Tab. III. fig. 1 et 3. prima, composita ex symbolo dicto Kien supra infraque, ex Fo-hi institutione, erat Kien, et dicitur adhuc Kien tertia, constans ex symbolis Kan et Tchin, dicendum esset Kan-tchin, juxta denominationem Fo-hi. At dicitur nunc Tun, nomine a Ouen-ouang instituto, seu brevitatis et perspicuitatis causa, seu ratione vocis, qua melius conveniat rebus symbolica significatis.

2) Vid. Tong-kien.

gens Sinica pro authenticis, ac velut canonicis, habet, vocatque King; ut de auctoritate certius judicetur testimoniorum quibus saepi usuri sumus, habeatque lector Europaeus aliquod specimen historiae litterariae Sinarum.

§. 1.

De quinque librorum Ou-king auctoritate apud Sinas.

Notum jam dudum est toti Europae extare apud Sinas hac nostra aetate (quae pro canonicis habet tota gens) antiqua quinque opera: Y-king, Chou-king, Chi-king, Li-ki, Tchun-tsiou.

Haec, ut auctoritatis summae, citantur passim in opusculis Confucii, Menciique, quae latina jam facta eruditorum manibus teruntur; ita ut ipsi per se judicare possint quantum tota antiquitas illis tribuerit. Nec minus valuisse apud posteros demonstrant innumeri fere in illorum textus commentarii per omnes aetates editi, et saepe regiis mandatis sumptibusque vulgati a tempore quintae familiae imperatoriae Han-tchao (initium coepit ante Christum 206.), cujus jussu curisque libri incendio superstites quotquot reperiri potuerunt, rursus in lucem prodiere; a senioribus et doctoribus recogniti, notisque plerumque illustrati, erecto etiam ad illorum examen academico tribunali [1]) aulaque illis destinata, velut bibliotheca regia, nempe solis qui judicarentur in ea apparere digni, totique posteritati sub hac tutela servari. Nam inter familiae Han-tchao initium et imperatum a praecedenti familia Tsin-tchao librorum incendium [2]), undecim aut tredecim anni so-

1) Regnante Han-ou-ti anno 138 ante Christum.

2) Anno 214 ante Christum libri incensi, reparari coepere anno 193 vel 191.

lum effluxere. Nihil itaque mirum quod dicitur in praefatione collectionis satis antiquae Chi-san-king: „Sub Han-tchao reliquiae librorum studiosius inquiri colligique coepere, excitataque est velut e cinere litteratura; inde factum est ut curis litteratorum et magistratuum praecipui libri paucos intra annos publica luce donati sint, constetque, imperante Han-yuen-ti, quinque opera canonica (Ou-king) jam explicari a magistris in regia academia, seu tribunali tunc temporis dicto Che-ling-ko.“

Hae lectiones seu dissertationes, de uno argumento tituloque, dicebantur Pien, quemadmodum gallice dicimus: „des pièces d'éloquence, de poësie.“ Neque enim elucidandis singulis aut plerisque textibus inhaerebant, sed summam libri aut capitis pluribus explicare satis esse rebantur.

„Ab illa autem (ait) aetate non fuit ad quem opera illa King non pervenerint;“ ope scilicet tot commentariorum, quorum indicem texere infinitum esset. Plusquam ducentos in Y-king jam diximus appellari in novissimis commentariis, imperatoris jussu, annoque 54 (1715) editis, nomine Tcheou-y-tche-tchong. Nec mirum: nam eximius criticus Ma-touan-lin (in lib. 175 Ouen-hien-tong-kao) scribens decimo-tertio seculo, tum ex libris tunc extantibus, tum ex catalogis auctorum, nominumque operum omissorum, recenset plusquam 272 volumina in Y-king, et quidem satis magna; quandoquidem in voluminibus sub Song-tchao, labore 140 auctorum, editis numerat 1366 libros (kiuen) in quos divisa erant. Adde volumina sub familia imperiali Soui numero 69, divisaque in 551 libros: sub Tang 88, studio 76 auctorum, quae 665 libris comprehendebantur. Quid? si his quis addere velit lectiones seu tractationes, sub Si-han, tredecim illius

aetatis scriptorum, quae nec in libros (Kuen) nec in volumina (Pou) ab illis tunc contexebantur, dicebanturque Pien, uti unius thematis tractationes.

Eidem critico notae numerantur 294, omissae tamen ab eo sunt, quae apud alios memorantur, similes opellae, in Tong-han scriptorum non ignobilium Sse-ki, Lo-hoa, Meng-chi, Yang-tching et forte aliquot aliorum libri Y-king etiam illis temporibus interpretum. Quantum enimvero illorum numerum habebimus usque ad 14^mum seculum — quantum postea? si quidem sub Yuen-tchao, sub Ming-tchao, et sub dominante nunc Tai-tsing, tot floruere id genus scriptores, ut caeterarum aetatum libris, ne numero quidem, inferiores esse videantur.

Nec forte est minor numerus commentariorum in Chou-king, in Chi-king aliosque, si libros canonicos ex interpretum numero aestimandos quis putat. Nam cum scientia maxime litterisque, sub illis familiis, ad maxima quaeque munia niterentur, commentarios in haec opera (King) canonica edere nihil aliud erat plerumque, quam se magnum litteratum profiteri, magnisque adeo dignum muneribus.

In Chou-king plus quam 142 magna volumina (Pou) sua aetate noverat auctor jam supra laudatus (in sua critice doctrinae librorum (Kuen) 1762), a 103 auctoribus edita, praeter 412 opellas Pien dictas, more sub Han-tchao usitato; sed taediosum esset et inutile numerum commentariorum inire, virisque Europaeis sigillatim exponere; quibus satis utique est scire ingentem per omnes fere aetates extitisse commentatorum multitudinem, quorum libri magno numero supersunt; ita ut de quinque operum King summa apud hanc gentem auctoritate dubitari non possit.

In tanta autem librorum multitudine aestimandi imprimis videntur commentarii ex melioribus collecti a delectis ab imperatoribus interdum viris, regiaque tunc auctoritate vulgati; in quibus scilicet plus et subsidii litterarii, plus et curae impensum fuit. Horum e numero sunt (Ji-kiang) quotidianae explicationes, et sub hac familia summo multorum studio absoluti editique, cum praefationibus ipsius imperatoris (anni 16 Kang-hi (1679 post Christum) est praefatio in librum Confucii Ta-hio) in quibus reddit rationem impensi in his libris studii, „ut ad sapientiae praedecessorum suorum fastigium assurgere sensim possit.“ In his idcirco perspicuitas imprimis quaesita est, quod studiorum causa elaborati fuerint. At in commentariis sub familia praecedente Tai-ming copiae imprimis ratio habita est, quod sibi proposuerint priorum omnium optimas probabilesque textuum interpretationes simul conjungere, suisque complecti operibus, quae ideo dixere (Ta-tsuen) pandectas. Nam videtur imperator voluisse compendium facere litteratis, quibus nec tanta librorum copia est deinceps evolvenda, nec tanti sumptus faciendi, quod innuit ipse in praefatione (Sing-li-ta-tsuen [1]) philosophicarum pandectarum, anno Yong-lo 13.

His exemplo praeiverant qui sub imperatoribus familiae Song, litterarum gloria celeberrimi prodiere commentarii dicti (Tchi-tchouen) junctae traditiones, seu multorum meliorumque interpretum explicationes una perspicueque repraesentantes; ab illustrissimis Tching-tse (ao. 1070 sub Chin-tsong) primum, et mox a famoso Tchou-hi (ao. 1172 sub Hia-tsong) adornati perfectique in omnia opera (King)

1) Aere christ. sec. 15. incunte, seu an. 1418.

canonica ac Confuciana. Omitto caeteros eorumdem libros, quod nunc nihil ad rem nostram faciant.

At nulla inter antiquas collectiones potior est quam illa cujus auctoritate supra usi sumus, complectens (Chi-san-king) tredecim opera canonica; nempe omnia quae vel ab omnibus litteratis, qualia sunt (Ou-king) quinque illa de quibus agimus, vel ab aliquibus doctoribus pro canonicis habebantur. Fuit illa imperata a Tai-tsong, familiae Tang secundo, selectis maximisque septimi seculi litteratis, quorum deinde commentarii publica luce regiis sumptibus donarentur, prius tamen a tota imperiali doctorum academia diligenter recogniti approbatique. Opus prodiit totum, jam regnante Kao-tsong, dictum (Tching-y) verus sensus; et ideo prolixum quod, praeter quinque opera King, vulgo dicta Ou-king, explicet etiam alia octo vetusta, quae ipsis visa sunt, hoc nomine non omnino indigna, licet non communi praedecessorum litteratorum pro indubitatis (ut ipsi loquuntur) sanctorum libris habita fuerint.

Habent itaque illi tredecim King, Chi-san-king; nempe: 1) Tcheou-y, seu hodiernum Y-king; 2) Chan-chou, seu hodiernum Chou-king; 3) Mao-chi, seu hodiernum Chi-king; 4) Li-ki; 5) Tchun-tsiou; sed hodierno Li-ki adduat duo de eadem (Li) rituum materia, unum 6) Y-li dictum, aliud 7) Tcheou-li. Ad Tchoun-tsiou praeter communem traditionem a magistro Tso-chi transmissam, referunt duas alias, separatis commentariis: 8) a Kong-yang et 9) a Kou-leang, habent et 10) explicationes notasque in Hiao-king, opusculum „de filiali pietate seu obedientia“ pervetustum, a multis Confucio attributum, et ab hodierno imperatore Kang-hi praefatione praeclara in novis commentariis recens illustra-

tum. Pro *King* habent opus Confucii 11) Lun-yu, sententiarum; 12) opus etiam Mencii; imo 13) librum Eul-ya, antiqui lexici (seu, ut loquuntur nonnulli, glossarii) vel relictum fragmentum, vel datum specimen; horum enim quoque explicationes complectuntur.

Atque ex his tredecim King numerus conficitur ab illis interpretibus, quin separatum edere habuerint opus Confucii Ta-hio (apud patrem Couplet [1]), et Sinas omnes illis recentiores, primum inter classicos Confucii libros) hoc scilicet opusculum ubi sua aetate erat, ibi reliquerunt. Erat in antiqui codicis Li-ki capite quadragesimo-secundo, quod ipsi habent commentarii libro (kuen) sexagesimo expositum: „Verum (inquit Tchou-tse in praefatione ad Ta-hio) duo insignes viri, provincia Ho-nan e familia Tching, cum hunc brevem Confucii tractatum multi facerent, et ad mores reformandos peridoneum judicarent, illum e tenebris operis Li-ki, in quo cum aliis permixtus erat, in lucem omnium protulerunt, melius quam antea ordinatum, suisque illustratum explicationibus.“ Idem de Tchong-yong dicit in praefatione: „Tchong-yong erat trigesimum primum caput Li-ki, fuit inde extractum a Tching-tse, separatoque commentario vulgatum.“:

Caeterum forma et ordo totius operis committebantur curae viri eximii Kong-in-ta, qui erat e domo Confuciana et ex omnibus illius aetatis eximiis literatis electus in magistrum principis haeredis imperii. Narrant siquidem annales (in Tang-che ad a. 41. septimi seculi) imperatorem Tai-tsou cum aliquando ivisset, ut interdum solebat, in collegium quod aedificaverat amplissimum, in quo et magno numero alumni et multi magistri toto ex imperio lectissimi habitabant, voluisse

1) Confucius philosophus. Parisiis, 1687. fol.

horum commentarios, in suum quem quisque tradebat librum *King*, per sese expendere, et brevi observasse in *tot* operibus, licet accurate elaboratis, desiderari ordinem et sententiarum consensionem. Inde factum, ut mandarit magistro Kong-in-ta, ut, cum adjunctis sibi doctoribus, libros *King* in idem opus, velut in unum corpus contextos accurato commentario eademque methodo exponeret ad usum litteratorum, nulli parcens labori nec sumptui.

Cum auctores collectionis hujus, imperatorum auctoritate, bibliothecas omnes, alicujusque nominis scrinia excutere potuerint, nullique curae se pepercisse praefantur, profecto habuere in manibus quotquot illo tempore reperire fuit commentarios. Sequendos tamen sibi credidere prae caeteris editos sub Han-tchao, utpote ab auctoribus incendio librorum vicinioribus; quibus tum ex domestica paucorum annorum traditione, tum ex publica notitia nondum dubia, liquere multa potuerunt.

In quo egregium plerumque delectum illos habuisse fatendum est. Nam apud quos sub Han pervenisse constitit scripta exemplaria antiquis litteris styloque antiquo, eos omnibus aliis, quacumque eruditionis fama valentibus, praetulere. Ergo licet tunc temporis, qui sub initia Han familiae regnantis prodierant, imprimis vigerent commentarii Y-king a magistro Tien-ho in duodecim velut lectiones (pien) divisi, nempe in epigraphes (ut vocavimus) principis Ouen-ouang et in epiphonemata filii Tcheou-kong (ex quibus solisque totus libri Y-king componitur textus), simulque in decem opuscula, velut commentaria, Confucii nomine edita sparsaque, quae Chi-y vulgo nominantur, et supra recensuimus; imo, licet inserti essent in opere sub Han tam celebri (Tchang-ku) quam fuere sub

aliis familiis, a nobis laudatae collectiones Tching-y, Ta-tsuen etc., nihilominus adhaesere libro doctoris Fei-tchi, et eorum qui eum secuti fuerunt, Tching-yuen, Tching-tchong, Ouang-tou-tse, Tching-hüen, et imprimis Ouang-pi, cujus nomen simul praefert commentarius in Y-king cum nomine doctoris Kong-in-ta (de hoc sigillatim postea §. 3.), viri in hoc Chi-san-king opere praecipui: quod Fei-tchi (de hoc sigillatim infra §. 4.) originalem haberet librum antiquis litteris scriptum quod bene observat Ma-touan-lin in sua librorum King (libro 175) critice.

Ob eandem quoque rationem factum in eadem collectione, ut suo in Chou-king commentario praetulerint librum magistri Kong-gan-koue, textibus a sene Fou-seng traditis qui diu viguerant, ipsisque commentariis celebrium illo tempore virorum Ma-jong, Tching-hüen, quos tamen alibi tanti faciunt, ut nullos magis. „Nempe, (ait Kong-in-ta) nec ipsi, nec qui praecesserant sub initio Han-tchao editores interpretesque, numquam videre integrum antiqui originalis libri exemplar, et in hoc potissimum erraverunt, quod textus libri antiqui quotquot supererant se habere existimaverint.“ Nempe ad illorum manus non pervenerat ipse liber a Kong-gan-koue antea repertus in latebra domus Confucianae, vetustis litteris exaratus, ut brevi dicetur; idcirco commentarius collectionis hujus in Chou-king habet utrumque nomen Han-kong et Tang-kong, nempe Kong-gan-koue sub Han-tchao, et Kong-in-ta sub Tang-tchao[1]) florentis.

Dicitur etiam in opere Li-ki, quod editum est in hac collectione explicatque Kong-in-ta, collatum

1) Tchao est familia regia, ita Tang-chao est familia regia Tang; Han-tchao familia regia Han etc. J. M.

fuisse antea ab illustri doctore Tching-huen cum antiquo King libro rituum, qui scilicet consarcinatus prodierat a magistro Siao-tai (aliter Tai-ching) ex antiquis de ritibus monumentis, praesertim domus Confucianae, post librorum incendium collectis, ea suis tradente et explicante a primis Han-tchao initiis magistro Kao-tang-seng.

Quod vero in eadem collectione reperiantur, praeter Li-ki, duo alii vetusti libri ad ritus quoque pertinentes, qui nec Confucii, Menciique tempore pro canonicis habiti fuerunt, nec nunc habentur; in causa est collectorum nimia forte erga antiquitatem reverentia. Nempe illis relligio fuit omittere quae King nomine vulgata reperiebant, sciebantque a nonnullis magni nominis doctoribus illustrata. „Fierine potest (ait editor Chi-san-king sub Ming-chao) ut non prodierint illi quoque a sapientibus eximiisque antiquitatis viris? et cum causa ac ratione; numquid illis falsariis perpecissent priores imperatores?“ Frustra haec ille. Quandoquidem expunctos fuisse constat e numero King, nec immerito quorum scilicet nulla loca in libris Confucii, Mencii, aliorumque his temporibus vicinorum, legi compertum erat. Inde forte est quod Kong-in-ta non commentatus [1]) fuerit Y-li, nec Tcheou-li, sicut nec Tchun-tsiou nisi ab omnibus receptum, relictis sociorum interpretationi duobus aliis a Kong-yang et Kou-leang [2]); „non oportuisset quidem (dicitur in praefatione) hos libros inter King recensere; relinquemus interea dum res ab aliis definiatur.“

Loquitur auctor hoc in loco de Tchun-tsiou,

1) Sub Tang commentator libri fuit utriusque doctor Kang-*kia-kong*.

2) Uterque est in Chi-san-king.

cujus textus ea aetate [1]) non extabat, nisi in tribus commentariis. Licet autem, sit (post incendium librorum) triplex, non uno in loco, nec eodem (ut apparet ex notis) tempore editus [2]), juxta exemplaria antiqua aliquorum curis reperta; quandoquidem tamen eundem habent ipsi Kong-yang et Kou-leang textum quem Tso-chi, pro canonico hactenus habitum; nihil inde concludi potest contra auctoritatem illius, quem prae caeteris illustrandum sibi sumpsit Kong-in-ta, primumque ac praecipuum esse voluerunt collectionis auctores, communem receptamque sua aetate sententiam potius secuti, quam novas ita sentiendi causas, quandoquidem nullius omnino manuscripti antiqui sibi noti nec alterius similis monumenti meminere; hunc autem, utpote antiqua studiosius sectantem, sub Tsin familia post Han-tchao dominante, ad veterum librorum fidem exegit, atque ita illustravit celeber Tou-chi [3]), ut Kong-in-ta et plerique alii, suis in commentariis, eum sequantur.

At in libro carminum Chi-king, a Mao-tchang sub Han-tchao in lucem rursus proaucto, non fuit deliberandi locus. Nam, collectionis tempore, nullus alius tradebatur; librique carminum alii, olim post librorum incendium aliquas saltem per provincias vagantes, omnino conciderant ante familiae Tang dominationem. Solus (dicitur in proemiali libro) liber a Mao-chi [4]) est originis notae: quod scilicet emanavit a Tse-hia Confucii discipulo.

---

1) Sub Tang-chao.

2) Est in Chi-san-king. Sub Han interpres fuit Ho-kiou-hio libri Kong-yang sub Sin-chao, Fan-chi interpres fuit libri Kou-leang.

3) Nomen ipsius est in Chi-san-king cum nomine Kong-in-ta, commentario libri Tso-chi seu vero Tchun-tsiou praefixum.

4) Mao-tchang, seu Mao-chi.

§. 2.

De stylo et ratione interpretandi.

Quinque igitur illa opera, pro authenticis et veris doctrinae Sinicae fontibus principiisque totam gentem semper habuisse compertum est; et ideo dici King, quod contineant veram non mutabilem, sed certam fixamque, una est scriptorum assertio. „Sunt, (ait praefatio in Chi-san-king) opera King ut viginti-octo constellationum stellae fixae, King-sing.“ Quod tamen non intelligunt perinde ac si omnia verba ad litteram accipienda sint, nec liceat in paucis locis aut litteras textus per alias interpretari, aut verba aliter interpungere, aut aliqua reprehendere. Nam ipsi, suis in notis quas parte secunda referimus, haec omnia sibi licere putant; et semper licuisse suis praedecessoribus demonstrant adductae ab ipsis antiquorum interpretum sententiae, inter se interdum nec parum discrepantes. Quin imo hujus suae agendi rationes auctorem habent Mencium, suos discipulos ita docere solitum; ne omne librorum genus recipiant, receptorumque King textus semper ad litteram interpretentur, sed potius ad auctorum sensum quae habent repugnantia. „Neque enim, (ait Mencius lib. 2. c. 3.) sapiens interpres debet abuti verbis ad corrumpendum sententiarum sensum. Si enim verborum cortici adhaeret (agitur ibi de Chi-king seu Odis) nec quid intendantur introspicit, v. g. in libri carminum parte Taya, oda Yun-han, ubi dicitur (lib. 6.): heu! infelices post tantam sterilitatem et famem imperii Tcheou reliquiae! proh vasta populorum strages, ne unus ex tot hominibus superest. Si (inquam) haec verba ad litteram accipis, necesse est ut credas dicasque nullum omnino hominem ex imperio superstitem fuisse, quod

tamen falsum esse per se patet. Ita scilicet loquendo nihil aliud intendit poeta, quam graphice pingere illorum temporum acerbitatem tantum non incredibilem.“

Aliud exemplum affert idem ex parte Siao-ya, oda Pe-chan: „quaecumque maris littora percurras, fluminumque perlustres ripas, ne unum quidem hominem reperies qui imperatori non sit subditus.“ Quae verba restringenda docet ad imperium et imperatorem suum; ita ut nec extra limites regni excurrat, nec inter palatium parentes ut subditos habeat.

At forte inquies aliquis: Mencius non ita loquitur nisi de Chi-king, de carminibus poeticisque odarum formulis; minime vero idem censet de libris historicis Chou-king, Tchun-tsiou; quorum si quae sunt metaphorae nimiaeque hyperboles (sunt perpaucae) illarum verus sensus, ex contextu toto, non ex quibusdam voculis, colligendus est. „Nam quidquid (ait) libris continetur, non continuo pro vero habendum est. Ita legere libros ut singula caece admittantur, pejus est quam nulles legere libros. Ego certe, in illo capite libri Chou-king (quinto Ou-tching) quae dicuntur de studio curaque Ou-ouang imperatoris obediendi cœlo in poenis a tyranno Tcheou exigendis; quae dicuntur de illius pietate et benignitate, de instauratione imperii, pro omnino veris et prout sonant accipio; at quae postea adduntur de pugna cruenta: pistillo [1]) par effusus cruor late per agros redundabat; vix fidem apud me inveniunt. Absit ut princeps tam pius, ... aggressus hostem omnis pietatis expertem, debuerit tam crudeliter saevire, redundante ad pistilli crassitiem sanguine: praesertim cum sciam summe pios nullum in toto imperio habere adversarium solere.“

1) Seu clarius: pistillus innatabat sanguini longe lateque effuso.

Idem aliis confirmat necessitatem censurae exemplis, quae longum sit exscribere, prorsus ut nihil mirum sit, tanto viro praeeunte, posteros doctiores, recepta operum *King* auctoritate, totoque (ut ita dicam) corpore servato, eorum tamen naevis maculisque non pepercisse multiplici et (nisi fallor) plerumque accurata critice, nostrae non absimili in graecis latinisque libris; uti patebit legenti parte secunda et tertia referenda in expositione textuum Y-king. Atque haec solum nunc generatim de librorum King genere scribendi, styloque, sigillatim deinde, dum de singulis §§. 3, 4, 5.

§. 3.

De Y-king.

Ut vero aliquid de totius operis Y-king auctoritate statui certo possit, revocanda hic sunt quae de illius auctoribus jam diximus. Si Fo-hi est auctor figurarum, si Ouen-ouang et Tcheu-kong sunt auctores textuum, si commentarii illorum antiqui sunt Confucii, manifestum est maxima, vel ex hoc capite, opus hoc dignum esse apud Sinas veneratione; quibus nimirum nihil illustrius videtur fuisse nominibus Fo-hi, Ouen-ouang, Tcheou-kong, Kong-tse. Inde summa constansque libri auctoritas; inde elogia omnium ferme gentis scriptorum, nunc justa, nunc justa majora. Ita non apud nonnullos legas laudari ut opus omnium antiquissimum, quod origo ejus sit a Fo-hi, cui tamen solas ipsi tribuunt figuras; apud alios, ut plenum sententiis eximiis, praeceptisque ad regendos populos aptissimis; quod quidem verum est, at non de Fo-hi sed de Ouen-ouang et Tcheou-kong intelligendum docent.

Eandem ob causam quod liber Y-king qua parte linearum combinationes exponit modum offerat compo-

nendi litteras ex lineis diverse dispositis, et (ut supra narratum est) Sinicis characteribus causam dedisse dicatur, laudatores isti in genere dicunt (Tchou-hi commentar.) Y-king esse truncum unde litterae natae sint. Sed, si litteras peperit, nonne dici potest (Y-tchouen commentar.) parens doctrinae, parens librorum, origo scientiarum? haec etiam variis metaphoris multi dicunt repetuntque.

Quod etiam Y-king suis figuris (ut dictum est) ex instituto referat res naturales, ut coelum, terram, montes etc. aiunt: „Y-king complecti coelum et terram, ita ut nihil sit quod non contineat . . . . . non solum esse originem quinque librorum King, sed etiam omnium rerum visibilium et invisibilium arcanum quoddam receptaculum . . . . . ita ut scire alios libros, et nescire Y-king, nihil aliud sit quam consectari rivulos neglecto fonte, ramos velle habere sine radice . . . . . " quae hyperbolae nullum fallunt Sinam, quod nullus sit inter litteratos qui nesciat varias nominis Y-king acceptiones, ejusque partium discrimina, fallere tamen possunt Europaeum lectorem his Sinarum encomiis forte plus tributurum quam nostris [1]) de philosophia: „rerum divinarum humanarumque scientia, ... naturae arcanorum mystagoga, ... coelum terramque metiens pervadensque, fons omnium artium, ... sine qua nihil scitur, ... cujus opus est de divinis ac humanis verum invenire, a qua nunquam recedit justitia, pietas, relligio et omnis comitatus virtutum" etc.

Ad auctoritatem operis Y-king quoque facit communis et certa opinio, non periisse [2]) incendio librorum

1) Apud philosophos passim, et apud Senecam v. g. epist. 90.

2) Id apparet ex mandato imperatoris quo annuit supplici libello

ab imperatore Tsin-chi-hoang praecepto, quod eos incendi solum voluerit qui ad trium priorum familiarum mores et instituta toti pertinerent; „volens (aiunt) eorum memoriam extinguere quorum exemplis damnabatur.“ Hoc notat ipse Kong-in-ta prolegomenis ad Y-king; id refert Li-chi in vita virorum illustrium, id observant commentatores antiquae historiae, id denique probat constans perpetuaque traditio libri Y-king, initium ducens a Confucii discipulo Tchang-kŭ, ut supra narratum est, perque manus doctorum Kiao-pi, Pi-tse-kong, Tcheou-sse-hia, Ou-tse-tching, non interrupta successione perveniens ad celebrem incendioque proximum Tien-ho; cujus opus sub Han-tchao solum, et illustrium discipulorum notis illustratum, multos annos viguit, quod jam observavimus paragrapho primo. Hic vero observandum insuper venit, in nullis eorum libris dici, ea quae docebat scribebatque magister Tien-ho, fuisse, vel ex aliquo manuscripto paulo ante ex latebris excerpto, aut ore tradita ab aliquo texturum Y-king memore, aut ex variis monumentis rumoribusque collecta: quod tamen refertur de aliis libris King post incendium editis, nempe id non necesse fuit, Y-king non incenso.

Verum inter tot magistri Tien-ho discipulos fuisse videntur, qui illius famae scriptisque nocuerunt. Prodiit siquidem e schola Ouang-tong, quem ille prae caeteris excoluerat, celeber King-fang: qui in imperato a Tching-ti (anno ante Chr. 32) familiae Han imperatore nono, librorum examine, visus est suis in notis propendere ad praedictionem infortuniorum, ideoque factus continuo suspectus falsae inanisque doc-

---

ministri sui Li-kĭ petenti hoc incendium, libellus totus refertur in annalibus.

trinae; unde accidit ut paulatim, nec quidem multo post, ipsius nomen consenuerit, ita, ut sub Tsin-tchao omnino concidisse videatur.

Id tamen addam, videri mihi ipsum King-fang (quidquid sit de ejus discipulis et sectatoribus) praevisioni animi, suaeque in praecavendis malis perspicaciae, plus tribuisse quam conjecturis ex astrorum motu, aliisque apud imperitos praesagiis futurorum. Nam (ut referunt annales) cum imperator Yuen-ti (ex Han-tchao) aliquando quaesivisset ex eo, utpote uno ex praecipuis suae aulae litteratis, rerumque administris, quem etiam aliquam astrologiae operam navare audierat, cur tot calamitates sibi, totoque imperio penuria rursum laboranti, continenter obtingerent, ita respondit, ut non ad siderum naturaeque physica phenomena, sed ad veras malae gubernationis morales causas, attenderit. „Animum (ait) quaeso referat tua majestas ad tempora imperatorum You-ouang et Li-ouang, causasque labentis in pejus tunc imperii in memoriam revocet.“ „Enimvero (inquit imperator), eae non longe repetendae sunt; eas habeo in promptu apud utrumque imperatorem, cum viles animo homines gratia valerent, verae gubernationis leges pessumdabantur.“ „Majestatis itaque tuae est (subjunxit King-fang) sigillatim inquirere in totam gubernationis praesentis rationem formamque, rectane sit dignaque bene succedere.“ „At hoc ipsum est quod quaero a te (respondit imperator), male succedere administrationem conqueror, et cur ita sit scire cupio.“ „Facile illud (ait King-fang) occurret majestati tuae, si dignetur secum expendere quibus potissimum hominibus credat? quos adhibeat omnium conciliorum participes? quorum sententia in interiori prius palatio gerenda definiat? a quibus cognoscat promovendos ad publica munia? quicumque scilicet ipsis

placuere.“ Subiratus ad haec imperator, quod eunuchum Che-hien, cujus opera praesertim omnia administrabat, invitis multiplicique libello adversus illum declamantibus ministris, sugillari intelligeret, sermonem abrupit, et King-fang statim dimisit. Postea secum reputans quam sibi molestum futurum esset tot negotiorum curas, quibus ab eunucho in his diu versato levabatur, sine illo sustinere, etiamsi dicta a King-fang pro veris haberet, nihilominus, ut erat laboris parum amans, omnino statuit, eunuchum retinere, et King-fang, ne illius telis pateret, ex aula dimittere, data illi provincia Ouei-kin regenda. Nec abnuit King-fang, sed petita tamen facultate mittendi ad imperatorem secretos libellos supplices, quoties ita faciendum judicaret. Qua enim erat providentia, id ad se suosque tuendos necessarium arbitrabatur. Facultatem quidem imperator statim et lubenter petenti concessit, at paulo post, ipsius ante discessum, eamdem revocavit. Quod ubi audivit King-fang: „actum est (inquit) de me, amici, perii.“ Jamque discessurus, oblato imperatori libello, ne quid cautionis praetermitteret, id ipsum significavit; nec tamen evasit. Unus ex his, quibuscum locutus erat King-fang, et cui sigillatim narraverat dicta coram imperatore, nomine Tchang-pou, vir quidem nobilis erat, ejusque socer, at notus in aula nebulo, et incautus. Ab eo ad aures eunuchi rumor non dubius pervenit attentatae recens contra ipsius auctoritatem machinationis. Excanduit scilicet, et brevi invenit aliquot testes qui King-fang cum Tchang-pou male de imperatore et gubernatione locutos esse dicerent. Inde laesae majestatis reus factus, tribunalis supremi sententia occisus est.

Prodierat interea doctor Fei-tchi, antiquum operis Y-king manuscriptum ostentans, vetustis exaratum

characteribus, scholamque aperuerat, magna antiquae eruditionis fama; ex qua extitere celeberrimi dominante ubique Han-tchao familia interpretes, illius scilicet discipuli, discipulorumque auditores, non tamen eodem successu.

Qui primi ex ea schola scripsere in Y-king, clarissimi [1]) Tching-yuen, Tching-tong, Ma-jong, Tching-huen, profitentur se tradere doctrinam magistri Fei-tchi; et inter eos Tching-huen suos in eam commentarios, seque ita omnibus probavit, ut imprimis viguerit, et quidem diu, quandoquidem constat, ex libris sub Tsin-tchao, quinto seculo regnante, editis, illius in Y-king commentarios in scholis legi solere. „At, subsequenti aetate paulatim (ait criticus Ma) minoris illi fieri coepere, nuncque vel evanuere, vel ignoti alicubi jacent.“ Nec immerito: si enim habuerunt nonnulla circa sortes, Po-che, nempe ex King-fang (quae apud sui magistri sinceros libros non reperiebantur) mutuati, „certe non referunt sensum doctrinamque sanctorum seu excellentium virorum a quibus est Y-king“ [2]). Praevaluere itaque commentarii aliorum e schola magistri Fei-tchi, illo doctore Tching-huen sociisque posteriorum. „Ex quo (aïunt Kong-in-ta et Ma-touan-lin) Ouang-fou et Ouang-pi communi cura suas explicationes edidere, Fei-tchi solus viguit, aliorum aliqui jacuere, aliqui periere.“

Librum autem Fei-tchi convenire cum libro antiquo genuinoque magistri Tien-ho aut in paucis levioribus discrepasse, probari potest ex iis quae referunt optimi quique variarum aetatum scriptores [3]).

1) Ita narrant varii auctores antiqui apud Ma-touan-lin in criticae doctrinae lib. 171.

2) Iidem ibidem. 3) Apud eundem.

Y-king (aiunt) magistri Tien-ho manarat a discipulo Confucii. Complectebatur hujus commentarios Siang, Toen, Ouen-yen, Choue-koua-tchouen et numero duodecim, puta Tse-koua-tchouen; Tsa-koua-tchouen; Hitse duplex, Chang, Hia; principis Ouen-ouang sententias, figuris tum primae tum secundae partis affixas; filii Tcheou-kong sententias in earumdem figurarum lineas, juxta utramque paterni operis partem. At iidem, dum de Fei-tchi loquuntur, aiunt tradidisse Toen, Ouen-y, et reliqua numero duodecim; nempe ea opuscula, quae ab illius tempore vulgares editiones habent, praeter textus libri Y-king a Ouen-ouang et Ou-ouang, decem Confucii commentaria duobus tomis (Chang-pen, Hia-pen) complecti solitae.

Adde quod interpretes et historici illi, qui referunt commentarios discipuli King-fang ab examinatore Leou-kiang judicatos esse ab antiqua doctrina alienos, vanaque sectari praesagorum verbis non absimilia; iidem absolvunt antiquum librum magistri doctoris Tien-ho (qui tunc erat in recepto opere Tchang-ku) simul alterius illustrissimi discipuli Ting-siang-kiun, exercitum ducis, commentarium Siao-tchang-ku, parvum Tchang-ku, qui etiam appellatus legitur (Choue-y) explicatio Y-king.

Qua propter necesse fuit, tempore imperatoris Tching-ti, sincera aliquot libri Tien-ho exemplaria superesse, licet doctoris King-fang commentarios litteratorum vulgus tereret, ita ut potuerit magister Fei-tchi suo manuscripto antiquo auctoritatem consiliare, ob similitudinem ab omnibus Tien-ho memoribus observandam. Illinc pro vero admisissent manuscriptum Fei-tchi, si multum discrepare comperissent ab illo ipso, quem pro Confucismo hactenus receperant.

Omnes certe discipuli, tum magistri Tien-hoy tum magistri Fei-tchi, qui commentarios ediderunt in sententias Quen-ouang et Tcheou-kong (veros solos quos Y-king textus), easdem, ut omittam minutias de quibus infra parte 2, et 3., verbis iisdem referunt, ad junguntque vel adhibent plerique praecipuos Confucii commentarios dictos Toan et Siang, at cum circa alia opuscula, eorum commentariorum velut supplementa, non convenit, imo non appareat, ea esse tota certo Confuciana, illorum alii sine commentariis praeterire, alii explicuerunt cum reprehensione non paucorum locorum, quae pro suspectis interdum, interdum pro adulteratis, habent, variantibus sententiis. Censores quidem librorum publica auctoritate constituti depravationes illas inhibuerunt, sed frustra; quandoquidem aut omnes aut pleraeque in hodiernis libris notant critici doctique interpretes. Nam cum opuscula illa, quae in ultimam partem (ut finae editionis Y-king faciunt) nos conjecimus, sint potius collectiones variarum sententiarum, quam continuati stylo contextae elucubrationes, textuum plus minusve patiuntur, ita ut assutae sensim) periochae, et quidem non paucae, non facile adverti secernique possint. Id constat, horum in primis additamentorum et aliquot adulterationum subsidio, detortas fuisse aliquas operis sententias ad vana praenostica, similiaque, a superstitionis, quo vitio laborasse aiebant King-fang, licet magni nominis litteratum, ipsumque celeberrimum Tching-huen, quanquam levius fuisse affectum jam retulimus.

Hic addere possumus eadem illorum aetate non parum famosum scholae Y-king magistrum Tsiao-tchin. „At (inquit criticus Ngeou-yang-sieou) nescitur, a quo habuerit quae tradebat; ait se in secreto ea primum accepisse. Quod vero nihil ferme loquitur

nili infortunia et principia physiologiae Yn et Yang, parum tribuere videtur doctrinae rerae Y-king a sanctis seu excellentibus viris traditae."

Sed in his tribus hoc notatu dignum est, quod additur ab iisdem criticis reisque litterariae historicis, nimirum ideo eorum libros, ex prima quam novitas et magistri nomen attulerat, fama excidisse. Nam vel inde patet quam semper abhorruerit schola Confuciana, sectaque litteraria, a vanis libri Y king explicationibus, abusibusque sortilegorum; et quam falsa sit, per totam Europam jactata a ritpuna Sinicorum adversariis, libri Y-king informatio, quem librum sortium dicunt. Sed quid facias id genus hominibus ignota loquentibus? quisquis certe librum Y-king, et vulgares saltem commentarios perlegerit, non potest non in eam venire sententiam, quam ante nos probavere antiqui missionarii, scilicet librum Y-king esse refertum optimis moralis doctrinae praeceptis, nec inverosimilibus physiolo giaeplacitis. Quod an ita sit, et quatenus, ex tota secunda parte facile a nostris hominibus intelligetur.

Obscurus quidam ille est, et hoc ex capite aliis libris Hing minor, at genus docendi per figuras emblemataque, ad quod coacti sunt auctores periculosis tyranni Tcheou temporibus scribentes, semper involvit aliquid aliunde requirendum. Sententias non patitur sibi subjici prolixas, obvias, sed reconditas, subtiles, duplicis sensus. Adde styli metaphoras, antiquitatem, varietatem, plerumque numeris soluti, interdum adstricti, et (quod difficilius) allusiones ad varias res, paucis vel illo tempore cognitas, sed solis ferme secretorum Ouenkang et Ou-ouang contra Tcheou consiliorum conscüs, mirabere profecto Sinarum interpretum conatus, qui eo devenere, ut, nonnisi in paucis locis infra notandis affectam obscuritatem non discusserint, nihil

in tenebris relicturi, si nihil ex illorum temporum historia ipsis periisset: „at enim (ait Yang-tse [1]) antiquior istis plerisque sub Han interpretibus) res antiquitatis ferme interiere; aliqua manifesta, aliqua occulta et in obscuro . . . . . ex centum millibus circumstantiis vix unam cognoscimus“ etc.

Ad extremum id monebo, nomine libri Y-king, a nobis et interpretibus intelligi figuras, simulque subjectas figuris sententias numero 448; quas claritatis causa, distinguimus in epigraphes principis Ouen-ouang et in epiphonemata filii Tcheu-kong et quos solum verumque ac proprium libri textum componere certum est. Ab his ergo repetenda est notitia libri Y-king, in his insistendum, ad horum obvium sensum, velut ad regulam, exigendae tot interpretum explicationes, ipsique antiqui commentarii Toen et Siang [2] illi in epigraphas Ouen-ouang, isti in epiphonemata Tcheou-kong ab omnibus aetatum litteratis admissi, et in vulgaribus editionibus utriusque principis sententiis adjecti, et quos solosque pro omnino Confucianis esse recipiendos censemus, „nam ipse Confucius, aiunt [3]), suis nondum contentus commentariis, vitam sibi ad aliquot adhuc annos prorogari cupiebat; quos si obtinuisset, distincte liqueret totus liber Y-king.“

In opusculis quidem, quae ad calcem tomi secundi imprimuntur, et a multis Confucio tota attribuitur, sunt aliae explicationes; at semper (ut patebit legenti partem tertiam) textuum verbis inhaerentes; quae hactenus tamen nulli sufficere visae sunt contra difficultates aliquorum textuum; ita ut ad alias alii recurrant

1) Seu Yang-tchou ferme 190 ante Christum.
2) Editi videntur a Confutio anno 481.
3) In Chi-kan-king.

solvendi nodi rationes, Confucium haud dubie secuturi, si illum in his viam ostendere certe credidissent, aut nihil ulterius inquirendum reliquisse. A qua opinione longissime absunt, quandoquidem in his opusculis nullus ferme est, qui non notet varia loca ut dubia, ut adulterata, Confucioque minus digna. Unde autem haec corruptelae prodierint, etsi est inutile dicere, cum id factum constet, id totum in conjectura positum est. Nihil autem probabilius quam illas attribuere auctori King-fang, aut potius illius scholae, uti dicetur parte tertia Hi-tse c. 3. art. 3. Sed de Y-king hic jam satis.

§. 4.

De Chou-king

Secundo loco ponam hic opus antiquum, quod Sinae dicunt Chou-king et Chang-chou velut historicum dictorum, non quia minoris faciendum mihi videtur, imo pluris. Est enim sine figurarum ambagibus, propriis clarisque verbis expressum, gravioribusque totum contextum ex sententiis, quod nihil fere contineat nisi imperatorum statuta, documenta, plures ad suos orationes, ministrorumque responsa, monita, quae utique clare intelligi debebant ut principibus populisque prodessent [1]). Sed quia est aetate posterius, utpote nihil habens figurarum Fo-hi antiquitati aequale, multaque post Ouen-ouang et Tcheou-kong, sententiarum Y-king auctores, nempe mandata dictaque ac praecepta a Tching-ouang, Kong-ouang, Mo-ouang, ad Ping-ouang [2]) 13um familiae

1) Est itaque Chou-king collectio legum, mandatorum et documentorum ab imperatoribus nonnullis trium priorum familiarum, eorumque ministris, et a fundatoribus imperii.

2) Coepit anno 770 ante Christianam aeram.

Tcheou imperatorem. Haec itaque causa fuit nonnullis illud post Y-king recensendi, quod parum ad auctoritatem libri facit; aliis vero minus accuratis, dicendi illius doctrinam ab Y-king antiquiore, velut ab origine emanasse; immerito: nam Chou-king habet maximam partem dictorum et statutorum ante tempora principum Ouen-ouang et Tcheou-kong ex quorum sententiis, solisque, constat contextus libri Y-king. Sicut enim post legislatores Yao et Chun [1]) tres imperatorum familiae [2]) numerantur, ita et opus Chou-king, postquam prima parte vocata You-chou de Yao et Chan selecta retulit, in tribus aliis partibus prosequitur quae sunt a tribus familiis Hia, Chang, Tcheou; eas ab iis nominans Hia-chou, Chang-chou, Tcheou-chou; totumque nunc constat 58 capitibus. Nec alias a Confucio Mencioque ferme adduci videmus sententias, quam eas ipsas, quae in illis quatuor operis partibus leguntur; quamvis a scriptoribus antiquis [3]) plerisque referatur, partes illas olim prolixiores fuisse, et tempore Confucii [4]) (qui totum opus recognovit emendavitque) centum complexisse capita, periisse illa, nec jam sciri (ut aiunt) posse: quae nunc in Chou-king habemus a viginti ferme seculis, sufficiunt genti universae instituendae, eandemque auctoritatem apud omnes habent quam habuisse constat ante imperatum a Tsin-chi-hoang incendium, irato imprimis libro Chou-king similibusque, praedecessorum mores, praecepta, regendique formam exprimentibus. Prodiit tamen iterum, extincta paucos intra an-

1) Yao coepit ante Christum 2757, Chun 2257; uterque legislator Sinici imperii, inter conditores, merito a plerisque celebratur.

2) Prima Hia, secunda Chang, et postea Yn; tertia Tcheou.

3) In praefatione Kong-gan-kouo.

4) Kong-in-ta in libro proemiali Chang-chou.

non incendiarii principis familia, e latebris eruit Confucianae, earumque magistri Kong-gan-koue in totam gentem manavit, sed hunc accuratius novisse operae pretium erit.

Magister Kong-gan-koue, proprio nomine vocatus Se-koue, natus est in regno Lou, nunc Chan-kong provinciae parte, ubi sunt bona celeberrimae domus Kong, imprimis a Kong-fou-tse quem Confucium latine dicere solemus, illustratae. Patrem habuit nomine Kong-tchong, Confucii nepotem decima generatione, qui, singularis eruditionis praesidio, assecutus est munus titulumque magni litterati, Po-che; quod tanta laude gessit, ut postea creatus fuerit ab imperatore Heou [1]) velut comes et cognominatus (Peou-thin-heou) perfectus comes. Filius Se-koue in domo paterna primum litteras diligenter didicit, deinde, ut magis ac magis sese excoleret, audire voluit celebriores, illo tempore quo libri jam coeperant ex incendii reliquiis excitari, omnium doctrinarum magistros. Florebant in illa provincia duo imprimis, alter vocabatur Chin-kong, docebatque carmina, selectas quippe odas et cantilenas regni Lou acceperat [2]) a Peou-kiou-pe, qui ex his jam librum fecerat, et nominaverat Lou-chi, carmina Lou regni, ut antiqui libri Chi-king carminum libri, vices impleret. Sub Ouen-ti [3]) imperatore hunc primum adivit Kong-gan-koue, et ab eo [4]) carmina didicit, elapsis aliquot annis, venit in eam urbem quam nunc vocamus Ninan-fou, estque metropolis provinciae Chan-tong, ubi

1) Coepit anno 156 ante Christum.

2) Dicitur in libris sub Soui-tchao, Soui-king-ki-se.

3) Imperator 5ᵉˢ ex Han anno 179 ante Christum.

4) In Hio-tong traditio seu successio doctrinae.

liber Chan-chou tradebatur a senis Fou-seng discipulis, schola ab imperii Tsin exidio statim aperta.

Fou-seng [1]) nomine proprio Ching, erat vir litteratus, et, pro more gentis, multa ex vetustis libris et imprimis ex antiquo Chou-king puer didicerat; munus jam gerebat publicum, quando vesana imperatoris Tsin-chi-hoang ambitio, postquam destructis veterum familiarum regnis ad summum fortunae venerat, in litteraria eorum monumenta librosque igne ferroque saeviebat. Silere itaque necesse fuit dum eo extinguenda brevi concidit odiosae domus potentia; at ubi Leou-pang tyrannidis victor in imperium successit [2]), coepitque illius familia Han longe lateque dominari, exsurrexere undique litterati, qui coeperunt undique, illius praesidio opibusque in instaurandam veterum doctrinam incumbere; quaesiti ubique libri; accersiti variis ex locis seniores, omnia monumenta excussa aequali principum et subditorum studio, ne quid ex antiquitate erudita, tantique a suis majoribus aestimata, deperiret.

Fou-seng interea posito magistratu recesserat domum, et, ut ad commune litteraturae bonum quod poterat conferret, tradere coeperat paucis discipulis quae, memoriter licet, jam senex, tenebat capita antiqui libri Chou-king. Erant illa solum 28, ex quatuor operis partibus desumpta; quod tamen tunc temporis nec plura nec meliora suppetierunt, magnam auctori peperere famam; ita ut libri Chou-king instaurator haberetur; nec tamen, ob civilia bella mox exorta, invadente regiam potestatem famosa foemina Lou-heou, tanti factus est, quanti postea. Pacato enim brevi imperio, Ouen-ti

1) In You-ling-tchouen academica traditio.

2) Coepit anno 206 ante Christum Han-kao-tsou, quiet Leou-pang.

rerum potitus, patrem avumque instaurandae litteraturae studio curaque longe superavit: missis varia in loca selectis viris, qui libris inquirendis detegendisque instarent; doctos jam grandaevos, quotquot reperire erat, de antiquis monumentis moribusque diligenter interrogarent; praemiaque proponerent aliquid dignum afferentibus: accersitis etiam in aulam celebrioribus magistris litteratisque, omnibus honorum et opum spe ad studia excitatis, et abolita [1]) denique solemni decreto imperatoris Tsin-chi-hoang prohibitione.

Imperator, audito magistri Fóu-seng nomine, eum ad se vocare voluit. At, inquit historia academica, erat jam octogenarius, et ita debilis, ut non posset incedere. Satius itaque fuit ad eum mitti unum e regio tribunali Tai-tchang-sse, quod nostra aetate rituum tribunalis (Li-pou) nomine comprehenditur. Mens imperatoris erat, ea quae senex tradebat, fideliter ab ipsius ore excepta, litteris tunc vigentibus habere descripta, librumque ex his, si digna videbantur, confectum ac recognitum, nomine Chou-king typis edere.

Senex non loquebatur bene, uti solitus lingua vernacula etiam cum suis ejusdem regni discipulis, ita ut ab aulico non semper intelligeretur: „puta (ait Yen-chi-kou) inter decem verba erant duo aut tria a vero usu abhorrentia.“ Ut ut sit, interpretum ope adhibitaque cura, descriptus est liber; et in aulam relatus, licet nec satis integer, nec satis emendatus, tanquam authenticus Chou-king avide legi a litteratis coepit, vigeroque brevi per provincias. Inde celebritas quam obtinuit sub Han-tchao, ad tempora usque Tsin familiae imperatorum: frequenti proelo excussus teri in aliquibus scholis solitus, scholis clarorum virorum illu-

1) Anno quarto imperii qui erat 175 ante Christum.

teratus, quin et variis accessionibus auctus. Quandoquidem, apud diversos illius aetatis interpretes, reperiuntur complexus primum filiae viginti octo capita; deinde viginti novem, nempe accepto capite Tai-chi, quod nunc est primum quartae partis Tcheou-chou dictae, ab puella quadam provinciae Ho-nan textum illius recitare solita; denique quadraginta unum capita, additis ex aliorum relatione repertisque casu fragmentis, decem amplius capitibus; quanquam certum sit verum librum senis Fou-seng nunquam habuisse nisi 33 capita, postquam scilicet, invento regnante Ou-ti antiquo manuscripto (Confuciana in domo) Chou-king, ex collatione patuit viginti octo illa capita, antea sub Ouen-ti libro comprehensa, distingui debere in plura, scilicet in quinque, quae sub eodem titulo tradiderat Fou-sang, atque adeo nonnihil confusa.

ADNOTATIONES.

1) Kong-in-ta ait: „caput (quale nunc extat) dictum Tai-chi non est a Fou-seng sed tempore Han-tchao, imperante Ou-ti prodire coepit et currere. Sed tamen collectores historiarum et veterum monumentorum illud retinuerunt et adjunxerunt libro Fou-seng, quod conveniret ferme in omnibus cum aliis, et etiam cum textu ejusdem capitis a puella olim memoriter recitati.“ Traditio de libro Fou-seng refertur in libris sub Soui editis, nempe in prologis ad King. A Fou-seng librum accepit concivis Tchang-seng. Is illum dedit doctori Ngeou-yang, in cujus domo scholaque mansit, ita ut, tempore Ngeou-yang-kao diceretur, doctrina domus Ngeou-yang.

2) Praeterea a Tchang-seng librum magistri Fou-seng habuit alter discipulus Hia-heou, et ab hoc Tou-yen, qui illum tradidit filio sui magistri Hia-heou, in cujus familia permansit; nam florente Hia-heou-tching doctrina haec dicebatur domus Hia-heou. Ab illo cum eandem accipisset filius minor Ki, et suis nepotibus reliquisset excolen-

dam, duplex reperitur sub Han et sub Tsin scholae Hia-heou, majoris et minoris.

5) Illae scholae viguere sat diu. In libris sub Soui dicitur: Han-tchao dominante in orientali parte nondum cessaverant; nec id satis: nam sub Tsin in oriente reperiuntur adhuc verba Chou-king (a Fou-seng accepti) apud domum Ngeou-yang ait notatque Ye-che-ling. Verum itaque est, quod dicit Ma-touan-li librum illum concidisse, ubi sensim invaluit antiquus Chou-king a Kong-gan-koue productus.

Extant reipsa nunc illa eadem capita sub nomine (Kin-ouen) novi textus; 28 si conjungantur, 32 si separentur: additurque textibus antiquis nempe manuscripti vetusti a Kong-gan-koue sub Ouen-ti reperti; singulis addito nomine ad distinctionem (Kou-ouen) antiqui textus. Supersunt itaque ex 58 capitibus quibus nunc Chou-king componitur, solum 25 quae soli manuscripto Confuciano debet posteritas; quanquam dici potest cum nonnullis illius laudatoribus nihil illi non debere, sine quo nihil habuisset emendatum omninoque sincerum.

Casum quo codex antiquus Chou-king prodiit in lucem omnes ferme narrant historici illorum temporum, et interpretes librorum, sub familiis Han, Teang, Soui, Tang, quorum loca longum esset et inutile exscribere, quod idem aliis verbis dicant. Hos secutus Hiong-sse-li ait lib. 36. „cum doctor Gan-koue redux e schola magistri Fou-seng se totum litteris abdidisset, in vetustis characteribus libriisque intelligendis, quo studio adolescens delectatus fuerat, enixius desudare coepit; ita ut dici possit in hoc genere magistrum non habuisse, nec illa aetate parem fuisse. Accidit autem, ut, dum princeps regni Lou juberet resarciri amplificarique antiquam domum Confucii, pit inventus intra parietem latens liber Chang-chou cum nonnullis aliis Confucianis, scriptus in ta-

bellulis arundineis, et quidem litteris perantiquis quas Kiao-teou appellabant, velut ductibus irregularibus efformatus, humiditate et vetustate etiam detritus non paucis in locis. Solus Kong-gan-koue vetustis litteris dignoscendis assuetus, sciensque quae a Fou-seng didicerat, potuit manuscriptum legere intelligereque. Adhibuit tamen etiam alios magistros rerum antiquarum morumque scientes, et illorum exquisitis sententiis, suoque imprimis labore, definivit quo modo legi deberet, scribique litteris tunc (licet antiquis) notis, ut idem cum vetusto maneret" [1]).

Tunc vero compertum est librum antiquum Chou-king multis capitibus superare editum nomine magistri Fou-seng; praeterea illum habere quinque capita separata, quae senex conjunxerat. In primum sui libri caput contulerat quae duo esse debent, Yao-tien, Chun-tien, nempe codices legislatorum Yao et Chun diversi. Quod ex antiquo illo Confuciano manuscripto habemus in hodierno Chou-king caput quartum, nomine ministri Kao-yao; adhaerebat cum quinto dicto Y-tsie praeterea partis tertiae tria capita non erant tunc distincta, sed sub uno titulo de imperatore Pan-keng e secunda imperatoria familia Chang seu Yn de qua agitur; denique partis quartae quae est de tertia familia Tchou caput Kang-ouang-kao conjungebatur in libro Pou-seng cum capite Kou-ming. Haec ergo cum ope sui manuscripti docuisset Kong-gan-koue distinguenda, liber deinceps senis Fou-seng, editus in multis locis, fuit divisus non in 28 capita sed in triginta tria; quae res non satis animadversa a nonnullis inconstantiae suspectos fecit aliquos

1) In Hia-tong lib. 36. Confer Ma-touan-tin, Kong-in-ta et Song-kien-kang-mou.

scriptores immerito: nam non sunt ejusdem temporis; nec exemplaria libri Fou-seng eadem fuisse liquet.

„Opus ut absolvit (ao. ante Christum 138) suum Kong-gan-kouo, illud tradidit academiae litterariae praefectis, imperatori Ou-ti [1]) offerendum. Ab his jussus est prius scribere prologum seu introductionem, notatis capitum titulis argumentoque, quod abunde praestitit, opus non seguiter restrictane suum, illudque solum ex 58 capitibus constituens." Satius enim esse putavit pauca dare sed omnino certa et sincera, quam multa sed dubia sed adulterata, quae nempe legi satis non poterant in manuscripto, temporis iniquitate diluti, partim et fugientibus oculorum aciem litteris; cum praesertim quinquaginta-octo illis capitibus medulla doctrinae regendo imperio non imparis contineatur. Ait enim (ut ipsum praefantem audiamus): „antiquus sapiens Confucius exquisivit expenditque (Fen-tien) antiquos libros, codicesque documentorum legumque a primis imperatoribus ad familiam Tcheou tunc regnantem, multaque reperit male digesta, aliena, confusaque. Quapropter resectis iis omnibus quae sine causa insertae erant, opus protulit solidum quod utilia quaecumque complectitur, parque est instruendae tbi posteritati, continens scilicet centum capitibus leges, instituta, documenta, monita, quibus erudiantur ad omne officium erga quoscumque aliorum domini, imperatores principesque, ad probe intelligendum quid intendere, quid agere debeant. Tanti autem haec faciebat Confucius, ut ea omnibus discipulis traderet, nec e tribus millibus vel unus fuerit ad sapientiam non ita institutus. Ast heu! successit e quarta familia Tsin, imperator Tsin-chi-hoang, quod vellet trium prio-

1) Dynastiae Han quintus imperator coepit regnare ante Chr. 140.

rum instituta extinguere, continuo illius jussu combusti sunt libri, litterati multi occisi, simul cum magistris dissipati commentarii, veterumque monumentorum explicationes quae ne omnino interire paterentur aliqui e nostra familia, usi sunt latebris muri, libros suos studiose occultantes, e quibus is Chang-chou prodiit." ita ille.

Nec tamen ex prodiit statim viguit aut in aula aut vulgo alibi, sed intra domum Confucianam paucosque alicujus nominis discipulos permansit. „Ita siquidem invaluerant a tempore Tsien-tchao pravae sectae, et magicae ac superstitiosae artes, ut operis magistri Kong-gan-kouo approbationem cursumque retardarint." Viguisse siquidem artes illas etiam sub imperatoribus Ouen-ti et Ou-ti (ex Han-tchao) et tantum valuisse quantum vix credibile est, referunt imperii annales et historiae authenticae; nec satis scio an in libris nostris legere sit similia his quae anno 17 imperatoris Ouen-ti (ante Chr. 162) contigerunt. Venerat in aulam quidam Magus nomine Sin-ouen-pou et apud multos fidem sibi fecerat vultu ad modestiam compositio, blandisque verbis multa hactenus inaudita pollicitus mox ut in imperatoris gratiam irrumperet, per suos admonet: sibi visum esse genium aliquem promittentem reperiendam esse brevi sub limine magnae portae palatii latentem pateram e lapide pretiosissimo, cui inscriptum esset vaticinium de diuturnitate vitae imperatoris, eamque sibi ab ignoto viro tradendam. Qui promisso ut auctoritatem conciliet, rogat imperatorem venire ad portam cum forte adstantibus magnatibus; ibique (ut etiam praedixerat) solem ab hora tertia ad meridiem regredientem omnibus illis dat spectandum. Hoc prodigio ita perculsus fuit imperator ut hunc annum pro novo regni initio haberi voluerit, promulgato

per omnes provincias edicto, retinentibus (licet plerisque imperii administris) scelesti hominis fraudes nefandasque artes jam antea supplici publicoque libello insectatis. Postea Magus (fuit) expulsus, neque deceptum publica admonitione professus est imperator, forte convictus a tot aliis qui extra palatium aut aulam degentes nihil viderant. Mirum quidem minus est quod sub Ou-ti narratur (ex historia imperii) Magum Chao-ou dedisse imperatori spectandam reginam ab aliquo tempore mortuam, cujus desiderio tabescebat. At tam multa habet historia de Li-ohao-kun, immortalitatis pharmacum a genio foci, cui ab imperatore sacrificandus erat, obtinere suis artibus annitenti: de Niou-ki eundem inducente ad conciliandum sibi geniorum maximum quem vocabat Tai-y, et in mundi polo constituebat immotum, a quo constans ac perpetua hujus vitae felicitas expectanda esset: de Chao-kun supremum coeli spiritum suis praestigiis ac sacrificiis in conspectum imperatoris vocante: de Loan-ta miras venditante artes tum, vitae ad annos aeternos propagandae, tum argenti ad arbitrium producendi, tum quemcumque genium ad opem oblectamentumque adducendi; quae aliaque ibidem relata satis probant solos de id genus artibus libros in pretio tunc aulae fuisse, quam nimirum velut admiratione suspensam habebant, prorsus ut necesse fuerit eam parum attendere ad nova quaecumque opera, verae quidem sed novae doctrinae, quale opus erat a Long-gan-koue oblatum, et quod reipsa ab aulicis tunc aut nihili factum aut omnino neglectum fuit.

Interea Kong-gan-koue alio translatus est ad magnam gubernationem Ling-kouai (in provincia Kiang-nan) quam sex annos administravit summa omnium approbatione; coactus mox eam dimittere vi aegritudinis, qua brevi in domo paterna obiit sexagena-

rius sub Ou-ti ante annum regni ejus quinquagesimum-quartum (ante Christum 86).

Sub Chao-ti (86 ante Chr.), Suen-ti (73 ante Chr.), Yuen-ti (48 ante Chr.) successoribus, cum idem litteraturae instaurandae ardor omnes aeque ageret ad aliquid inveniendum proferendumque, evenit scilicet ut, inter vera bonaque, prodierint ab inanis gloriae cupidis vanisque hominibus falsa, malaque, praeclaris falso nominibus opera suppositia [1]); exempli causa sit illud cujus meminit Kong-in-ta in libro proemiali in ipsum Chou-king de quo hic agimus [2]). „Ad imitationem antiqui Chou-king quidam Tchang-pa (ait) protulit falsum librum in quo supposuit capita Chun-tien, Ta-yu-mou, Y-tsie, Ou-se-ko, Y-tchin, Tang-kao, Kien-y-tse, Ou-tching, quae sub illis titulis apparent in vero Chou-king, immiscuitque cum capitibus ignotis Hoa-tsan, Hien-kong, Tien-pao, Y-in, Tsin-ming, caeterisque multis, quae simul 240 in sedecim libros divisa edidit, perinde ac excerpta illa essent (quoad ad aliquam saltem partem) ex antiquiore Chou-king, Confucii opera ex pluribus ad centum capita redacto. Temere haec omnia hominis vani dusa. Quae Confucius ex antiquiore extraxit, sine causa erant in vulgaribus illius temporis collectionibus; et quae Kong-gan-koue, ex centum capitibus manuscripti Confuciani, paulo ante suo in libro omiserat, erant erasa confusaque, ita ut legi non possent. Quis ergo (ait criticus) potuit dicere quae essent illorum capitum argumenta? quis etiam conjectura aliquid assequi? ignota nobis illa esse voluerunt tum Confucius tum Kong-gan-koue.“ Videtur tamen

1) Vide Chi-san-king.

2) Idem in Ouen-hien-tong-kao, l. 177.

liber ille aliquo saltem tempore non mediocrem obtinuisse auctoritatem. Nam refert doctor Ye litteratorum sub Han-tchao nonnullos in suis libris Chou-king vel Chang-chou nomine editis, immiscuisse aliqua ex libro scriptoris Tchang-pa.

Meminere etiam qui sub familia Soui libros King, interpretati sunt alterius libri, auctore Leou, ex Chang-chou senis Fou-seng aliisque ab eo alienis, consarcinati, ad imitationem antiqui Chou-king. Nunc vocabant (Ou-hing-tchouen) „tradita de quinque elementis.“ Sed bonis immixta erant multa inania et absurda, quae nempe apud Fou-seng non invenerat, qui solum loquitur de moralibus et politicis, non vero de physicis.

In tanta itaque, qui recens prodierant a primis familiae Han initiis, librorum copia, cum non unus esset doctorum sensus circa auctoritatem, sinceritatem, fidemque non paucorum, indeque exardescerent litteraria dissidia in antiquae doctrinae contemptum, imperator Tching-ti (coepit ante Chr. 32) sapienti consilio, omnes libros post incendium editos ad examen selectorum virorum expendi praecepit. Praepositus fuit ille ipse qui tunc doctorum imperii academiae praerat Leou-kiang; atque ejus erant partes, auditis omnibus rationumque momentis diu multumque ponderatis, in indicem ordinemque referre bonorum librorum nomina. Is duos indices fecit, in secundum autem rejecit antiquum librum Chang-chou, cum nonnullis aliis a Kong-gan-koue in latebra Confuciana repertis, quod hactenus non ita viguissent.

Florebat illius nepos Kong-yen, qui hoc indigne ferens oblato imperatori libello de examinatore palam conquestus est: „tanta (aiebat) est suae majestatis perspicacia, ut par sit illustrando omni litterarum generi,

inquisitis magna cura, collectisque toto ex [1]) orbe libris. Nam idcirco demandavit praefecto Leou kiang curam inquirendi in libros, nec, nisi post accuratum examen, de unoquoque statuendi quid sentiendum. Qua ratione fiet, ut, qui de nostris libris deinceps disserere habebunt, sincera eloquantur. Res prorsus digna magno principe tantum tribuere virorum sapientia excellentium (Ta-ching [2]) institutis laboribusque; inde tanta haec, quae omnium provinciarum litteratos persuasit, laetitia gratique animi significatio."

„Meus avus Gan-koue, gubernator regionis Ling-kouai, regnante Ou-ti, fuit vir celeber sua imprimis librorum antiquorum scientia quos vocamus King, ita ut inter maximos illius aetatis doctores eminuerit, suisque litteris quae gessit magna munera sit assecutus. Inter alia aliquos elucubravit libros ad veterum doctrinam instaurandam. Cum enim illo tempore princeps regni Lou, in pariete domûs aulaque Confucianae quam refici ampliarique jussërat, felici casu reperisset aliquot charactere pervetusto scriptos libros, nempe ipsum antiquum Chang-chou, seu Chou-king, cum opusculis Hiao-king, Lun-yu; nullusque hic esset qui posset illa legere, meus avus, qua erat antiquitatis peritia, librum ita enucleavit, ut, mutatis pervetustis illis et irregularibus [3]) litteris in alias minus antiquas, et adhuc hodie cognitas, a studiosis legatur, in quorum gratiam textui notas addidit, sensum exponens . . . . . verum quo tempore haec opera absoluta sunt, dominabantur malae artes earumque libri; ita ut hi, licet tam utiles, non longe perrumpere po-

1) Sinae suum regnum vocant Tien-hia (quod est sub coelo) orbem terrarum, sed et Romanis idem fastui fuit.

2) Vel, summe sanctorum.

3) Kiao-teou vel tortis vel flexuosis.

tuerint, sed potius domi jacuisse dicendi sint. Jam vero is quem sua majestas praefecit librorum examini, cum nesciat eorum cur hi libri non ubique viguerint, ideo librum Chang-chou. seposuit in secundo librorum indice, et Lun-yu Confucianum tanquam sine nomine opus. De qua agendi ratione non possum non conqueri apud suam majestatem. Praeterea magister Tai-ching [2]) ut suum opus Li-ki impleret, volens scilicet antiquos de ritibus libros restituere, multa illi immiscuit e sermonibus [2]) domesticis Confucii, e libris ipsius discipuli Tse-sse, Mong-ko, Sun-tsing atque haec omnia, ex multis consarcinata, generali nomine appellavit Li-ki, id ut advertit Leou-kiang, extrahi mandavit omnia capita ex Confucii sermonibus domesticis desumpta, quod non sit hic illorum locus. At si deinceps sunt extra libros authenticos Confuciana dicta, nonne ita extinguitur radix et origo doctrinae magistri Confucii, ita ut ad finem usque propagari non possit? quapropter ego subditus majestatis vestrae, videns rem eo loco esse, haec antiqua opera ordinate disposui, capitaque eorum in indicem retuli non indignum aspici: ita ut audeam, quamvis sim hebete oculorum acie vir, perspicacissimo imperatori supplicem de re hac libellum offerre.“ Petenti annuit imperator, sed dum haec opera ad lucem publicam jussu regio parantur, morte imperatoris repentina, ipsiusque mox litterarum administri Leou-kiang, res mutatae sunt coeptaque ad nihilum fere reciderunt.

Interea liber magistri Kong-gan-kouo, qui sua vetustate obtinuerat ut notus esset nomine „antiqui libri Chang-chou,“ non ita manserat intra domum Con-

1) Auctor seu collector Li-ki.

2) Liber dictus Kia-yu uti Lun-yu, opus Confucii.

fucianam ut ad alios paucos non transisset descriptu
nunc integer, nunc mutilus. Totum ab ipso Gan-kou
acceperat celeber discipulus Tou-yen-chao, qui i
lum tradidit suo discipulo Young-seng. Nam hunc
constat, regnante adhuc priori domo Han, scholan
aperuisse illustrem in qua antiquus Chang-chou
legebatur.

Mutilum autem librum habuisse, aut non pauc
ex eo audivisse, illustrissimum illa aetate Se-ma-tsien
apparet ex libro quem edidit [2]). Habet siquidem quin
que capita omnino eadem cum textibus antiqui Chang
chou, nempe Yao-tien, Yu-kong, Hong-fang,
Ouei-tse, King-teng; nunc primum primae partis,
primum secundae partis, et quartae partis sextum, octa
vum, decimum; quae ideo emendatiora sunt reliquis
libri Chang-chou, a Fou-seng editi, capitibus, quem
illustrandum notis suscepit. Similia quoque fragmenta
aut ex antiquo libro, excerpta ex aedibus Confucia-
nis per manus hominum curiosorum translata habue-
rant qui sub posteriore [3]) domo Han floruere: Tou-
ling docens tunc (ut aïebat) antiquum Chou-king,
Kia-kouei ex eo faciens documenta; Ma-jong scri-
bens commentarios; Tching-huen notas et sensum
illius obvium in lucem edens, nec tamen illi omnes,
suis tot elucidationibus, attigere vel leviter longe ma-
jorem libri antiqui Chou-king partem. „Nam illi
(ait criticus) solum tradebant 29 capita, et quidem va-
riis mixta, quae non sunt in antiquo manuscripto Con-
fucii," at quae tamen magistro Fou-seng omnes de-
buisse videntur, cujus librum clare indicat idem capi-

1) Ex histor. Nien-y-se et interpret. antiq.
2) Vide Ma-touan- in I. 177.
3) Heou-han circa a. 143 post Christum.

tum numerus, primum (ut diximus) sub Han-tchao vigens; is enim in illis ipsis capitibus quae communia habebat cum antiquo, discrepabat tum ordine, tum aliquot characteribus; v. g. in secundo capite primae partis de imperatore Chun (notat Tsai-chin) 28; in aliis partibus mixti erant quidem textus iidem, sed ordine inverso conserti. Merito itaque dicit Kong-in-ta, celeberrimos priores illos Han-tchao interpretes, nec Ma-jong nec Tching-huen nec Kia-kouei, unquam vidisse ipsum librum qui „antiquus Chang-chou“ dicebatur, postquam a Kong-gan-koue fuerat productus; sed solum excerpta seu fragmenta sincera, quibus *illi* usi sunt ad emendandos libri Fou-seng textus in aliquibus capitibus, quae ideo nunc cum antiquo aut omnino conveniunt, aut ab eo parum discrepant, *licet* cætera sint diversa ab opere textibusque libri Kong-gan-koue. Atque haec sub Heou-han gesta.

Illo autem tempore liber antiquus Chou-king, licet non praevaluerit libro Chou-king mutilo magistri Fou-seng, sensim tamen magnam obtinuit auctoritatem. Nam sub familia Tsin quae proxima successit (circa an. 292 post Chr.) posteriori Han, in aula regiis (Hoei-ti [1]) libris asservandis destinata, apparebat sub nomine Chang-chou-king, uti dicitur in libris King sub Tsin et etiam sub Soui editis (in Soui-king lib. proemiali).

Quin etiam sub eadem, dum in sola orientali parte dominata est, fama crevit ex maxima celebritate doctoris Mei-ei, summis in illa aula fungentis muneribus, qui solum magistri Gan-koue librum pro Chou-king tradere coeperat, licet exemplar illius non acce-

1) Familia Tsin sec. imp.

pisset integrum, sed eo imminutum capite quod dicitur Chun-tien, estque secundum primae partis.

Denique ne eamus per singulas alternantis, ob bella civilia, fortunae imperii et librorum vices, auctoritate ipsa doctissimi imperatoris Kien-ou-ti (circa 484 post Chr.) familiae Tsi secundi, liber Kong-gan-kouo in scholis ubique receptus fuit, tanquam totum verum antiqui Chou-king textum unus continens, editusque juxta exemplar a doctore Yao-king repertum, vel in nundinis ut dicitur in Hio-tong, vel (ut narrant proximi post Tsi familiae Soui interpretes) in una magna navi, quod caeteris nitidius visum sit; et, ne quid curae desiderari posset, collatum quoque fuit cum illis textibus, quos optimi omnium Chang-chou commentarii, ab illustribus Ma et Tching sub Han-tchao editi, repraesentabant; notatumque discrimen valde exiguum, in paucis solum litteris.

Sub familiis regiis Tang, Song, litterarum gloria superioribus, plus quam centum commentariis liber illustratus pervenit in manus scriptorum ultimarum familiarum Yuen et Ming; qui bene multi, licet magnis totque voluminibus sibi nomen fecerint, attamen (si verum dicere volumus) pauca habuere acceptis addenda, pleraque exscribenda — hinc illorum scribendi ratio non ita sibi constans, sed intercisa, et ideo nonnihil habens fastidii, quod potius dicant quid alii senserint, quam quid sentiendum, atque ita dum praedecessorum varias interpretationes, relatis nominibus totidemque ferme verbis, alias aliis attexunt, nec satis curant, eas inter se componere, ipsi in contraria ire interdum videntur.

Quae cum ita sint, hoc unum ad auctoritatem Chou-king relinquitur expendendum, a quibus profluxerint documenta, caeteraque textibus libri expressa. Verum id continuo occurrit librum legenti: nempe

quos habuere Sinae legislatores Yao, Chan; sanctiorum domorum seu familiarum regiarum fundatores, Ta-yu (familiae Hia), Tching-tang (famil. Chang), Ou-ouang (famil. Tcheou), sapientissimos tota antiquitate principes Tcheou-kong, Tchao-kong, Ouei-tse, Ki-tse; cum eximiis reipublicae administris admonitoribusque imperatorum Kao-yao, Y-in, Tchong-kouei, aliisque quorum nomen capita praeferunt; ab his promanasse constans est Confucii, Mencii, omniumque per omnes aetates interpretum et historicorum, sententia; prorsus ut nequidem, sine nota criminosae temeritatis, dubium in hoc moveri schola Confuciana patiatur. Quin omissa etiam tot testium fide, ipse liber contra suspiciosissimos quoscunque tueri se potest, quod omni ex parte secum constet. Nam quae statuuntur traduntur quae, parte prima; et quidem praeclariora, parte secunda, tertia et quarta, memorantur. Quinque fratres imperatoris Tai-kang (ex prima familia Hia) suis querelis (cap. 3., partis II. Ou-se-ko) recantant eadem, praecepta ac documenta quae leguntur in capite primo et tertio (Yao-tien, Ta-yu-mou) primae partis, de legislatore Yao, et suae familiae Hia fundatore Ta-yu, quos appellant. Tching-tang (partis III. cap. 1 et 3. Tang-chi, Tang-kao) odiosum imprimis facit tyrannum Hie, recitans exprobrasque statuta praeclara fundatoris domus celeberrimi Ta-yu, quae secunda libri pars habet. At vix est alicujus momenti in tertia parte, quod non retractetur a Ou-ouang, Tcheou-kong, aliisque vel sola duo capita 18 (partis IV. Kun-che) et 24 (partis V. Kouming) id demonstrant, facta expressa mentione imperatorum Tchin-tang, Tai-kia, Kao-tsong etc., et praecipuorum ministrorum, Y-yn, Fou-yue etc. simulque praeclararum admonitionum, quas, tum coram,

tum, missis libellis, referunt tertiae partis novem decem que capita [1]).

ADNOTATIO.

Quarta pars Chou-king, nomine Tcheou-chou, editur subdivisa in tres Kuen seu libros qui ideo dicuntur 4, 5, 6 operis Chou-king.

Imo haec duo capita demonstrant id quod passim historici, annalistae, criticique docent, ab antiquis monarchiae temporibus fuisse publica auctoritate constitutos scriptores (apud Ma-touan-lin in Ouen-hien) tum gestorum tum dictorum ab imperatoribus; unde enim accepisset Tcheou-kong quae distincte narrat de ratione agendi imperatorum Tai-ou, Kao-tsong, Tsou-ki [2]), aliisque, quorum aliqui in Chou-king ne quidem nominantur; et de numero annorum regni. „Regnavit (ait) Tai-ou 75 annis, Kao-tsong 59, Tsou-ki 33 [3]) etc.;“ cur etiam, statim post mortem imperatoris Tching-ouang (in capite 24 Kou-ming partis IV.) novus Chao-kong imperii administer regium historiae praefectum [4]) jubet libellum conficere ex verbis ab imperatore moriente dictis ad magnates congregatos, quae nunc ibidem leguntur; et praeterea scripto ex antea gestis exponere, quae ad curandum funus imperatoris ad filii Kang-ouang inaugurationem fieri debent, et sigillatim narrantur sub finem capitis.

Paucis dixero: toti antiquitati Sinensi fidem facit canonicus liber Chou-king, ita ut, nisi iste negetur,

1) 4 Y-yu-hun, 5, 6, 7 Tai-kia, 8 Yeu-i-te, 12, 13, 14 Yue-ming, 15 Kao-tsou etc.

2) Coepit ante Christum Tai-ou 1639., Ou-ting seu Kao-tsong 1326., Tsou-ui seu Tsou-kio 1260.

3) Mortuus est ineunte 54, qui illi a multis historicis tribuitur.

4) Comment. in Chou-king et in Tong-kien-kang-mou.

antiqua historia réjici non possit. Antiquam his
hic veco, non solum trium priorum familiaru
instituta, sed etiam fundatoris Fo-hi, Chin-
Hoang-ti, aliqua ab annalibus antiquis omnil
missa. Nam v. g. in Chou-king fit express
tio mappae (Hou-tou) fluvialis, a Fo-hi
cunt omnes illi) ad ripam Hoang-ho repertae, ca
Kou-ming. In capite 29 (Lou-hing part. IV
mus capitali imperatorum sententia dicitur da
Tchi-you, quem historiae antiquae narrant
habuisse cum Chin-nong, et denique a Hoa
debellatum, captumque, debitas rebellioni poenas,
primum tribunali, capite luisse.

Quapropter minus mirabitur lector librum
king, summis et forte nimiis interpretum e
celebrari. Si illis credimus, Chou-king e
magna regnandi, est liber imperatorur
omnium principum universi orbis p
tati erudiendae, est exemplar omnium
rum King, est regula omnium gerend
Alia omitto, quod aequis rerum aestimatoribu
bolica elogia fastidium potius quam admiratic
riant. Sed quid facias, his scriptoribus, qu
pretantur librum, magnificentia verborum sup
cumque alium (ut dictum jam est de Y-kin
lere solitis, danda utique venia est, ob morem
que gentium orientalium, hyperbolas ampul
midae laudationis prae caeteris populis amant

Nec tamen eodem, quo laudatores, vitic
ipsum librum ullus (credo) dixerit, si legeri
tius habere in oratione majestatem, vim, e
decus. Causa est dignitas personarum interlc
qui praecipiunt, qui perorant, qui admonent,
principes, primique imperii administri, quo

ornamenta et calamistrum non ferebat, sed stat sententiarum gravitate, rationum momentis, purique sermonis simplicitate. Est tamen ejus modi, ut passim Sinae scriptores agnoscant, sibi nihil superesse, quoad stylum sublimius.

Celeber Che-ling, ubi citavit per nomina Tcheou-kong, Y-yn, Tchong-hoei, Tsou-y, Ki-tse, Chao-kong, ad eximia libri Chou-king orationis specimen, ita concludit: „qui hactenus per tot secula successere scriptores, quantavis sapientia ac peritia excelluerint, illos nunquam potuerunt assequi — addit tamen, quae sunt infra caput dictum Li-tching (nempe capita undecim ultima) jam ab hac sublimitate deficere, viderique eodem stylo [1]) scripta, quo historiae illorum temporum ab illis, qui annalibus scribendis regio jussu praeerant."

Erit forte qui quaerat: ex tot capitibus, et a Confucio olim, et postea a Kong-gan-koue, sublatis, nullane supersunt? et quaenam? respondet Hiong-sse-li (in Hio-tong), cum interpretibus „nihil certi haberi ex his posse." Nihilominus apud historicos, antiquis illis interpretibus tempore aut aequales aut non multo inferiores, reperiuntur pauca aliquot amissorum nomina et fragmenta. Nomina puta Tchong-king, Ho-tan-kia, Tsou-y etc. a nominibus illorum imperatorum [2]) quorum orationes dignis sententiis plenas capita ita dicta referebant. Inter fragmenta, nihil habent (credo) melius excerptis e ministri Y-chi responsione ad imperatorem Tai-ou, territum prodigio genuinae arbo-

1) Tunc stylus ille vigebat, solus fuit ille diversus diversis aetatibus, ut constat ex libris ipsis et convenit inter Sinas.

2) Secundae familiae 8, 10, 11 coepit ante Chr.: Tchong-ting 1564, Ho-tan-kia 1536, Tsou-y 1527.

ris unam intra noctem simul natae, et paucis diebus ad aliquot ulnas crassae; cujus verba referemus parte tertia, ubi agendum habebimus de sententia gentis Sinicae circa fortunas (ut vocant illi qui illo loco refelluntur) et infortunia quae non solum ex libris canonicis, sed etiam historicis, cuicumque patere facile potest.

Horum quidem fides est penes scriptores antiquae historiae Sse-ma-tan, Sse-ma-tsien etc. eosque solos, quandoquidem non ea habent ullae editiones libri Chou-king, ne illa quidem quae sub Han-tchao prodiere; at multa alia habere historicos, ex aliis utique monumentis quam ex libris King collecta, nullus negat, etiamsi fateantur doctores omnes, his, utpote apud gentem canonicae velut auctoritatis, potius credendum quam quibuscumque aliis. Quod adhuc securius fit, quando ab historicis relatae orationes et praeceptiones causam habent in ipsis King. Exempli causa sit hoc ipsum caput Y-chi, nam in Chou-king dicitur: „Tai-ou habuit Y-chi, quo adjuvante effectum est, ut magni et parvi (Chang-ti) supremi imperatoris mandatis obedierint;“ nam inde quamvis non constet extare adhuc monita ministri Y-chi, constat tamen data fuisse ab Y-chi, ad imitationem ministri antiquioris Y-yn, cujus ibidem est facta mentio et instructiones leguntur in Chou-king parte tertia capite quarto Y-hun.

Quam ob rationem ab antiquis historicis admitti potuissent libri olim dicti San-fen et Ou-tien, si eorum tempore (licet extra libros canonicos) in aliis probatis operibus extitissent. Fit enim mentio Ou-tien in Chou-king non uno in loco, praesertim partis primae, capite quarto; et parte quarta [1]): „illis libris

1) Lib. II. 3. IV. 24.

Fen et Tien, velut compendio (ita enim notat communis glossa in primum caput Yao-tien) documenta statutaque quinque priorum imperatorum continere docent interpretes plerique in caput Hou-ming, ubi dicitur: „in aula parentali exponi pretiosa ab antiquis imperatoribus relicta, inter quae erant Ta-hun; nempe (aiunt) libri trium supremorum Hoang, et quinque imperatorum Ou-ti;“ quae explicatio, licet non sit omnino certa, est tamen caeteris longe probabilior; continet enim personis et tempori, quod ultra Chun legislatorem differri non potest, a quo extat caput secundum, Chun-tien, codex Chun, ultimus ex quinque (Tien) codicibus legum; quartus est ab Yao, legiturque capite primo Yao-tien; qui ergo desiderantur tres, fuerunt trium praedecessorum, Chao-hao, Tchouen-hio, Ti-ko. Isti successerunt imperatori Hoang-ti. Nam, cum ex solis capitibus Yao-tien et Chun-tien liqueat Yao [1]) et Chun successisse in regnum legibus institutisque jam cultum, negari non potest priores imperatores habuisse suos (Tien) codices legum [2]), quemadmodum caeteras omnes quae subsecutae sunt familias similes habuisse compertum est de San-fen [3]), sive pertinuerint ad Fo-hi, Chin-nong et Hoang-ti, imperatoris Chao-hao praedecessores, quod valde probabile est; sive etiam complecterentur gesta statutaque a tribus illis Hoang (Tien-hoang, Ti-hoang, Jin-hoang) longe antiquioribus, quod fabulosis similllimum est; una est veterum et recentiorum sententia: nihil ex illis superesse, antiquum opus San-fen (ait Yao-chi) libro uno, Kuen,

1) Yao regnabat circa annum 2345 ante Christum.
2) Tai-ming-hoei-tien, familiae praecedentis. Tai-tsing-hoei-tien, familiae praesentis.
3) In Ouen-hien-tong-kao.

constans, perditus est . . . nescitur ubi sit; nec nisi vane falsoque dici potest, sciri quod tota antiquitas et posteritas ad nos usque ignoravit."

Sed de his satis, quorum ideo meminimus, ut fuisse apud Sinas sciatur libros ipso Chou-king antiquiores [1]). Habet tamen (quae in prima et secunda parte extant) longe antiquiora ipsis Mosis operibus, quem aliquot seculis Yao, Chun, Yu antecesserunt [2]).

§. 5.

De chi-king.

Tam multa ex opere Chi-king, quale nunc illud habemus, afferuntur loca a Confucio, Mencioque, ut nullus negare possit hodiernum esse idem cum antiquo, nec opus sit id operosius probare collatione, quod tamen a Sinis criticis non segniter praestitum est a Che-ling; Ma-touan-lin aliisque [3]).

Manifestum est autem Chi-king nihil aliud esse quam collectionem carminum antiquorum, tum ad laudem tum in vituperium factorum, quae velut odae nostrae latinae et graecae canebantur. Nam prima pars ex cantilenis regnorum clientelarium, saltem quatuordecim, adscripto cuivis proprio nomine, tota constat. Implent tres alias versus facti sub Ou-ouang, Tching-ouang, ad You-ouang undecimum familiae Tcheou imperatorem, adeoque diversis temporibus in lucem producti diversique. Quod vero vix aliquae odae sint, quae

---

1) Prima pars est de Yao, Chun, Yu. Secunda de Yu filio et nepote ad annum 2155 ante Christum.

2) Liber Yu chou continetur prima parte operis Chou-king, liber Hia-chou, in ejusdem operis secunda parte ex chronologia calculo eclipsis demonstrata (vide partem tertiam) constat ante Mosen vixisse illorum auctores.

3) In Ouen-hien-tong-kao l. 178. Hio-tong l. 26. art. 8.

pertineant ad superiores familias Hia et Chang, ideo totum Chi-king a multis merito dictum est circa Ouen-ouang, Ou-ouang, eorumque domum versari. Quod etiam in tot diversis regnis cani soliti, et variis temporibus, mutata regia aula moribusque, prodierint; nec incongruentes versiculi certe in unum opus non compingi potuerint sine cura delectuque alicujus, id primum Confucio tribuunt libri sub Han-tchao editi, idem tradunt auctores sub Soui-tchao, sub Tang-tchao, docentque passim interpretes. At secundas operis (post librorum incendium) instaurandi curas iidem ferme omnes deferunt magistro Mao-tchang; unde Mao-chi carmina, in editione sub Tang-tchao aliisque minus nunc notis, licet antiquis, sunt carmina ipsa Chi-king. „Qui nos praecessere (ait Hiong-sse-li) litterati, ea quae posteritati tradidere carmina seu (Chi-king) librum carminum, semper vocaverunt carmina Mao-chi.“ Ita hac nostra aetate imperii minister et doctor celeberrimus in suo prolixo opere „de successione aut traditione doctrinae,“ ex quo excerpere utile erit quae pertinent ad Mao-tchang, ut instaurator Chi-king melius cognosci possit.

„Mao-tchang erat e regno Tchao oriundus; excelluit inter omnes aequales versificandi peritia; nam quascumque animo rerum species sensusque volvebat, eas subito suis exprimebat carminibus, ita ut de illo diceretur: quidquid alte incidit in illius cor, exit ab illius ore, versibus adstrictum, canique dignum. Antiqui homines erant mente sincera, moribus rectis, compositis animi motibus. Ab ipso principe, qui utique est summe colendus, ad subditos atque infimos, nullum ferme tunc reperisses, qui coram laudari pro turpi laudatione non haberet; nullum, cui non aequis oculis aspici non esset idem ac verbis repre-

bendi. Ut erant sibi invicem aequi, nec vitia errata quae amabant . . . . . tum laudabilia tum culpanda libere per omnium ora volitabant, sinceris expressa cantilenis, quibus accessere postea inventae a sapientibus fistulae, citharae, ad majores animorum motus concitandos, aeque ad laudatae virtutis studium, atque ad vitii vituperati fugam."

Addunt scriptores sub Han-tchao, in prolegomenis librorum King: „erant antiquitus, qui inquirerent in odas seu cantilenas. Princeps volebat eas scire, ut inde melius cognosceret mores et consuetudines populi, an scilicet ad pejora delaberentur, indeque excitaretur ad conandum sublapsa restituere"; nec tamen illico omnes, quae in tam multis regulorum ditionibus canebantur, odae, ut in aulam imperatoris erant delatae, vel a quaesitoribus, vel ab accedentibus tempore statuto dynastis, pro ratis habere mos erat. „Sed, aiunt Sse-ma-tsien et Tching-kang-tching, sub Han-tchao scribentes, ex multis paucas, puta ex decem unam vel duas, quae scilicet plus leporis et elegantiae habere videbantur."

„In tanto autem carminum, ab antiquis usque temporibus selectorum, numero, vix aliquae supersunt (narrare pergit Kiong-sse-li) odae, quae sub regiis familiis Hia et Yu prodiisse dici possint; at sub Tcheou, incipiendo a principe Heo-tsie gentis capite, a Kong-leou avi imitatore, a Tai-ouan ad reguli apicem erecto ad Ouen-ouang summum primumque imperii Tcheou decus, ad Ou-ouang domus Yn victorem, populorumque pacatorem, ad Tching-ouang, Tcheou-kong, quorum curis pax alta fuit, copiose semper succrevit laudum adeoque odarum materia, duravitque continenter usque ad imperatoris You-ouang

(ex Tcheou duodecimi) tempus[1]); a quo, cum nih in imperio ferme esset nisi depravatum culpandumque necesse fuit prohibere id genus cantilenas, atque it interierunt carmina illius generis, jam invisi ingratique hominibus verae laudis gustum non habentibus."

„Magnus magistratus Lu-sse collegerat, regnante familia Tcheou, odas et carmina priorum imperatorum; ex his solum desumpsit Confucius odas ad domum regiam Tcheou pertinentes, adjectis aliquibus tum familiae Yn, tum regni sui Lou. Simul junctae non sunt nisi 350[2]); illae autem in librorum strage a Tsin-chi-hoang imperata, ideo permansere integrae, quod canendo recitari solerent, nec solis in tabellis, more priscorum documentorum, arundineis extarent inscriptae."

Verum cum pleraque imperii regna suas haberent cantilenas, ubi primum actum est sub Han familia de Chi-king, antiquo carminum libro, prodiere variae collectiones. Ex regno Lou vir Chin-kong protulit eam quam acceperat a magistro suo Feou-kiou-pe eamque notis illustratam suis nominavit Lou-chi, carmina regni Lou. Coepit pari ausu quidam regni Tsi incola, Yen-kou-seng, tradere librum carminum dictum Tsi-chi, carmina regni Tsi. Florebat utrique aequalis Han-yu in regno Yen, a quo tradebantur discipulis quae vocantur Han-tchi carmina Han-yu

---

1) In parte secunda Chi-king, dicta Siao ya, sunt odae Tching-yue, Che-yué-kiao, ex quibus potest haberi tempus imperatoris You-ouang. Nam fit mentio eclipsis sub You-ouang, quam historia et (quod veritatem facti demonstrat) calculus astronomicus assignat anno 776 ante Christum, mense septembri; ita ut concurrat cum initio olympiadum.

2) Sunt nonnisi 311, aut potius 305, nempe 6 carminum textus perditus, et tituli solum supersunt. J. M.

et simul cum aliis viguere etiam sub familia Heou-kan (circa 191 post Chr.).

Solus liber carminum a Mao-tchang [1]) productus (*Chi-king*) notae est originis, quam scilicet ducit a schola Confuciana, nam Confucius librum antiquum carminum reliquit haec amanti discipulo Tse-hia, qui etiam praefationem addidit. A Tse-hia pervenit opus ad regni Lou concivem Tseng-chin; is illud tradidit discipulo Li-ke ex regno Hoei, a quo accepit Mong-tchong-se regni Lou, et ab hoc Keng-niou. Hujus discipulus haeresque Sun-hing fuit, qui dedit celebri Mao-ken [2]) atque ab hoc opus notis illustratum permansit in Mao familia; adeoque in manibus nepotis Mao-tchang.

In civitate Ho-hien-fou, provinciae Pe-tche-li seu Li-pa-fou, litterarum gloria clarissimus regulus *Hien-ouang* nulli illo tempore parcebat labori sumptuique, ut antiquos libros eorumque qualescunque reliquias recuperaret [3]); quae res successit ex sententia. Nam plusquam 500 volumina collegerat ante annum undecimum imperatoris Ou-ti ex Han-tchao quinti. Solebat [4]) autem quotidie cum lectissimis aliquot litteratis non paucas horas impendere in illis perlegendis, indagata cujuslibet operis antiquitate, auctoritate, origine, rejectis non solum falsis et apocryphis, sed etiam incertis minusque utilibus. Ea erat optimi et doctissimi principis oblectatio; unde factum est, ut peritissimi quique, faciles ad eum nacti aditus, undique accederent, conferrentque ultro, si quid a majoribus et a prioribus litteratis aliquando acceperant dignum offerri.

1) In Hio-ton, in Ouen-hien.

2) Sub Han.

3) Ma-touan-lin l. 178.

4) Ex Tong-kien-kang-mou ad annum Ou-ti undecimum.

Magna inde nominis toto imperio celebritas, quae ipsa aula resonabat. Cum ergo anno undecimo ad imperatorem venisset regulus, et summo fuisset honore exceptus, experimenti capiendi causa repente vocatus in magnam palatii aulam, ponitque imperator de quo consultarent primates, ipsique ut hospiti primas dicendi partes defert; ipse cum annuisset, petita ab aliis venia de re proposita, licet difficili, ita disseruit, ut dicti nihil addendum nihilque detrahendum omnes censuerint. ad pristina itaque rediit studia, donis laudibusque ab imperatore cumulatus.

Unum autem ex praecipuis veterum libris qui ab illo ad posteritatem emanavere, librum Chi-king, hactenus Sinae omnes magno in pretio habuere, nec difficile fuit principi illum obtinere. Apud illum siquidem gratia valebat Mao-tchang, quod esset vir summe litteratus, imprimis bonus carmina fundere, quod regulo acceptissimum erat. Antequam tamen librum (ut solebat) offerret imperatori, iterum voluit odas omnes antiquas illas, velut per manus traditas, recognosci, et in unum opus conferri [1]); sepositis alio variis carminum collectionibus quae vulgatae jam fuerant, nominataeque carmina Lou, Tsi, Han, ut dictum est. „Eorum siquidem (aiunt Che-ling, Ma-touan-li, Tsai-lou-chi, critici antiqui) carminum verba bono usui et inter se dissentiebant. Notae in ea editae a collectoribus nullo modo conveniebant; eorum doctrina incerta et in multis absona erat; quin et lectio non erat constans, sensus non idem.“

Inde est (pergit Hiong-sse-li) quod in omnes retro aetates, nomine Mao-chi, liber carminum (Chi-king) propagatus fuerit; et quod Mao-ken dictus

1) Vide Hiong-sse-li.

sit, Ta-mao, magnus seu Mao senior; Mao-tchang (Sia-mao) parvus, seu Mao junior. Haec carmina autem ab ipsis familiae Han temporibus floruere, decem libris tradita, et viginti notarum libris illustrata; ita ut jam sub imperatore Ping-ti relata in (Hio-ken) litterariam academiam seu in librorum tribunal fuisse legatur. Nempe semper haec schola celebris fuit, succedentibus magistro Mao-tchang, eadem nominis fama, litteratis Kouan-tchang, Tchang-hing, Kiao-ting-nien oppidi Go-ouling gubernatore; Sou-gao, Tchin-hia famoso urbis Kieu-kiang poeta; Sie-man-hing auctore scholiorum in carmina, quibus mirum in modum delectabatur, Ouei-king-tchong libri illustratore.

Libri porro praefatio est ab ipso quidem discipulo Confucii Se-hia scripta, sed tamen a Mao-tchang primum, et postea ab Ouei-king-tchong utili praemonitionum accessione aucta. Qui circa haec tempora inclaruere interpretandi peritia, Tching-tchong, Hia-kouei, Ma-jong, commentarios edidere in carmina Mao-chi. Eminuit Tching-huen praestantia libri Mao-chi-tsien (titulus commentarii doctoris Tching-huen) notarum in carmina doctoris Mao-chi. Nam alia carmina dicta Tsi-chi, regni Tsi, perierunt sub Ouei dynastia, carmina regni Lou, Lou-chi, concidere sub occidentali Tsin. Carmina magistri Han non supersunt; contra liber carminum a Mao-chi in lucem productus, et notis doctoris Tching-huen explicatus, solusque, ad nostram usque aetatem viguit. Nunc in Ho-kien-fou etiam superest Mao-tsing-yn, antiqua domus, et tumulus magistri Mao-tchang. Dominante Song-tchao ab imperatoribus Mao-tchang honorifico titulo donatus fuit, dictusque Lo-hi-pe, velut comes laetificans, habens lepores ad

sales; denique sub ultima familia Tai-ming oblatic nes illi decretae sunt eaedem, quae antiquis magistris.

At a quibusnam odae illae prodierunt, quaeret ali quis. Hic opus, hic labor est, neque enim praeferun singulae auctoris nomen, ut capita operis Chou-king nec constans traditio est, ut est de auctoribus Y-king qua ex parte est utroque longe inferius, si generaliter Chi-king spectatur. Nam ex dictis constat, opus esse collectum a Confucio ex odis et cantilénis, tum in variis imperii regnis, tum in aula factis, et quidem plerisque sub familia tertia Tcheou. At manifestum quoque est, similia carmina non ab uno hominum genere proferri solere, ignoti saepe nominis, moribus etiam non integris; quod a Mencio, Tching-huen, Kong-in-ta, aliisque per omnes aetates melioribus scriptoribus fuit animadversum. Horum omnium ad instar hic nobis sit celeberrimus ex Song [1]) interpres Tchou-ouen-kong in praefatione Chi-king ex commentariis (Tsi-tchouen) collectis. Nam ipso initio notat, et quidem recte, quatuor libri partes, (Koue-fong, Siao-ya, Ta-ya, Song dictas) etiam quoad substantiam non esse easdem. „Deinde dicitur (ait) carminum, quae Koue-fong nomine comprehenduntur, magnam partem prodiisse ex cantilenis versiculisque, qui in pagis rurique facti, ibidem canebantur, quod viri cum mulieribus convenirent ad alternos cantus, verbis quilibet suos animi affectus exprimebant maxime ingenuis. Solae cantilenae, quae dicuntur Tchou-nan et Tchao-nan, pertinentque ad Ouen-ouang, ea quae ille egit ad instaurandam virtutem referentes, veros habent animi sensus. Quare iis ver-

1) Song-tchan coepit decimo seculo. Tchou interpres floruit regnante jam Kiao-tsong circa ao. 1171.

bis efferuntur, quae, dum laeta dicunt, non praetergrediuntur modestiae ac pudicitiae fines, et dum tristia, odiosaque exponunt, offensionis nihil afferunt, quapropter illa duo capita ex omnibus carminibus Koue-fong sola sunt vere Tchin-king, digna dici King."

„A capite dicto Pi, infraque quae pars Chi-king illa habet carmina sunt valde inter se diversa, pro diversitate regnorum, eorumque gubernationis, alias rectae alias perversae; nempe illorum auctores probi malique, cum alii aliter afficerentur, bona malaque fundebant. Unde fit, ut eorum compositiones non sint minus inordinatae interdum, quam mutationes factae in regnis antiquorum morum et consuetudinum, a quibus dictae sunt Koue-fong, et quarum vices sequi videntur."

„Contra est de parte 2, 3, 4, Siao-ya, Ta-ya, Song. Illarum odae factae sunt familiae regiae Tcheou tempore, nempe eae ipsae quae recitabantur, quando imperator ex ea domo vel sacrificabat publico sacrificio, vel solemni ritu majoribus suis parentabat, vel musicos canere jubebat. Tunc enim, ut verba convenirent cum majestate totoque regio apparatu, necesse fuit sub musicis modis dignos magnosque sensus complecti. Atque in his potissimum (Ching-jin) virorum utique eximiorum carminibus exemplum habent posteri, quod in odis suis versibusque imitentur. Qui saltem hactenus successere litterati, multa quidem versibus allocuti sunt, nullus tamen illos assequi potuit. Ita ut non immerito liber carminum habeatur pro King canonico, complectens negotia hominum etiam infimorum, ponensque ob oculos doctrinam a coelo inditam ad instructionem superiorum, a quibus regi debent inferiores. Quapropter a magistris libri Chi-king prima tradenda sunt duo prima capita Tcheou-nan,

Tchao-nan, quae supra laudavimus. In carminibus aliis regnorum, spectandae proponantur mutationes morum et consuetudinum; atque id obiter fiat, et perveniatur mox ad secundam et tertiam partem (Siao-ya, Ta-ya), deinde ad quartam (Song) in quibus, quo recta edoceant verosque mores repraesentent, magistrum insistere oportet; quae methodus si servetur, liber carminum doctrina erit magni usus, indiciique progressuum."

Hanc desumpsere interpretes ab ipso Confucio, nam articulo 17 in Lun-yu narratur, suum filium ita admonuisse: „versasne capita odarum Tcheou-nan et Tchao-nan? qui in his non est versatus, similis est homini contra murum directe stanti, a quo ulterius progredi prohibetur." Conversus postea ad suos discipulos: „quidni perdiscitis carminum librum? carmina haec torpentes animos excitant eriguntque. Vobis esse possunt instar speculi, bona malaque contemplanda offerentis; conferunt suis jocis ad societatem cum aliis habendam; in illis possumus odisse sine vitio; docent nos domi servire parentibus, et foris proculque servire regi; magnam insuper notitiam suppeditant nominum avium, quadrupedum, herbarum, arborumque, quod ad linguae copiam facit." Atque hoc imprimis emolumentum elocutionis perficiendae, odarum lectione, spectasse non uno in loco videtur. „Nisi (aïebat) librum carminum, fili mi, didiceris, nunquam perfectam loquendi artem callere poteris." Nec Confucium probasse quaecumque sunt in odis regnorum Chi-king dicta Koue-fong, vel ex hoc loco constat: „cantiones omitte regni Tching, apage loquaces illos homines, cantiones regni Tching sunt impurae, loquacium hominum maligna dicteria." Idem quoque de regni Tsi odis aliquibus notat Tchou-tse (in Tsi-chou).

Quin et in ipsa secunda Chi-king parte (Siao-ya) esse, quae etiam olim nonnullorum in reprehensionem palam incurrerint, liquet ex Mencii libro, ubi celeberrimus illa aetate senex Kao odam Siao-pien [1]) (id est cornices concussis alis evolare) factam nomine principis Y-kiou, filii imperatricis Tchin, de superinducta concubina Pao ab imperatore You-ouang conquerentis, acriter arguit: „contendens nihil aliud esse quam versiculos a vili aliquo homuncione compositos, bilem effundente suam," et quidem fatendum est illam odam non magis prae se ferre servandum in omnibus modum ac decorem, ut decebat, quam aliquas ex prima parte Koue-fong, v. g. Kai-fong [2]) ventus urens, calidus auster, imo minus, „est enim haec minus vehemens," ipso judice Mencio qui addit: „in hac de matris, in illa filius de patris obscoenis amoribus conqueritur . . . . dignus venia, quia illa bilis ardenti in parentes amore concitatur." (Mencius et comment. in art. 5.).

At melius (meo quidem judicio) ab aliis, Confucium secutis, pars haec libri Chi-king defenditur, excusatione utilitatis ex odis illis antiquis (verborum copia et elegantia caeteroqui praeclaris) a litteratis percipiendae; „quibus prodest nosse antiquos hominum diversos mores, adeoque scire quae fugienda ac vituperanda, quae laudanda ac sequenda."

Caeterum, etsi odarum auctores omnium appellari non possint, sintque (ut observatum est) diverso ex hominum genere, non paucas tamen ab ipsis regiae domus Tcheou ministris et magistratibus prodiisse constans est antiquorum interpretum et historicorum opi-

1) Chi-king II. 5. 3.
2) Chi-king I. 1. 1.

nio. Primam omnium tribuunt principis Ouen-ouan aulicis, vel ut epithalamium offerentibus nubenti: eaqu ipsa est quae bis multo a Confucio laudatur; „od Kouan-tsu (ait) est laeta, sine obscoenitate — animu movet, non laedit . . . . . odae Kouan-tsu finali stropha, pleno concentu resonans, suavissime aures im plebat mulcebatque omnium.“ Quis enim tam invere cundus fingi potest, qui, nisi sit principi in intimis ausus sit amantis desideria illius verbis exprimere?

Odas, quibus domus Tcheou auctores, eorumqu nepotes exigui dynastae celebrantur, principi Tcheou kong iidem generatim aut saltem plerasque tribuunt. Causam affert historia Tong-kien nulli non probabilem; instructionem scilicet imperatoris Tching ouang valde juvenis, ejus tutelae curisque commendati a moriente Ou-ouang. Illius animo obversari voluit egregias suorum majorum virtutes, mandatis memoriae eorum numerosis laudationibus; ecquis vero familiae olim in imperio exiguae initia, et domesticas (ut ita dicam) minutias ita versibus prosequi possit, nisi Tcheou-kong, quem Chou-king et Li-ki faciunt harum rerum scientissimum? Addunt etiam cum commentatoribus historici, illarum odarum aliquas cantari solitas in solemni parentatione; quod omnino videtur certum de odis ad gentis Tcheou patriarcham [1]) spectantibus, et ut illi omnino tacerent, sunt nonnullae odae quas soli Tcheou-kong prudenter tribui posse constat, vel ex ipso rerum quae dicuntur genere: v. g. quae pertinent ad consilia rebellionis inita; quae sui in aula adversarii imperatori persuadere volebant non fuisse maligne afficta et quas proinde suo in exilio scriptas fuisse oportuit, indeque (ut notat historia) transmissas.

1) Heou-tsie quarti imperatoris (Ti-ko) filius fuit, ab eo familia Tcheou. Ti-ko coepit ao. 1435 ante Christum.

Quae post victoriam imperatoris Tching-ouang contra illos rebelles prodierunt odae, ipsi imperatori poësin amanti tribuuntur in commentariis et imperii historiis; saltem illae, quae (dum parentavit, sui facti reddens rationem) octo, ut aiunt interpretes, choris decantatae sunt; sed longum esset ire per singula quae leguntur in meliorum interpretum et criticorum notis, quaeque servandae sunt latinae versioni libri Chi-king; quicumque enim hunc suscepturus est latinitate donandum non poterit omittere ejusmodi observationes, quae ad perspicuitatem multum faciunt.

Quae diximus, satis superque sunt lectori, ut de auctoritate libri Chi-king judicare possit: nam facile concluditur eum libris Y-king et Chou-king minorem esse, et temporis antiquitate et doctrinae integritate, et sententiarum utilitate, et argumenti magnitudine, rationumque momentis, et certo rerum temporumque ordine, quo caret Chi-king, et auctorum omni (ut dicitur) exceptione majorum auctoritate. Sit Chi-king liber, per me licet, Chou-king libro amoenior, verborum copia abundet, elegantia niteat, salés jocosque habeat, ut vulgo interpretes observant in prooëmialibus libri encomiis, „regnorum mores graphice pingat (ut ait Che-ling), congruis aptisque omnia exprimat verbis, similitudinum varietate delectet, erigat jacentes animos, elatos deprimat, contineatque ultra modum excurrentes, in multis sententiis excellat, mirae sit constantiae;“ idem sit etiam libro Y-king copiosior, quod ad multorum imperatorum tempora pertineat, sit multo clarior, quod gesta non subindicet sed enarret, magis sapiat multis, quod ad ingenia indolemque hominum sit magis factus, minus sit in sentiendo argutus, et in loquendo siccus, quod popularibus rationibus nitatur verbisque constet poëticis: non tamen, ob

illos (ut illi laudatores aiunt) sensus ab illis poëtis odis intentos, librum Chi-king praetulerim libr Y-king et Chou-king, sed tertio loco habebo; qu etiam sententia est sapientiorum et doctiorum script rum, qui sub variis dynastiis, litterarum peritia nom nisque celebritate, floruerunt.

ADNOTATIONES.

1) Ne eae quidem odae, quae parte III., Ta-ya, sunt su titulo Ouen-ouang factae, dici possunt aut vulgatae tempor Ouen-ouang, aut filii Ou-ouang. „Nam (ait Tcheou-tse optime refellens antiquum interpretem Tching) supponun clare imperatorem aut potius principem Ouen-ouang pa trem, esse mortuum, et ascendisse coelum, seu esse supra." Nec Ou-ouang diceret: „non cogitare de avis." Itaque, om nibus expensis, dicendum: partem Chi-king III., Ta-ya, ha bere (ait idem) odas etiam post Tcheou-kong et Tching ouang compositas, quod quaedam illarum etiam nonnulla habeant, aut non ita obscure supponant, quae illorum princi pum aetate sunt posteriora, nec quae de illis viventibus dici potuissent.

2) Odae quae sunt in honorem fundatoris familiae Tcheou ac velut patriarchae Heou-tsie, non sunt omnes a principe Tcheou-kong, sed illae in aulis familiae parentalibus de cantabantur. Odam Pi-kong, quae in parentali forte aula regni Lou canebatur, non esse saltem totam a Tcheou kong, patet ex his quae adduntur etiam nomine imperatoris Tchiug-ouang (Tcheou imp. secundi).

De Oda non minus celebri Sing-ming ait Tcheou-tse post alios: „cum princeps Tcheou-kong vellet magnum in sacrificiis ritum illum fieri (quo avus familiae parens coelo omnium parenti adjungitur) ut celebraret Heou-tsie, coeloque ejus gloriam aequaret, hoc ideo fecit carmen." In eo dicitur (quod natus esset ea matre diu post mortem mariti imperatoris Ti-ko) fuisse velut spurium extra regia palatia positum in loco deserto, multaque tunc accidisse ad eum sublevandum, et ei educationem a rusticis procurandam, prodigia, inter quae canit poëta:

Adsunt custodes, praesidium velut,
Hinc armenta boum, illinc ovium greges.
Mirum! Sed miserum! Sat lacrymis datum,
Sat virisse putat pastor agrestis.
Transfert in rigidos heu! glacie lacus
Trans silvas revolant protinus agmina
Blandarum volucrum; quae immemores sui
Substernunt aliquae plumea stramina
Hae pennis refovent, illae hiemem suis
Certant corporibus pellere longius.
Ad vicina stupens rusticus aufugit etc.

Quod magis mirum canitur in ode Pikong, illud est reginam Kiang-yuen peperisse Heou-tsie.

Ut nullo gemitu, quae facili sinu
Condit, fundit ovis, ut sine corpore
Purus, si quid agit, spiritus, haud eum
Ullus vexat obex, ut libet efficit etc.

His poëtarum figmentis causam dedit vera historia, affirmans reginam Kiang-yuen, quae tot annis cum Ti-ko convixerat, hunc unicum Heou-tsie peperisse decimo post mortem imperatoris mariti mense, rurique ut unum e vulgo educari jussum fuisse, qui deinde celeberrimus evasit. Id tunc forte ideo prodigiosum visum est, quod putarunt partum novem necessario mensibus concludi. Leguntur tamen in libris posterioribus exempla partuum etiam ultra decem et duodecim menses. Quapropter recentiores aliqui clarique interpretes partum illum non pro prodigioso habent, sed pro non vulgari, rarissime siquidem accidunt, sicut a nostris philosophis etiam observatum est.

3) In parte quarta Tcheou-song sunt etiam odae quae in aula parentali non paucae canebantur, ut Tsing-miao et sequentes a principe Tcheou-kong factae, sed tamen non omnes, aut, ut dicitur in praefatione antiqua, quam plurimae. Nam liquet ex his quae dicuntur, non illi convenire, sed imperatori Tching-ouang; quod notatur a criticis interpretibus; imo esse posteriores tempore Kang-ouang, tertio imperatore Tcheou-tchao; prorsus ut negari non possit odas illius partis esse diversorum auctorum.

4) In parte quarta, capite dicto Tang-tchi, sunt od quae pertinent ad Suen-ouang (coepit anno 827 ante Chr et quidem non paucae, v. g. Han-yun, et quindecim ali sunt quae pertinent ad You-ouang illius filium, imperator duodecimum Tcheou-tchao, v. g. ode Che-yue, et tredeci aliae; ita ut tempus in opere Chi-king comprehensum n possit contrahi ad annos Ou-ouang et nepotis Kang-ouan Imo forte pertinet ad aetatem imperatoris Hi-ouang (coep anno 681); ex Tchou-tchao 16, si credimus illis, qui pri cipi Ou-kong odam cap. 7. secundam Ye, tribuunt; salte ad Ping-ouang, quem spectant treè aut quatuor odae u dicitur in commentariis et historiis, v. g. ode Tou-yuen, od Ko-lai etc.; ex his concluditur opus Chi-king complec gesta saltem 13 imperatorum ex dynastia dicta Tcheou-tcha usque ad annum circiter 718 ante Christum.

§. 6.

De Li-ki.

Quarto loco ponendus videtur liber dictus Li-ki, etiam ante librum Tchun-tsiou, quod et antiquiora et utiliora contineat. Est enim liber non solum ceremoniarum, sed etiam omnium civilis vitae officiorum, parentum erga liberos horumque vicissim, conjugum, amicorum, civium inter se: ita ut merito vocari possit liber memorialis officiorum; nam ad ea, ritus et quidquid est caeremoniarum cultusque externi, pertinere docent latini etiam philosophi. „Si tecum (ait Cicero, de officiis lib. 1.) agas aliquid, si cum altero contrahas, vacare officio non potes, in eoque colendo sita est vitae honestas omnis.“

Quod idem suo filio dicere solitum fuisse Confucium refertur in Siao-hio: „fili mi, nisi librum rituum didiceris, nunquam callebis perfectum modum agendi constanti ex virtute, seu honestatis modum.“

Verum quidem est antiquum Li-ki nunc non haberi; imo tempore Confucii desideratos fuisse vetustos

libros rituales, concluditur ex his ipsis verbis. „Li-ki (aiunt libri sub Han-tchao post incendium rursus editi) erat articulorum 300, et Oue-y 3000 articulorum, at ut est perventum ad labem familiae Tcheou in ruinam magis ac magis inclinantis; dynastae, quod inique jam ferrent antiqua forma se coarctari, simul ex ea codicibus illis expressa sustulerunt varios articulos, ita ut, aetate Confucii, non haberentur omnes.“ Sed, quidquid dicatur de illo antiquo Li-ki seu Li-king, et quaecumque ineatur sententia, quae apud interpretes non est una, de trecentis illis articulis illius libri; id in confesso est, quae apud Confucium Menciumque ex rituum libro excerpta habemus reperiri in hodierno, praeterquam quod, eadem capita, argumentaque, pertractari pleraque, manifestum est — nec id mirum: nam qui, post incendium librorum, a Han-tchao hactenus viguit, inter quinque King recenseri solitus, constat 1) ex reliquiis ritualis Confucii tempore pro antiquo habiti, et (ut volunt nonnulli) illius cura expurgati; 2) ex aliis undique collectis variarum domorum libris memorialibus opusculisque, quae tunc circa ritus prodierunt: quibus inserta fuere tunc non pauca ex Confucii operibus, et (ut testatus est Kong-yen) sermonibus domesticis.

At haec undenam accepta? primum, sub ipsa instauratae a Han-tchao litteraturae initia, narrant illius scriptores, floruisse in provinciae Chan-tong regno Lou magistrum Kao-tang-seng. Is tradebat suis discipulis septemdecim capita ex rituali libro ante incendium vigente, quae domi conservaverat sola in paternorum codicum strage. Ut vero moxque invaluit, favente aula, studium curaque librorum inquirendorum, alii ab aliis detecti sunt, quorum meminere interpretes — at nullus in hoc genere forte felicior supra

laudato Hien-ouang dynasta urbis Ho-kien-fo. Ille siquidem, inter tot alios libros, obtinuit unum c ritibus, relictum nepotibus ab uno e Confucii discipu lis, divisumque in 131 capita, quae tamen in examin librorum fuere ad 130 redacta a Leòu-kiang, d quo saepe dictum est. Obtinuit et triginta tria capit ex opusculis Ming-tang et Yn-yang-ki; insupe undecim capita ex Ouang-chi-ki, septem ex Confu ciano San-tchao-ki, viginti-tria ex Yo-ki; atque om nes hos tractatus dictos Ki (quod ad memoriam rituum essent scripti) velut memoriales libellos. Princeps hos communicavit cum litteratis, et obtulit imperatoriae academiae.

Celeber ea ferme aetate erat antiquitatis scientia, et imprimis consuetudinem rituumque priorum inquisitione, doctor Tai-te vulgo dictus Ta-tai, senior Tai. Magistrum habuerat Heou-tsang, imperante Suen-ti, tanta nominis fama docentem, „ut (aiunt interpretes familiae Soui) post Kao-tang-seng (a quo antiqui libri Li-king septemdecim capita tradita sunt, cum aliqua tamen in litteris quibusdam diversitate) quae ritus officiaque civilis vitae spectant, nullus clarius tradere crederetur.“ Composuerat siquidem librum de his perspicuum, quem nominaverat Ku-tai-ki; in quem non solum capita praedecessoris Kao-tang-seng, et quidem recognita explicataque congesserat, sed etiam quae ex comparatis sua cura notitiis, responsisque peritiorum senum, collecta habebat. At Tai-te, ut ad opus Li-ki de ritibus excitandum accessit, statim advertit in hoc compingi non posse tot illos repertos tractatus sine fastidio. Non multi eadem habebant, aliqui non diversa, sed pluribus verbis eadem amplificata; haec omnia secernere, resecare, habuit. Unde factum est, ut qui prodiit ab eo liber Ta-tai-ki (senioris Tai memoria-

lis) continentur totus octoginta quinque capitibus. Hunc iterum, non ita post, nepos Tai-ching, vulgo dictus Siao-tai (junior Tai), totum excussit expurgavitque, resectis quae aut incerta aut inutilia a doctioribus suae aetatis, jam majori librorum (ait Che-ling) ex latebris prodeuntium copia in dies instructis, tunc habebantur. Ita ut totum opus redegerit in quadraginta sex capita, dictumque sit Siao-tai-ki, junioris Tai memorialis. Sed sub finem dominationis ejusdem familiae Han, illustris Ma-jong, a quo, sicut ab aliis post Siao-tai rituum antiquorum magistris, tradebatur illius liber, ex antiquis manuscriptis recens repertis, tria addidit capita, nempe Youe-ling, Ming-tang, Yo-ki ideoque complectitur 49 capita. Ipse est, quem a Majong receptum commentariis ita illustravit celeberrimus discipulus Tching-huen, ut palmam inter antiquos interpretes tulerit. Hunc scilicet potissimum secuti sunt qui sub Tsin, Soui, dynastiis commentarios scripsere. Hunc sequitur Kong-in-ta, in collectione librorum King ab imperatoribus Tang imperata, exceptis paucis ad majorem nempe textus nitorem. Interpretes autem sub familia Song, etiamsi Tching-huen et Kong-in-ta plerumque sequantur, immutavere quaedam operi, subtractis opusculis Confucianis Ta-hio, quod erat caput 42; et Tchong-yong, quod erat 31. Sunt itaque nunc solum quadraginta septem capita.

Quanti autem opus Li-ki fecerint, liquet ex ingenti numero commentariorum, tempore quo totum imperium domus Song sola obtinuit, sexaginta quatuor interpretes, et nonaginta amplius volumina, divisa in mille ducentos sexaginta quinque libros, numerantur apud Ma-touan-lin sub Yuen-tchao scribentem. Quod autem illi omnes fere a textibus libri a Han-

tchao traditi non discedant in commentariis, id fecer tum quod illius nominatos supra auctores tanti fecerin ut nullos magis, ut patet ex tot encomiis magistrorun Ta-tai, Siao-tai etc.; tum quod plerique antiquo rum tractatus, e quibus consarcinatus fuit Li-ki, jan illorum tempore periissent.

„Sia-tai (aïunt interpretes sub Soui) habet qua draginta-novem capita, quae solus omnia repraesentat liber doctoris Tching-huen, nuncque solus viget .... caetera dispersa, perditaque sunt.“

Quod unum restabat faciendum, ut textus aut dubios aut adulteratos notarent, id factum melioribus commentariis observare facile est; similes siquidem animadversiones legenti saepe occurrunt; repetitiones inutiles notant, v. g. in capite 12 (Nuei-sse, 17 (Siao-y), 37 (Hien-tchuen), 38 (San-mien) multa habet (aïunt) ex primo capite Kio-li. Idem reperitur bis dictum. Multo plura pro incertis, pro adulteratis falsisque, censent iidem, v. g. ad caput nonum, Li-yun, addunt: „dubium est an haec verba prodierint a Sseyou Confucii discipulo ..... absit ut haec a Confucio dicta credamus.“ Ad caput 28 (Tchong-ni) aïunt: „incertum an haec sint Confucii verba“; eandem notam apponunt ad caput 26 King-kiai; de capite 23 (Tsi-fa) universim pronuntiant: „quae continet non sunt ita fide digna;“ de sexto, Yue-ling: „habet multa non coherentia cum antiquis sapientum libris ritibusque ..... prodiit a Lou-pou-oua, sub Tsin librorum incendiario ..... perturbato imperio inversisque rebus;“ de quinto, Ouang-tchi: „est a litteratis sub finem familiae Tsin, et initia Han-tchao.“ Aliqua habent vere antiqua sinceraque, sed aliis diversae (ut aïunt) aut dubiae auctoritatis sententiis mixta. Caput 11, Kia-te-seng, „complectitur quidem quae

pertinent ad sacrificia et oblationes, sed miscet simul aliena, confunditque cum claris obscura . . . . . „haec (ait antiquus interpres) non merentur magnam fidem . . . . multa prodierunt ex annalistis priorum familiarum . . . . absit ut haec omnia prodierint ab excellentibus (Ching) antiquitatis viris.“ In capitibus observant textus non esse perfectos, sed deficere, ut v. g. in capite 19 (Yo-ki) notat Ouang-che-leang. In capite 20 et 21, Tsa-ki, mixtorum memorabilium; in capitibus 16 et 17, Ta-siao-ki seu Tchouen, observat Ing-chi etc.

Quae cum ita sint, facile intelligitur non sine causa dictum ab iis, qui jam de libris King, multis ante nos annis, in Europam retulerunt: „in legendo Li-ki, aestimandaque ipsius auctoritate, cautione opus esse, delectumque sententiarum habendum.“ Id enim manifeste sequitur, imo nec aliud nisi inepte concludi potest ex relatis — nam, etsi nos deficerent tot interpretum criticae notae, id liquet historica narratione libri Li-ki a Ta-tai et Siao-ti, eo modo quem retulimus consarcinati, unde etiam fit (id ne omittam ad plenam notitiam) „ut stylus (ait Tchin) sit diversus, nunc purus, sincerus, nunc impolitus, humilis, neglectus;“ nempe a diversis scriptorum repertorum, librum componentium auctoribus; in quibus, ut sunt mixtae sententiae verae falsis, ita et oratio mixta.

Erit forte qui causam requirat, cur solus Li-ki habeatur, ad instar antiqui Li-king, et ita vulgo apud eos ipsos criticos quod adduximus vocetur King; e contra duo etiam antiqui libri Y-li, et Tcheou-li a commentatoribus King postea omissi sint intacti, passimque rejiciantur a litteratis tanquam aut levis aut nullius auctoritatis.

Verum, praeterquam quod (ut jam dictum est) non reperitur Y-li citatus in antiquioribus libris, est om-

nino inutilis liber. „Li-ki (ait Ma-touan-lin) liber Y-li, complectitur quae de ritibus officiisque sun nihil ut opus sit alio. Y-li quid est, nisi doctrir rituum fixa constansque? at Li-ki eandem rituum offi ciorumque rationem explicat. Quod si Y-li habet prae terea quae pertinent ad pileum, seu emancipationem, d his est etiam in Li-ki, caput Kouan-y, quoad capu Yuen-chi-thi-li, sagittandi ritus; nunquan fuere iidem, nec possunt tradi omnes colligique. In Y-li caput est quidem Che-siang-kien-li, de mutuc magistratuum congressu, quod non est in Li-k sub eodem titulo, ad quod postea Leou-yuen addidi unum caput — at tam multa sunt in Li-ki a peritis dicta, ut in eo habeamus explicationem libri Y-li, quae abunde sufficit. Praeterea est valde difficilis intelligi, parumque sapit, et idcirco, licet ad nostram usque aetatem pervenerit, paucorum manibus teritur, pervenitque multum varians."

Quod ergo Y-li non habeat ab antiquioribus libris testimonium; quod nihil afferat non copiosius tractatum in Li-ki; quod ab ejus studio litteratos hactenus rejecerit obscuritas, liber Li-ki communi et constanti doctorum, imperiique gymnasiorum usu praevaluit, et nunc inter King numeratur.

Tcheou-li liber (ait Yen-che-kou) nunc extat exemplari quod obtinuerat regulus Hien-ouang; deerat unum caput Tong-kouan, quod (addit Chacki [1]) non potuit obtinere, ne quidem oblatis mille aureis. Ideo accepit scriptum aliud a se recuperatum, nomine Kong-ki, ad suppléndum — quod tamen merito movet dubitationem de Tcheou-li (Leou-tien liber constat sex codicibus seu partibus) est, quod non

1) Idem Hiong-chi, Ma-touan-lin et alii narrant.

convenit cum quarta libri Chou-king parte, dicta Tcheou-chou, capite 22. Tcheou-kouan, de magistratibus praefectisque imperatoriae domus Tcheou, quod reipsa verum patebit legendi hoc quartae partis caput 22., in cujus notis solent offerre discrimen hujus a Tcheou-li.

Sunt qui opinantur Tcheou-li ideo auctoritate excidisse, quod doctor Leou-hing, qui regnante Tching-ti (a. 33 ante Chr.) illum collegerat, et in ordinem digesserat, post Hiao-ping-ti imperatorem laverit usurpatori Ouang-mang, et libro cursum fecerit, at id satis refellitur ratione jam allata; nam ad libros et velut canonicos, velut ad regulam, exigenda esse quaecumque opera, constans per omnes aetates fuit scholae Sinicae lex, eaque rejicienda quae non conveniunt praeterea, ante Ouang-mang (post Chr. 5.), Tcheou-li e numero King rejectum esse constat ex libris sub Han-tchao primum editis. Ipse imperator Ou-ti (coepit 179 ante Chr.), ait Ling-tsun apud Ma-touan-lin, noverat librum Tcheou-li, nec etiam sub finem ejusdem familiae Tcheou-li est habitus pro King — ex decem articulis sunt septem difficiles intelligi explicarique; ideo velut non cohaerens, sed dissipatus, despectus, oblitteratusque, a multis habetur.“

Licet autem pro King liber Tcheou-li non accipiatur, nihilominus sua non caret auctoritate, cum sit inter antiquos libros semper numeratus, ex quibus profecere, tum primi sub Han-tchao historiae Sinicae instauratores, tum illius temporis interpretes Tou-ssechun, Tching-tchong, Tching-kang, Huen-hing. Illum habemus, ut et librum Y-li, notis iterum illustratum a Tong-kia-kong; adjecto tamen ad latus nomine antiqui interpretis Han-tching, in Chi-

san-king ampla collectione sub Tang familia regia (ut dictum est §. 1.) facta omnium librorum King.

Caeterum non soli Tcheou-li, a nomine principis Tcheou-kong auctoritas quaesita est a nonnullis doctoribus, critices expertibus; sed etiam aliquibus aliis libris, ipsi etiam (quod pejus est) suppositis, inter quos minus malus, non a Bonziis sed ab aliquot imperatis litteratis laudatus, dicitur Tchou-kong-y-fa [1]), praeclarae artes seu regulae principis Tchou-kong. At contra hunc et similes libros haec valet exceptio: quae sunt certo a Tcheou-kong, semper pro doctrina fixa King habita sunt, et in Chou-king vel ad minutias relata. Multo minus supponi potest tantus princeps alia dixisse in Chou-king, alia statuisse et quidem pugnantia in Tcheou-li, Tcheou-kong-y-fa, similibusque opusculis, sine nomine plerisque, ignotaeque originis traditionibus.

§. 7.

De Tchun-tsiou.

Liber Tchun-tsiou (ait Ngeou-yang) fuit compositus a Confucio jam sene. Complectitur ducentorum quadraginta duo annorum historiam, nempe regulorum regni Lou (in prov. Chan-tong) aliorumque similium principum res gestas, bella, vitia, virtutes, poenas et praemia, ordiens narrationem a regulo In-kong (sub imperatore Ping-ouang, ex Tcheou tredecimo; coepit anno 770 ante Chr.) in Lou regnante, eamque perducens per decem successores ad Yao-kong regulum duodecimum sub Kin-ouang imperatore. Sed quid opus adducere interpretes? Mencius (l. 2. c. 2. et commentarii antiqui) florens sub Hien-ouang, rem to-

1) Vide Ma-touan-li.

tam illis etiam clarius explicat; docens etiam (quod illi non potuissent scire) veram causam nominis libri Tchun-tsiou. „Confucius (inquit) dolens regimen funditus subversum, suum Tchun-tsiou composuit, quo ad principum suorum instructionem veram regendi artem, et 242 annorum res gestas complexus est. Nec hujus libri primus auctor dicendus est, sed concinnator, omnia scilicet extraxit ex antiquis annalibus regni sui Lou. Habebant siquidem singula imperii regna suos etiam litteratos, scribendae historiae praefectos, licet diversa essent nomina horum annalium: regni Tsin annales vocabantur Ching (quadriga) qua scilicet veherent totam regni historiam; regni Tsou vocabantur Tao-ouo, id est belluae species, velut ad improborum terrorem expressae coloribus effigies — at regni Lou annales nominabantur Tchun-tsiou (ver autumnus) quod in bonum et in malum mutati regni vicis referrent, annotatis temporis articulis, quo anno, quo mense. Verum nisi hunc annalium librum Confucius expolivisset, concinnumque ad faciendam fidem reddidisset, nihil aliud fuisset quam rudis indigestaque moles, quales sunt annales regni Tsin et regni Tsou. Licet autem, a translata a Ping-ouang imperatore in orientalem imperii partem aula, ad Confucii aetatem, quinque imprimis principum regulorumque duces in maxima celebritate vixerint satis longa successione; duorum tamen duntaxat, nempe Ou-kong in Tsi regnantis, et Ouen-kong in regno Tsin, res gestas refert: illi siquidem duo soli fecere posteritatis memoriae commendanda.“ Confucii (aiunt interpretes antiqui sub Han, Soui etc.) siquidem mens fuit non omnia acta tradere; sed selecta ad instructionem imprimis principum et imperatorum, et quidem imprimis ex annalibus regni sui Lou, quorum nomen suo libro reliquit Tchun-tsiou.

„Nec objicias (ait Mencius) ver et autumnum dictum, totum in bellis referendis versari, nam quae referunt bella sunt odiosa, utpote a regulis clientelaribus de imperio tamen velut inter se decertantibus, adeoque iniquis; quae ideo ille proponit tanquam damnanda, illa acriter arguens, nullibi approbans nec laudans. Voluit scilicet in suo libro reperiri, quid agere, quid vitare sapiens rex debeat; ideoque digna proemio facta laudat, digna poena arguit. De suo libro dicebat: qui me noverit, nonne putabit me hunc fecisse ad tradendam principibus veram regni gubernandi formam.“

„Illius libri Tchun-tsiou est ipsemet veterum annalium stylus, expolitus tamen, adeoque cultior. Huc pertinet dictum Confucii, de se demisse sentientis: „Libri hujus sententias, seriemque ex aliis descripsi; nec aliud ego contuli, nisi quae ad ornatum, distinctionemque nonnihil faciunt.“

Post librorum a Tsin familia stragem, ut Han-tchao dominari coepit (aïunt libri sub Soui editi) prodiere statim quatuor commentarii (regnante Houei-ti a. 194 ante Chr.) textum Confuciani Tchun-tsiou repraesentantes magistrorum Kong-yang, Kou-leang, Tseou-chi et Kia-hi, parique velut gressu per litteratorum manus cucurrerunt (sub Suen-ti). At turbato non ita post imperio ab usurpatore Ouang-mang, liber magistri Tseou-chi neglectus (in libris sub Soui) ita est, ut nullus cum deinceps discipulis tradidisse reperiatur. Concidit et liber magistri Kia-chi. Contra pervenere ad nos usque libri Kong-yang et Kou-leang.

Sub haec quoque tempora Han-tchao, brevi alter prodiit commentarius, textum Confucianum habens nomine magistri Tso-chi (quem unum pro vero King schola Confuciana sequitur) productus in lucem a doc-

ore Tchang-tsan. Magister Tso-chi (ait Hiong-
se-li in opere de successione doctrinae) nominabatur
liou-ming. Oriundus erat ex urbe Tchong-tou
rovinciae Chan-tong, gessit postea munus historici
gni Tsou (in Hou-kouang), velut secundi asses-
ris in tribunali annalibus componendis praeposito.
mit tempore Confucii, junior cum seniore, is tunc vo-
at memoriam posteritati commendare, tum rerum a
entissimis veterum gestarum, tum regni Lou a
cheou-kong fundati consuetudinum, nec non dicto-
m factorum, quae annalistae collegerant; nempe, ut
is exemplis regulam vivendi regendique exprime-
qua occasione Tso-kiou-ming inspexit, excus-
e memoriales historiae libellos, qui ad compositio-
ornatumque libri Confuciani conferre potuerunt.
quibus sequitur illum operam navasse studio anna-
juvisseque Confucium in digerendo Tchun-tsiou.

Ut ut sit, qui operis hujus traditiones litteris com-
ere, affirmant Tsou-kiou-ming illud tradidisse
ipulo suo Lou-chin; Lou-chin discipulo Ou-ki,
-ki discipulo Sse-ming; ab hoc accepisse succes-
To-kiao, Yu-hing, qui opus in novem libros
m collegit, deditque discipulo Suen-hing. Huic
bat discipulus Tchang-tsan, quod in lucem is
ulit (ut dictum est) postquam imperii potita est fa-
a regia Han. Post illum reperiuntur quamplurimi
isse commentarium magistri Tso-chi: Hia-y,
ang-tchang, Leou-kong, Sse-y, qui sub
n-ti et successoribus florebat. Ab his illum ha-
at Kouan-kong, ex regno Tchao oriundus,
nique litterati honore insignis, quem obtulisse nar-
r celebri regulo Hien-ouang. Habuit et a ma-
i Kouan-kong discipulis celeber Kia-hou, qui
lem publico libello primus obtulit imperatori Gai-ti,

ex Han-tchao decimo. Attamen plus ceteris florer solum coepit sub successore Ping-ti (coepit a. 1 aera christ.); a cujus tempore plerique omnes non alium suis tradiderunt librum Tchun-tsiou quam magistri Tso-chi commentarium.

Nec opus est alios Tso-chi magistri aut discipulos, aut per omnes aetates interpretes sigillatim recensere, sunt enim maximo numero. Sub Tsin familia, quae successit familiae Han-tchao; doctor Tou-y collegerat in unum explicationes priorum interpretum, vocabatque „collectas explicationes King libri canonici,“ nempe hujus Tchun-tsiou de quo hic agitur. Sub dynastia Song ubique dominante numerantur apud Ma-touan-li interpretes in Tchun-tsiou 129, voluminaque illorum 174, divisa in 2271 libros, si summatim sumantur. Ab illius familiae imperatoribus Tso-chi, particeps jam honorum Confucio exhiberi solitorum, donatus est insuper honorifico titulo (vid. Hiong-sse-li).

Quod pertinet ad commentarios tum Kong-yang tum Kou-leang, nunquam communi sectae litterariae suffragio usuque illi fuerunt recepti. Imperante Ou-ti (ait Hiong-chi) é latebris exsurrexit in lucem Kong-yang; at succedente Suen-ti successit palam [1]) Kou-leang; mox sub Ping-ti ita praevaluit Tso-chi ut

1) Sub imperatore Suen-ti ex Han-tchao (a. circa 71 ante Christ.) liber Kou-leang fuit propositus litteratis, aliquot annis, obtento etiam ab aliquibus fautoribus mandato. Sed hoc non obstante ita praevaluit liber Tso-chi ut iterum brevique jacuerit ut prius, servatus apud paucos sicut et liber Kong-yang; extant adhuc tamen in collectione Chi-san-king sub Tang-chao.

Libri Tseou-chi et Hia-chi omnino periisse videntur post Ping-ti et Ouang-mang cum jam nec ederentur nec legerentur; ergo circa annum 20 post Christum.

vix duos illos litteratorum vulgus cognosceret, cum ex hoc uno themata ad doctorum examen peterentur, et in gymnasiis publicis ille unus exponi soleret; quod certe de Kong-yang narratur, idem probat. Kong-yang (ait idem veteris doctrinae successionis historicus) dictus nomine proprio Kao, oriundus e regno Tsi receperat Tchun-tsiou librum a magistro Po-tse-hia, illum reliquit totum commentario suo illustratum filio suo Kong-yang-ti. Successere in eadem familia operis haeredes Kong-yang-kan, Kong-yang-cheou, cujus opera viguit ad aliquod tempus in hujus familiae scholis, locisque aliquot vicinis, ad tempora usque dominantis ubique dynastiae Han-thao. Unde liquet opus hoc potius in privata et velut domestica schola quam in publica vulgo fuisse traditum, postquam innotuerat (vid. Tong-kien).

Kou-leang vocabatur Kou-leang-tche, oriundus erat e regno Lou, in provincia Chang-tong sito. Illius librum, ex ore traditis a Sse-hia aut ejus discipulo aliquo compositum narrant aliqui interpretes, suis in eum commentariis, qui nunquam multi fecere. Sed cum is jam sit velut oblitteratus, jaceatque omnino, inutile est scire, per quorum manus pervenerit ad tempora Han-tchao; et inde ad Tang-chao, in cujus collectione est simul cum libro magistri Kung-yang-kao: quapropter minus in hac referenda traditione accuratos fuisse interpretes, nihil est mirum. Satis superque erat nominare Kiang-kong qui sub Suen-ti (Suen-ti nepos Ou-ti, 73 ante Chr.) simul cum Tong-tchong, a quibus commentarius Kou-leang-tche prodire in lucem coepit, ac velut expergere. Nominant tamen duos Chin-kong (sub Ou-ti, qui coepit regnare 140 ante Chr.) et Hien-hing; ad quem primum pervenisse dicitur. Quae si quis vult componere, dicen-

dum est librum Kou-leang sub Hoei-ti (coepit 1 ante Chr.) fuisse repertum; a doctore King-hing pr latum; a Tong-tchong et Chin-kong in lucer publicam usumque aliquem inductum: ita ut, regnant Han-ou-ti (140 ante Chr.), et Suen-ti (73 ante Chr. velut e tenebris in conspectum hominum litteratorum exsurrexerit, uti notavit supra Hiong-chi. Brevi ta men eum concidisse, simul cum libro Kong-yang omnes historici et interpretes fatentur; praevalente apud omnes libro magistri Tso-chi, qui utroque copiosior et accuratior certe est. Adde quod non convenit, an Kou-leang-tche et Kong-yang-kao sua habue-rint immediate a Confucii discipulis, an ab iis qui illos aut docentes audierant, aut illorum scripta receperant? Adeoque non tantum est temporis intervallum ab illis ad initia familiae Han, ut antiquior haberi debeat eo-rum liber „Tso-chi (ait Leou-tse) ipse vidit Confu-cium, atque adeo potuit facile nihil habere in Tchun-tsiou ab eo diversum; at Kong-yang et Kou-leang vixere post Confucii omnes septuaginta duos discipulos, et eorum etiam auditores.“

Quaeret forte aliquis, an Tso-chi fuerit Confucii discipulus? De Kong-yang et Kou-leang ex dic-tis constat, non fuisse; quandoquidem post eum vixisse convenit. At Tso-chi Confucio aequalem plerique faciunt, aut saltem non ita aetate minorem ut minor majori convixisse dicendus sit. Possunt tamen tres illi (quod nobis textum Confuciani Tchun-tsiou et qui-dem suis notis tradiderint) dici discipuli.“ Tso-chi (ait Hiong-sse-li), Kong-yang et Kou-leang, etiamsi mihi haec perscrutanti non videantur fuisse Con-fucii discipuli, certo tamen ab eo ejusque discipulis, prorsus viris excellentibus, traditione receperunt King doctrinam in Tchun-tsiou; at quod illam tradiderint,

inde evenit ut habiti sint tanquam discipuli Confucii, litterataque posteritas collustrata sit ac erudita praeclaris operis Tchun-tsiou sensibus," tres ergo illi dici potuerunt a nonnullis discipuli, sed eo solum sensu.

At verumne est magistrum Tso-chi adjuvisse Confucium in opere Tchun-tsiou? „Id (ait Leoutse) traditum est a prioribus scriptoribus, licet inter illos non conveniat de singulis circumstantiis." Inde etiam optimam inferunt celebriores interpretes causam praeferendi librum magistri Tso-chi libris Kong-yang et Kou-leang: cui aliunde suffragatur constans litteratorum usus, ut dictum est, majorque antiquitatis notitia ac distinctior. „Tso-chi (ait Tchoutse in comment. Tchun-tsiou prolegom.) potuit videre regnorum historias, atque adeo examinare omnia perfecte. Contra Kong-yang et Kou-leang si non potuerunt videre regnorum historias, quomodo potuerunt perfectam illarum doctrinam habere exploratam?" Jejuna siquidem est, itaque concisa Confucii narratio, utpote scripta ad modum factorum, in Tchun-tsiou, ut in quo aut vituperium horroremque posteritatis aut laudem ac imitationem, mereantur, vix sciri possit, si ignorantur circumstantiae historicae, quas solus sigillatim habet Tso-chi. Ita profecto est [1]). Si Tso-chi non attingit nisi superficiem, ut nonnemo refert ex Tchang-li, auctore quodam obscuro; si habet prava, quod dictum (ait idem Censor) est a Leoutcheou: si alia ab annalibus regnorum est ejus narratio; quod idem tribuit non minus obscuro philosopho Me-tse: eo deveniendum est, ut nihil certi sit in Tchun-tsiou. Quod opus tamen, perpetuo litterato-

1) Refelluntur sequentibus quae contra apud aliquos dicuntur, et objecta sunt ab aliquibus e missionariis.

rum usu, totque per aetates commentariis, demonstratur fuisse pro uno ex King, canonicis operibus, receptum. Qui vidit expenditque annales haud dubie melius judicare potuit quae certa, quae solida, quam qui post tot secula soliditatem desiderari ait, nulla priscorum auctoritate, nullo producto antiquiore monumento, ideoque, nec immerito, ab omnibus scriptoribus aut neglectus aut explosus Confucius ipse consulto prava facinora saepius in Tchun-tsiou retulit quam recta; quod fugienda imprimis proponere suis principibus illo tempore expediret, uti ex Confucii dictis colligitur. Frustra jactaverit se Me-tse legisse annales centum regnorum, si illos vidisse supponitur post incendium librorum, aut post Confucii tempora (quod tamen non probatur) ab aetate ipsius magistri Tso-chi non remota. Antiquioribus et integris codicibus credendum docet, et ratio verae critices, et Confucii ac Tso-chi summa auctoritas. At enim mos est eorum, qui temere ineunt sententiam, quo nihil magis indignum gravitate philosophi, eam etiam levioribus tueri velle pertinaciter argumentis, malaeque causae subsidia, nullo delectu, undecumque corradere.

Unum superest quod ulterius quaeri ab eruditis possit: a quo nempe anno initium faciat Confucius suorum annalium regni Lou? Et quidem, principio libri Tchun-tsiou, notatur reguli In-kong primus annus; at cum quo imperatoris Ping-ouang (tertiae dynastiae Tcheou decimi tertii) anno concurrat inquirendum est. Tertio autem reguli anno legitur ibidem obiisse imperatorem, qui cum 51 annis regnaverit, ut constat ex omnibus historiis Song-kien et Nien-y-sse, sequitur hunc jam quadraginta novem annos numerasse, quando regulo In-kong in paternam ditionem successit. Si ergo Ping-ouang imperare

coepit anno ante Christum 769 (ut bene ponit P. Couplet in chronologia monarchiae Sinicae), initium reguli In-kong et annalium Tchun-tsiou incidit in annum 722 ante aerae christianae initium.

Atque hoc totum confirmatur notis commentatorum qui per omnes aetates prae caeteris floruerunt et testimonio Confucii 242 annos in Tchun-tsiou ordinando numerantis. Nam regrediendo ab eo (King-ouang 39) anno quo historiam terminat suam sub imperatore King-ouang (ex Tcheou 25, coepit 519 ante Christum, regnavit 44), scribens, reperiuntur anni 241 completi, ita ut ultimus 242 pro ineunte accipi debeat. Sed nihil opus est, opinor, haec leviora consectari, quando gravissima probatio, nempe petita ex calculo eclipsis quae in ipso Tchun-tsiou memoratur, omissaque est a Patre Couplet in referendis aliis ejusdem operis eclipsibus alioquin diligente. Notatur autem reguli In-kong annus tertius, character dixi Ki-se; luna secunda, in textu sub Tang-chao olim edito, triplicis antiqui commentarii Kong-yang, Kou-leang et Tso-chi; at luna 3 in multis aliis editionibus, v. g. a Ling-sse-tchong (anno 12. Kang-hi) et a Hou-chi, sub Song-tchao florente; atqui calculus a multis nostrorum ex tabulis astronomicis melioribus repetitus, dat pro anno ante Christum 720 eclipsim multorum digitorum, in urbe Kai-fong-fou provinciae Ho-nan, matutino tempore ante meridiem diei 22. Februarii, in quam certe cadere debet Sinicae secundae lunae ultima dies civilis (neque enim a meridie sed a media nocte praecedenti numerari a Sinis, notatur in Kang-kien); et simul cadit nova luna astronomica, quae a die sequente, tertia numerari incipit. Nam, hoc ita posito, habebitur initium anni civilis, Decembris nostri 26. die post solstitium hibernum (id praeceptum

dicitur in histor. Tong-kien-kang-mou magistri Tchou-tse, ibidem dicitur praeceptum a Ou-ouang coeptumque anno secundo vel tertio imperii Tcheou) quod exigit forma calendarii sub tertia familia Tcheou usurpari soliti. Initium secundi mensis civilis, 23. Februarii nostri. Tres illi, primique anni menses in Tchun-tsiou complectuntur primam anni tempestatem; ita ut (ait antiquus Kong-yang comment. in Tchun-tsiou) semper habeant ver dominans, seu puncto verno vere attineantur nec ultra excurrant. Sub familia Yn, (nempe secunda) prima luna, quae inchoabat civilem annum, erat secunda familiae tertiae Tcheou, v. g., in exemplo proposito, principium anni erat 23. nostri Januarii, et tunc punctum vernum incidebat in secundam lunam. Sub familia Hia, nempe, (pergit idem) luna prima erat, quae sub Tcheou tertia est. Ergo, ut nostra aetate, incipiebat annus 22. Februarii astronomice, seu civiliter 23. sole existente in signo piscium; ideo a novis multisque interpretibus in Lun-yu, Tchun-tsiou, et in libro Kou-king-che-kao (examinis veterum et novarum eclipsium) generaliter dicitur: „familiam tertiam Tcheou nos praecedere duabus lunis, et familiam secundam Yn vel Chang una luna.“

Finis historiae in Tchun-tsiou descriptae cadit in 39 imperatoris King-ouang, atque adeo in annum 480 ante aerae christianae initium; quae epocha ex annalibus Sinicis confirmari potest calculo duplicis eclipsis. Prima memoratur in ultimo libro Tchun-tsiou, 15° anno reguli Ting-kong, nempe anno 495, quo ipso reipsa factam esse 22. Julii calculo probatur, sole existente circa finem cancri, moxque ingressuro leonem; quae luna juxta hodiernum kalendarium, dicitur sexta, et in libro Tchun-tsiou octava. Se-

cunda narratur in historia anno King-ouang 38, seu ante Christum 481 apud annalistas celebri, quod unicornis in saltu regio apparuerit. Ea eclipsis assignatur lunae a nonnullis quartae, ab aliquibus quintae; quae supputatione scitur accidisse mane 29. Aprilis, sole ex aricte in taurum transeunte, quod convenit lunae secundae hodierni kalendarii, adeoque tunc quartae sub Tcheou-tchao.

ADNOTATIONES.

1) In Tchun-tsiou referuntur multae eclipses solis, numero 36 *in* vulgaribus editionibus; in aliis, sub Han-tchao et Yuen-tchao, ideoque antiquioribus sunt numero 37.

2) Est etiam aliqua in lunae numero interdum diversitas, in *libri hujus* editionibus. Id certum est plerasque calculo hodierno demonstrari posse veras, quod profecto sufficit ad astruendam libro Tchun-tsiou fidem, summamque in referendis auctoritatem cui certe nihil detrahit haec qualiscumque in edendis numeris aliquibus librariorum variatio et incuria, ut per se patet.

3) De Ouang-yan-che, celebri novandi studio, perversoque *ministro* qui librum Tchun-tsiou e numero King expungere frustraque conatus est (undecimo seculo) ait historia, haec referens: „in libro antiquo Chou-yuen legitur, eos qui ad publica munia accedunt debere omnino pernosse librum Tchun-tsiou, eumque sibi facere familiarum, is enim sub oculos ponit boni malique regiminis effectus, adducti in exemplum bonorum et malorum rectorum gestis quod itaque Ouang-yan-che, Tchun-tsiou tunc rejectum voluerit nihil mirum est. Aequis scilicet oculis in eo legere non poterat id quod docet de poenis gravissimis in nebulones et imperii constitutionum perturbatores“ .... Ita historici imperii qui et referunt eum novatorem solum admisisse Chou-king et Chi-king, et pro tertio King recepisse qui hactenus rejectus fuerat, librum Tcheou-li, edito opere San-king-sin-y (trium King novus sensus); sed haec omnia mandatis imperatorum (imprimis a Kin-tsong anno secundo, seu a. Chr. 1126) ita prohibita sunt, ut oblitterata sint, paucisque jam nota.

Caeterum notatione dignum est ibi inchoari Tchun tsiou ubi desinit Chou-king, nempe sub imperatore Ping-ouang ex quibus, canonicis libris, habetur certo historia ab Yao usque ad King-ouang. Post quem, sub imperatore Ouei-lie-ouang (coepit 424 ante Christum) et epocha apud historicos celebris sed tamen pure historica [1]) Tchen-koue, regnorum bellantium, in quae divisum scissumque fuit imperium, nempe septem majora antiquis.

1) Pure historica, id est in qua nihil est ex King, utpote posterior tempore.

ADDENDA.

Qui nostra aetate exstat commentarius in Tchuntsiou a magistro Tso-chi ita scriptus est, ut sese contra suspiciosos et malos criticos tueatur ipse, veterumque testimoniis momentum maximum superaddat. Nam tam multa sigillatim acta dictaque narrat, ut vix intelligi possit, ipsi copiam non fuisse veterum commentariorum historicorum in illis regnis scriptorum. Quae dicit de regno Lou conveniunt apprime cum Tchun-tsiou Confucii, persuadentque, quae distinctius de aliis refert, fidem eam mereri, quam ei dedere hactenus annales historiaeque imperii ipsius textum totidem ferme verbis exhibentes.

Eidem tribuitur alius liber Koue-yu, regnorum sermones, seu dicta de regnis, multa complectens digna sciri de historia illorum temporum; sed non convenit apud omnes, totum esse opus Tso-chi quod quaedam ultra ipsius senium quantumcumque sit excurrere videantur.

LIBRI Y-KING

PARS SECUNDA,

CONTINENS

EXPLICATIONEM LIBRI ET COMMENTARIOS.

PRAEFATIO.

De libri Y-king argumento, optimoque interpretandi genere, parte prima multis disseruimus, prorsus ut nihil hic nos praefari oporteat, nisi pauca ad rerum dicendarum ordinem ac commissuram spectantia.

Est autem a nobis his in commentariis servata methodus illi non absimilis quam observare solent nostri omnium nationum scriptores, quorum opera sunt „de emblematibus et symbolis heroicis.“ Nam quemadmodum in suis illis symbolicis imaginibus clare explicandis dicere saltem obiter debent de causa seu occasione picturae, ut v. g. de aliquo mysterio religionis, de cujusdam principis victoria, morte etc., tum de ipsa pictura, quarum scilicet rerum, aut naturalium, aut arte factarum, aut proprio marte fictarum; denique de sententia picturae subjecta, qua, velut anima, sensus exprimitur: ita nihil solidi fiet in libri Y-king explicatione, nisi expendatur illo tempore quid factum, quid pictum, quid intentum: nos itaque 1) ex annalibus Sinicis factum historicum exprimimus, ad quod passim alluditur. Hoc siquidem, licet Sinis litteratis tam cognitum quam quod maxime, si a nostris hominibus

toto divisis nesciatur, intelligi ab illis non potest, qu pictura, quid verba, convenientiae leporisque habeant 2) ipsam exponimus figuram quae in Y-king rei n turalis semper imago est, adductis etiam philosoph rum physicis explicationibus; 3) sententiae quanar ratione figurae congruant, soleantque ex ea traduci a moralia ac politica praecepta facto historico accommo data, ostendimus ex interpretibus omnium aetatum, qu in regii typi (anni 1715) recentibus commentariis lau dantur plusquam ducenti. Sub familia regia Han de cem octo; sub Tang undecim; sub Song nonaginta octo; sub Yuen viginti duo; sub Ming sexaginta duo etc.; et qui proinde habendi sunt tanquam perpetui sensus Sinici libri Y-king testes.

DE EXPLICATIONE TEXTUUM
LIBRI Y-KING
A FIGURA I. PRINCIPIS FO-HI AD LXIV.

CAPUT PRIMUM.



EPIGRAPHE, principis OUEN-OUANG.

Magnum, *penetrans*, *conveniens*, *solidum*.

1. 2. 3. 4.

INTERPRETATIO.

Hac Epigraphe (inquit doctor Tchang vulgo Ko-lao dictus) princeps Ouen-ouang voluit optimi imperatoris imaginem informare, ad imitationem coelestis reginiinis. Coelo autem praecipue in rerum materialium productione quatuor imprimis dotes, ex principis mente, conveniunt; debet ejus virtus esse: 1) ita magna, ut nihil non attingat; 2) ita penetrans, ut generationum omnium sit efficax; 3) ita conveniens rebus,

ut miras earum utilitates pariat, demum 4) ita soli atque in agendo constans, ut nunquam cessaverit, hac nus perseverans.

Atque his dotibus exprimitur magnarum (Tching-tse) virtutum supremus princeps, qui, suum regimen rectum omnibusque numeris absolutu haberi velit, in hoc incumbere debet: 1) ut ad omn etiam infimos pertineat; 2) ut negotia per se perficia 3) ut prosit populis; 4) ut denique in vigilando bene faciendo perseveret.

Paucis itaque verbis expressam priscae gubernati nis formam princeps Ouen-ouang in memoriam r vocabat, tum imperii principibus praesentis tempor perturbationum pertaesis, tum ipsi imperatori Tcheo qui plurium optimatum in dies odia colligebat, vitic siore agendi ratione, et a quatuor illis boni principi dotibus magis ac magis aliena. Is enim 1) suis velu palatii contentus angustiis „suas unice curabat delicia (ita Chou-king) vino immersus inter dissolutas mu lierculas"; 2) illius nomine crudelis regina Ta-ki su pro arbitrio de rebus gerendis una definiebat; 3) ind „in populum velut irruerant calamitates" ingentes quas varia supplicia eaque hactenus inaudita non pa rum exaggerabant; 4) nec toties a censoribus publici de his admonitus imperator resipiscebat, sed in „eoden velut vestigio immotus perstabat" (Chou-king).

His quidem documentis primates in sua imperi pristinam ad formam revocandi sententia magis ac ma gis confirmati sunt. Imperator vero (quem omnes Si nae pro tyranno etiam nunc habent) eo denique deve nit, ut in vincula conjecerit principem Ouen-ouang quatuor illis virtutibus, quas sua epigraphe expres

rat, ita florentem, ut non solum suis subditis sed etiam majoribus (ait idem Chou-king) imperii principibus esset admirationi, omniumque fere populorum voluntates in illum inclinarent. Inde factum postea est, ut principis Ouen-ouang filius Ou-ouang, paternae virtutis ditionisque haeres, ad imperium ab optimatibus vocatus sit, et in primo illorum consessu (cujus meminit Sinarum canonicus liber et historicus Tcheou-chou [1]) palam professus sit: „se coepta patris sui prosequi, vitiis principis Tcheou offensus.“ „Supremus (addit) coeli imperator vehementer iratus est; jubebatur pater meus Ouen-ouang ipsius accipere auctoritatem sed nondum collectum satis erat meritorum,“ nec (notat commentarius communis) ad summum miseriae perventum erat, quando Ouen-ouang mortuus est.

ADNOTATIONES.

1) Figura prima, dicta Kien (ait doctor Kong-in-ta) proprie hic supponit pro Tien, coelo; ita ut haec nihil differant, nisi quod vox Tien corpus ac substantiam coeli significet, vox vero Kien ejus virtutem, seu proprietatem seu qualitatem, quam Sinae solent nominare Yang. Ab omni enim disputatione nostrorum philosophorum nunc abstinere volumus, ut ipsam Sinarum scriptorum physicam, ad quam saepe recurrunt libri hujus interpretes, paucis explicemus, ubi opus erit. Virtus itaque, seu operativa qualitas seu potius materia coelestis, Kien vocata [2]), cum juxta hos physiologos sit: „natura summe valens, actuosa, praeclara, subtilis, rerumque motrix,“ vocatur Yang, quadam analogia cum luce; qua nihil est profecto pernicius, nihil penetrabilius, nihil in corpora diffusius. Non immerito itaque in pandectis philosophicis (Sing-li-ta-tsuen), libro 27. et sequentibus alibique, hoc nomen Yang tribuitur coelo seu materiae coelesti, ita ut nomen Kien sumi vere possit pro Tien et in libro Y-king,

1) Vid. Chouking l. 4.

2) Vid. partem III. c. 1.

quem secuti sunt alii, vulgo philosophice usurpetur; sed qu cumque modo sumatur, est hic imago regis perfecti juxta n liores omnium aetatum interpretes, quemadmodum a tota gen Sinica coelum dicitur imperatoris pater, et quidem a tiquissima consuetudine, quam constat ex Chou-king inv luisse sub primae familiae regiae initia, duobus amplius an aeram christianam annorum millibus, et vigere sub tertia f milia liquet ex sententiis Y-king, ubi Ouen-ouang loquur tur ad mentem suae gentis, et coelum vocant imperatori patrem et exemplar, ut deinde in sequentibus capitibu dicetur. De terra, Ti, seu de secunda figura Kouen, simi lia passim reperiuntur, tum apud omnium interpretes, qu appellantur in novis regio jussu libri Y-king commentariis tum apud philosophos, quorum nomina recensentur in iisdem philosophicis pandectis, seu de physice universa. Kouen enim est quidem terra generatim sumpta, sed, strictius ad ratio nem philosophicam si exigitur, est ipsius vis, qualitas, seu po tius ipsa materia terrestris (aiunt) natura sua fragilis, segnis, opaca, crassa, et ad motus quoscunque minus apta; quae ideo ab obscuritate noctis, quae dicitur Yn, fuit hactenus in phi losophicis Sinarum scholis appellata; cui editi hactenus inter pretum commentarii in usu nominis Yn consentiunt. Has porro duas sive qualitates sive materias dicitur in commentariis re giis (lib. 18 et 21) principem Fo-hi, figurarum Y-king auc torem, solerter comperisse ex ipsa contemplatione coeli et terrae, quae utique rerum materialum velut parentes habentur, et ad utrumque earum principium certa breviter designandum nota, delineasse duplex lineae genus integrae ———, et —— —— interruptae, ita ut illa symbolum deinceps esset virtutis seu principii Yang, haec vero virtutis seu principii Yn. Atque haec nunc sufficiunt, ut quae ex interpretibus re ferre habemus in explicatione cujuslibet figurae e rebus natu ralibus petitae facile intelligi possint. Nam in tertia operis parte, quae pertinent ad utrumque principium, seu potius ad utramque materiam, fusius et sigillatim exponenda erunt ad textuum tertii libri (Kuen) Y-king elucidationem, sine qua quae habet de Yn et Yang ita obscura esset veterum Sina rum philosophica sententia, ut ne quidem dici posset quid voluerint.

2) Cum itaque tota haec prima figura ex lineis integris composita sit uti patet oculis, adeoque pro materia coelesti (Yang) nulli alteri (Yn) immista, sed pura putaque supponat, merito dicitur imago coeli, et Kien jure appellari potest. Ita passim commentatores a quibus alii non re ipsa discrepant, si bene expendantur, sed his notis quae ad figuram seu corpus emblematis pertinent, jam praetermissis, ad eas quae sensum verborum spectant, et nonnihil difficultatis etiam parere possunt transire breviterque attingere operae pretium erit.

3) Non solum in libro hoc Y-king, sed etiam in Chou-king, Chi-king aliisque, virtus eximii principis (qui est sensus totius epigraphe) coelo comparatur. Yn, primae familiae fundator annis ante christianam aeram 2199, ait (l. 2. Chou-king) „principis virtus debet illa tam late patere quam coeli orbis.“ Omitto innumera de hoc argumento utpote recentiora aut istis similia.

4) Sunt qui quatuor primae hujus epigraphes characteres Yuen, Heng, Li, Tching, quibus (aiunt) coeli virtutes exprimuntur, et dicuntur esse quid magnum, penetrans, conveniens, solidum, referri volunt ad quatuor morales virtutes quarum meminit celeber Mencius loquens de officiis; quae, ut a viris principibus exiguntur plura majorisque momenti quam a plebejis et privatis, ita in omnium imperatore maxima omniaque a subditis expetuntur. Ad quae ideo implenda illum necesse est prae caeteris colere quatuor virtutes illas scilicet Jin, Y, Li, Tchi, ita ut habeat amplam erga populos cordis bonitatem; perspicacem in poenis praemiisque justitiam; idoneae ad dignos altius promovendos rationis scientiam; solidam difficilia inter tot negotia praecavendi prudentiam. Verum eorum explicatio eodem recidit ac communis prius allata; nempe ad effigiem perfecti imperatoris atque adeo verbis quidem at non sensu differre censenda est. Satis ergo sit illam paucis attigisse.

5) Licet primus epigraphes character Yuen, sicut et alii tres Heng, Li, Tching, eum reipsa habeant sensum quem versio litteralis exprimit, uti liquet ex nova regiis typis Sinica editione, adjectoque commentario, et ex versione tartarica imperatoris jussu facta; non dubium tamen ulli est, quin

vox Yuen causam principiumque significare etiam possi cujus magnitudo ac amplitudo ad rerum sensibilium generatic nem referenda sit. Harum quandoquidem causa est volut uni versalis, quemadmodum ab ipso sancto Thoma (Summ. p. 1. sol dicitur „causa rerum;“ et a Macrobio (lib. 1. cap. 24. „κοσμικὴ δυνάμις mundi potestas seu virtus.“ Imo annota Kircherus in Oedipo a philosophis nostris gentilibus, „per nomen hoc coeli significari omnem causam primam et virtu tis causativae excellentiam, sicut in mundo archetypo Deus est.“ Haec, aliaque, nostri: quorum dicta idcirco perstringenda censui, quod et infra interdum facturus sum, ut minus mirum videatur iis, qui peregrina omnia reprehendere solent, Sinas idem ac Latinos et Graecos sensisse in explicatione vocis Yuen. Id enim omnino constat, tum ex libris philosophicis, tum ex sinicis dictionariis. Sed hanc ad rem nihil, opinor, illustrius afferri potest quam regium mandatum [1]), quo suam familiam in toto sinico imperio tunc pacifice dominantem, seu dynastiam suam, cognominari voluit Yuen seu Yuen-tchao, imperator, sinice Chi-tsou nunc dictus, tartarice olim nominatus Houbi-lai seu Houbsai, nepos non ignoti Europae herois Tching-kis vel Tchingischan; litteras litteratosque amans, quos secum tam eximios habuit coluitque, ut eorum laudes multis prosequantur annales imperii, quae insignem eorum peritiam et sapientiam demonstrant; ita autem loquitur imperator in suo illo mandato: „Quandoquidem supremo coeli mandato et favore ad hujus imperii fastigium evecti sumus, quo nihil inter quatuor maria reperitur majus sublimiusque, hoc utique praeclaro illustri alioque nomine dignum est .... Notum est omnibus meum magnum avum Tai-tsou, bellatorum heroem, accepta ex alto potestate a horealibus domitiis imperium auspicatum esse, et incredibili celeritate, qua spiritus ipsos tantum non assequi visus est, illud alias atque aliis subactis gentibus in hanc magnitudinem provexisse. Ipsius scilicet famae rumor, ut coeli tonantis sonitus, omnes mundi plagas pervasit; sicut terribilis pulveris nubes, quae eundo crescit, ipsius regni potentia tam late longeque aucta est, ut ab antiquissimis temporibus ad nostram usque aetatem nullum

---

1) In Yuen-che et Tong-kien.

magnitudine par imperium extitisse memoretur . . . . Mei ideo magnates judicarunt familiae tam potentis tantum imperium eo titulo cognominandum, qui ejus amplitudine conveniat, secernatque ab omnibus quae hactenus praecesserunt, ad totius posteritatis memoriam. Quod et antiquo priorum dynastiarum more et rationi consentaneum cum mihi esse videatur, edico omnibus, hoc nostrae regnantis familiae imperium esse deinceps cognominandum Yuen. Quae vox petitur ex initio primi textus libri Y-king, in prima figura Kien, quae est de coelo. Sicut enim coelum omnia omnisque generis corpora unum continet promovetque, utpote eorum causa; ita quicumque in eo fastigio situs est, ut ab eo pendeat omnium regnorum motus et quies, eam debet habere benignitatis amplitudinem, quae huic regni sui cognomini Yuen, ex aequo respondeat. Quapropter praecipimus ut omissis dehinc aliis monarchiae hujus nominibus, quae habuit sub prioribus dynastiis, solum nomen Yuen ab omnibus usurpetur; quod si ex animo faciunt, acquiescunt mandatis coeli quod proprie meritoque Yuen dicitur; prorsus ut hoc unum mihi optandum supersit, ne hoc tantum cognomen a nostris inane fiat, quod potius plenum atque illustrius ad remotissima quaeque secula transmittere nepotes studere debent. Hoc nomen (alibi dicitur) Yuen successores admoneat, coelum, a quo nostra familia tantum imperium accepit, ideo tot tantasque gentes nostro simul obsequio mancipasse, ut omnium curam suscipientes populis prosint fovendo inter illos virtutis studio, et eorum negotia ad aequitatem constanter exigant" etc. Is certe est sensus epigraphes, publico mandato expressus; cui proinde nihil addendum est. Si quis autem e missionariis in his quatuor primae epigraphes characteribus, et in reliquo libro Y-king, mysteria nostra saltem adumbrata aut reperire aut inserere conatur, hunc ego non moror. Id unum tantum monebo, inutilem futurum apud Sinas laborem; quibus constans eorum interpretum consensus hactenus persuasit, nihil in libri scatentiis contineri quod ad moralia seu politica dogmata, regendo populo idonea referri non debeat; ire contra hunc scholae Confucianae et obvium textuum sensum (qui tunc torquendus necessario erit), nihil est, nisi operam oleumque perdere.

EPIPHONEMA PRIMUM, principis TCHEOU-KONG.

In primum nonum.

Draco est absconditus. Nolite eo uti.

INTERPRETATIO.

Sit vir tam fortis sagaxque quam Draco; si detinetur fit inutilis.

Post mortem principis Ouen-ouang, cum jam filius Ou-ouang (ante Christum circa 1121 anno) oblatum a principibus foederatis imperium admitteret, respondendum erat adversariis nonnullis paternam forte modestiam objicientibus. His occurrere videtur novi imperatoris frater, harum sententiarum auctor, hoc brevi epiphonemate, cujus sensus planus apertusque est ex historia, quemadmodum parte I. fuse explicuimus.

Quantumvis fortitudine et concilio quis valeat, adeo ut Draconem ipsum, qua nihil sagacitate viribusque potentius novimus, longe etiam superare videatur; si tamen paludi coenoque velut (ita vox Sinica quoque sonat) infixus detentusque est; nihil sane potest, adeoque illius opera fit inutilis. Non mirum proinde si princeps Ouen-ouang, heroicis licet virtutibus praeditus, cum se in vincula conjectum videret a tyranno, et, uti loquuntur aliqui scriptores Sinae, inter tigridis ungues versaretur, principum populorumque votis minime responderit, nihil tunc reipublicae profuturus, suis tum laboribus, tum eximiis dotibus, quibus utendi tempus nondum erat. Neque enim satis, est ut eximii aut imperii administri aut exercitus ducis (qualis tunc quaerebatur contra imperatorem Tcheou) virtus sit

magna, sit penetrans, sit solida, debet insuper esse conveniens loco, tempori, et praesenti rerum statui seu circumstantiis — vir eximius (ut dicitur etiam alibi [1]) in regno habendus est inter maxime pretiosa, puta gemmeos lapillos, puta auri pondus; at ne haec quidem, licet apud omnes magni pretii, quamdiu fodinis tenentur obtecta, ulli usui esse possunt. Docent itaque hoc loco aliisque interpretes interdum accidere, ut quae natura sua multis praestant, quod ex inopportunitate ad finem consequendum nondum idonea sint, pro inutilibus habenda sint in agendo: rebus contra mediocribus tantum momenti saepe opportunitatem afferre, ut omnia consilia spesque ipsas superet. Quando itaque orsis grandibus obsistunt circumstantiae, tunc vero (aiunt) insipientis esse, qui nihil nisi a casu fortunaque expectat, molitionem inutilem magno vel conatu vel periculo tentare.

Ita etiam censuit post Tcheou-kong celeberrimus sub Heou-han dynastia minister et generalis dux Tchou-ko-leang, quem Draconi sopito comparabat illustris illa aetate inter litteratos Sse-ma-hoei. Nam suum principem ab oppugnando Tsao-tsao, regnante Hien-tsi, imperii administro seu potius tyranno deterruit; quod, ut res erant illo tempore quo Tsao-tsao nomine imperatoris licet invitì mandata dabat et illius copiis praeerat, molitio haec, quantumvis videretur bono publico utilis, non esset conveniens, adeoque futura saltem inutilis. Quod consilium ut princeps Tchao-lie-ouang melius expendit, hominemque novit penitius, suos antiquos aulicos novo consiliario obloquentes ita repressit: „Nactus tam eximium virum animo prorsus conquiesco, et non minus laetor quam

1) In Chou-king et passim in Sse-chou.

piscis aut draco in currente aqua alta, copiosa, limpidaque natare gaudet.“ Quae omnia alludere ad Y-king, et ad hunc imprimis locum, clarius quam ut pluribus exponi debeat.

Caeterum in explicatione sententiae figuris affixae non solum ea attulimus quae in commentariis libri Y-king leguntur, sed etiam quae reperimus tum apud Confucium, imo et in authentica imperii historia id faciendum judicavimus, ut certius constet de doctrina gentis, atque adeo lectori scien di cupido acceptior fiat libri tam vetusti, quam hodierno stylo alieni expositio, quod et in sequentibus factum observare saepe poterit; et quidem ad imitationem nonnullorum magni nominis interpretum, qui et ex aliis libris King et ex publicis historiis probationes suas notasque repetunt: Illorum aliquas ad eadem loca attexuimus, aliasque ad alia addidimus ad majorem textuum elucidationem; quo loco id annotare non erit inutile, ad occurrendum nonnullorum reprehensioni, multos commentarios non solum historiae ipsa verba non referre, sed nec priorum interpretum, quorum sententias in pauca collectas satis habent saepe attexere explicationi textus propositi, aut a se inventae, aut ab alio quem tunc appellant magni nominis commentatore desumptae. Quod etiam caeteri saepius sequitur commentarius Tchou-y-tchong imperatoris auctoritate et regiis typis his ultimis annis editus; licet autem id brevitatis causa aliorum exemplo fecisse videatur, prolixus tamen ita est, ut decem tomos complectatur; qui ideo solis Sinis, et quidem laboris patientibus, usui esse potest.

ADNOTATIONES.

1) Virtus, seu qualitas, seu materia coelestis (quam Sinae vocant Yang) in Y-king dicitur designari per lineam inte-

gram ———, si pictura exprimenda est; at, si in numeris aestimatur, per numerum nonum intelligi debet; quod jam parte prima observavimus. Hujus ergo figurae Kièn (quae est tota Yang) linea quae infima est, et a qua ascenditur ad figurae supremam lineam (quod idem servatur in omnibus figuris) cum sit integra ———, vocari potest primus nonus, secunda linea integra ——— secundus nonus. Idem dictum de quatuor aliis figurae hujus. Secundum lineae genus interruptae —— ——, qua virtus seu materia terrestris (dicta Yn) velut indicio pingitur in Y-king ejusque figuris, numero etiam senario significatur. Unde patet lineam 1. 2. 3. aliasque cujuslibet figurae, dici nunc senarium numerum, nunc nonum prout hoc in loco delineata est vel interrupta —— —— vel integra ——— quae omnia, cum potius ad quaestionem de nomine quam de re faciant, satis fuerit breviter clareque perstrinxisse.

2) At quid figura huic, aut lineae primae, cum Dracone? respondet doctor Tching-tse in communibus commentariis: „coelestis materiae Yang vim in Draconis viribus ita emicare ut metaphora styloque sublimi Draco vocari possit.“

3) Cui vero ad primam figurae totius lineam hoc epiphonema potius quam ad aliam quamvis illis superiorem pertineat, in causa est (dicitur ibidem) lineae situs, qui virtutis illius actuosae Yang infimum gradum exhibet, utique futurum inutilem sine incrementis quibus sensim invalescit resque omnes tandem generat. Pariter nec vir, caeteroquin eximius, prodest reipublicae nisi ab inferiori loco in quo forte natus est ad superiorem ascendat, ibique suam peritiam exerere permittatur. Caeterum eadem valebit comparatio, si Sinico Yang substituas naturalem calorem, „aut artificiosum ignem stoicorum, certa (aiunt) ad gignendum progredientem via;“ primum tenuem et velut in terra inertem, deinde sensim crescentem, et ex rerum incrementis fieri spectabilem vel maxime.

Kong-in-ta, exhibet virtutem Yang jam foras prodeuntes afficientia sua; quae Draconis jam apparentis metaphora a velut imagine adumbratur: sed quinta linea, quae est ceteri superior, eandem Yang dominantem non incongrue exprimit.

EPIPHONEMA TERTIUM, principis TCHEOU-KONG.

In tertium nonum.

Sapiens quotidie sibi invigilans, singulis serotinis maxime timet — est quod timeat, sed nulla est culpa.

INTERPRETATIO.

Viro illi eximio sublimem jam dignitatis gradum (licet non supremum) obtinenti non et porro locus desidiae atque incuriae. Aemulorum siquidem invidiam odiumque non culpa sed gloria illa sua excitari necesse est, indeque clandestina consilia quae quotidiana vigilantia duntaxat et sollicita cautione frangantur. Ita interpretes.

Quod magnatibus ad maxima provectis praeceptum isto epiphonemate implexe hic traditur, idem clare legitur in Chou-king, libro Tcheou-chou, ubi ita admonentur: „in negotiis publicis nihil sit quod vobis non afferat metum et sollicitudinem. Sic habetote vos non procul esse a casu aut damno, quando vos sentietis sine metu et cura.“

Atque in his egregius plane fuit princeps Ouen-ouang. Nam cum gesto feliciter bello in aulam rediisset, populis et optimatibus eo carior quo recenti victoria illustrior, regulis plusquam quadraginta clien-

telaribus nulla mandata imperatoris nisi a se admissa jam admittentibus, in summam ambitus suspicionem vocatus est ab improbis aulicis, ipsoque primo ministro Tsou-y [1]), suum dominum e deliciarum veterno, ruinae a victore imminentis metu excitante. Nec frustra. Brevi eo deventum erat, ut in interiore aula de Ouen-ouang palam diceretur: „quid ei superest nisi solum regnum?“ imo de pactis ab imperatore Tcheou ad principes regulosque in obsequio retinendos conditionibus, regia auctoritate rescindendis cogitaretur. Unde necesse erat apertam rebellionem erumpere, uti reipsa brevi contigit. Quapropter princeps, tantis, quinque saltem annos, perfunctus difficultatibus, non existimavit sibi jam octogenario majori nova suscipienda certamina cum tot improbis sceleratisque hominibus, qui in nefariam aulam tanto in dies numero conveniebant, ut imperator Tcheou, ait Chou-king, seculorum ac profugorum dominus diceretur. Cessit itaque amplissimo muneri, quod post elusas toties sua cura et vigilantia adversariorum artes, causatus ingravescentem aetatem, poterat tunc dimittere sine ullo vel minimo suae apud principes virtutum famae detrimento, qua imprimis maximam imperii partem non solum sibi sed suo filio Ou-ouang et suae familiae devinxerat, uti constat ex iis quae post ipsius mortem (quae elapso anno contigit) gesta sunt.

Quae si quis accurate perpenderit sicut ab historicis narrantur, simulque tot et immensa paene encomia principis Ouen-ouang illo tempore vulgo decantata, facile intelliget, ex persona principis illius a Confucio (in comment. Siang) expressam esse formam sapientis, quam suis haec etiam in loca commentariis

1) Vide Sse-ki.

non minus magnifice effingit quam Tullius oratorem „licet sit, ait, in sublimiori sede collocatus non superbit, in humiliori loco non tristatur, sibi invigilans tempori cedens, nec tamen minus sollicitus, finem propositum ob oculos habens conatur ad eum pervenire aequitatis firmandae studiosus; in loquendo sincerus ad agendum attentus; prava odit; perfecta amat etc.“

Atqui eadem totidem ferme verbis de principe Ouen-ouang referuntur, tum in libris authenticis, tum Confucianis aliis operibus; quae jam cognita nihil opus est iterum latine facere, istisque nostris commentariis inserere in quibus laboramus esse breves.

ADNOTATIONES.

1) Virtus illa (aiunt doctores Kong-in-ta et Tching-tse) Yang natura sua actuosa, quae rerum generationem inchoavit, a quo cursu interdum detorquetur; quod medium statum supergressa nondum, ideo mediocri adhuc vi polleat. Unde existunt in rebus multa non raro detrimenta, quae, sicut pericula (quam multa tunc principi Ouen-ouang) viris magnis imminentia, ita et sollicitam eorum vigilantiam recte repraesentare possunt.

2) Doctor Tchao-kang-tching, in commentariis regiis laudatus, hoc tertium epiphonema explicandum putat ad sensum opusculi Confuciani Choue-kouà-tchouen, cujus meminimus P. I. cap. 9., in quo dicitur, in figura sex lineas complectente distingui debere tres earum velut ordines, qui referantur ad triplicem coeli terrae hominisque rationem, et hominis quidem caritate jin et justitia y, ad ceteras morales virtutes nitentis etc., „Tertiam itaque hanc lineam, ait doctor, esse symbolum doctrinae ad mores hominum pertinentis, ita ut ob hanc imprimis causam hoc principis Tcheou-kong effato describantur officia sapientis, qui omnia circumspicit nec ullum invigilandi finem facit. Verum ut daremus in hac figura istud verosimiliter defendi posse, certissimum tamen est, in plerisque aliis non quaslibet duas medias (tertiam puta et quartam) ad solam doctrinam moralem referri, nec extremas terrae

coelique rationibus distincte ac sigillatim significandis idoneas videri. Quanquam his in commentariis nostris non tam quaerimus quid a Sinis dici possit quam quid ab illis dicatur.

EPIPHONEMA QUARTUM, principis TCHEOU-KONG.

In quartum nonum.

Videtur assurgere. Est in profundo. Nulla est culpa.

INTERPRETATIO.

Vir sagacitate viribusque non absimilis Draconi, si ex depresso loco ubi adolevit, eoque non minus difficili (Yuen) altissima aqua in qua diu natatum est, forte emergere coeperit, cujusne culpae aut reus aut suspectus haberi potest?

Causas recte justeque admissi a se imperii attulit princeps Ou-ouang in primis principum comitiis, tum populorum tum domus suae aerumnas, habita oratione protestatus se in tanto negotio obtemperare coelesti mandato sibi dato, de poena a tyrannide repetenda, gentisque tantis miseriis oppressae necessitati servire. In aulam siquidem improbam profugorum et scelestorum hominum colluvies confugiebat, tanquam (ait historicus liber Chou-king illius temporis) in profunda aqua, Yuen, pisces congregantur; ex his novae in dies insidiae, machinationes et mille nocendi viae, ita ut nec principi Ou-ouang, nec ulli honorum tutum esse posset. Principes praeterea clientelares, ob rescissas tandem paulo ante principis Ouen-ouang

mortem pacis conditiones, mirum in modum exasperati, ab imperatore Tcheou deficere omnino statuerant, nec nisi aegre adduci poterant ut princeps Ou-ouang, quem ad imperium vocabant, rem aggredi diutius cunctaretur. „Verno tempore (ait Chou-king) magnus conventus habitus est in Mong-tsing.“ Hoc oppidum situm est in provincia Ho-nan ad ripam australem magni fluvii Hoang-ho vulgo crocei a nostris in relationibus dicti, quem nostra etiam aetate naufragiis non paucis infamem trajicere boreales praesertim Sinae, plerique multum verentur, habent tamen hac quoque in parte aliud oppidum quod vocant Mong-hien populo nautico plenum. Huc ubi ex aula fluvio boreali pervenit Ou-ouang, a caeteris principibus multo comitatu in Mong-tsin advectis ad transeundum (quod illi cum paucis facilius erat) invitatus est, annuit ille, navem ab illis paratam ea ipsa die conscendit; jamque ad altissimum fluvii locum accesserat cum piscis albus (narrat historia) in cymbam regiam insiliit. Fit plausus, laete a sociis omen felicissimum accipitur, ipsi principes in adversa consistentes ripa suum vel ex hoc praesagio concilium coelo probari exclamant. Spargitur in vulgus, piscem illum, ex profundo alveo in quo natus est in principis Ou-ouang navem emicantem, praecipue indicare ex vassalli inferiori propriaque conditione ad supremam dignitatem esse eximio principi post tot decursa pericula assurgendum; „tuis, o Chang-ti, supreme imperator, quis audeat resistere mandatis .... a coelo attolluntur principes? non ergo culpandi?“ — Ad haec itaque similiaque, quae forte apud historicos Sinas reperiri possint, perspicuum est alludere principem Tcheou-kong, sui fratris Ou-ouang, suaeque familiae (quod ipsius intererat) apologistam; quid enim ad rem suam

facerent caetera a pacandis continendisque populis aliena? Id omnino constat ex tam multis illius orationibus, documentis, id unum spectasse, novae suae domus imperatoriae reique publicae constitutionem.

ADNOTATIONES.

1) Notat doctor Tching-tse aquam summe profundam esse proprium Draconis velut locum, in quo consistere gaudeat; „si tamen, addit idem, ex aqua exilierit coelum versus, necesse est ad supremam hujus, seu aëris, regionem tendere, cum in terra durare non possit.“ Quo non male adumbratur vir dotibus eximiis, quem in infimo gradu haerere non patitur indoles, ad maxima quaeque velut nata, sed ad summum tandem aliquando apicem attollit. Quo e genere paucos post et ante Ou-ouang recensent commentarii Sinenses, regiarum scilicet familiarum fundatores

quos aequus amavit
Jupiter, ac ardens evexit ad aethera virtus.

2) Cur vero in textu dicitur: „videtur assurgere, vel etiam forte assurgit, cum jam virtus Yang generativa, seu Draco, viribus invaluisse supponatur?“ Hanc causam afferunt interpretes: „quod nisi perfecta re neuter in tuto esse dici possit;“ ut inde intelligat quisquis ad fastigium, sua licet virtute, ascendit, adhuc sibi enitendum, omniaque tuta timenda.

3) Accipere coeli mandatum, in omnibus King est regiam potestatem accipere.

EPIPHONEMA QUINTUM, principis TCHEOU-KONG.

In quintum nonum.

Draco volans est in coelo. Oportet convenire magnum virum.

INTERPRETATIO.

Vir eximius supremum gloria verticem tandem attingit; in hoc quoque evecto ad nubes usque Draconi comparandus: quo in culmine suis ita oculos perstringit virtutibus ut omnium obsequio dignus habeatur.

Communi etenim principum, populique consensu, maximoque bonorum omnium gaudio imperii possessionem adivit princeps Ou-ouang vix transacto biennio post celebratum in oppido Mong-tsing primum ab optimatibus conventum. Is vero quo tandem res absoluta est habitus fuisse asseritur in loco vix noto, qui dicitur Mou-yè, decem circiter leucis distans a boreali fluvii crocei littore.

Enituit tunc vel maxime incredibilis tum prudentia tum fortitudo principis Ou-ouang. Nec infinita prope militum multitudine, quam contra se colligi sciebat, perterritus; nec tyranni, cui erat jam formidandus, variis delusus artibus; omnia ita paravit, ordinavit, atque ad tempus accommodavit, ut qua die agendum fuit, selecti magno ex numero bellatores, rebus omnibus eximie instructi, repente in subditos aulae regiae agros irruperint, ibique hostilem nacti exercitum (cujus magna pars principis solertia amoreque sibi devincta erat) facili conatu debellaverint; quemadmodum refertur

in Tcheou-chou, parte IV. operis Chou-king, et in omnibus historiis Sinicis: ex quibus ea expressisse satis sit quae ad expositionem nostram lucis aliquid afferre possunt.

Hac vero victoria cum solium ita Ou-ouang obtinuerit ut deinceps omnium obsequio pacifice cultus sit, ideo dicitur „Draconem pervenisse in coelum, et quidem (ut ante dictum est) e profundo;“ sicut piscis albus ex ima fluvii aqua in principis transeuntis cymbam emicare ausus fuerat, omnibus plaudentibus. Qui autem est in solio, sicut in coelo hoc supra caput nostrum posito, debet omnium oculos in se convertere, faciendo ea scilicet quae sublimem virtutem deceant, totique demonstrent orbi Sinico. Ita interpretes, de quibus iterum nota tertia.

ADNOTATIONES.

1) Forte erit qui causam requirat capti tunc augurii ex albi (ut notant) piscis saltu in navem principis Ou-ouang fluvium crescentem trajicientis? Haec vero in promptu esse videtur ex annalibus Sinicis. Ex his siquidem constat regiam secundam familiam nomine Chang, cujus imperium jam incidebat in domum principum Ouen-ouang et Ou-ouang, dictam Tcheou, colore albo in vexillis et id genus insignibus usum esse.

2) In hoc vertitur commentarii Confuciani, qui Toen dicitur, ratio, ut velit unumquemque agere juxta naturam: „Aqua in loca defluit demissa . . . . . nubes Draco sequitur. — Non secus, qui natus est excellens (aut, ut vertere aliqui, sanctus) ad summa et suprema aspirat, longius est ab iis quorum cor infimis vilibusque sentiendi.“ Nempe eum decet virtus sublimis qui a coelo ad sublimia electus factusque in populi bonum, praeter vulgi opinionem, et „mores ita sentire debet ut sit documento, ita agere ut sit exemplo,“ inde in omnibus sequendi studium;“ quod idem dicitur in Chou-king (p. III, cap. Tchong-hoei) de fundatore secundae familiae Tchingtang: „notum est omnibus te a coelo ad solium destinari.

Te magnates expetunt esse ipsorum dominum; populus tibi obsequium laetus defert . . . . quia scilicet nec deliciis indulges, nec divitias amas, a te virtus, publica munia, meritum, digna semper praemia habet" etc.

3) Draconis imagine hic exprimi imperatorem convenit inter interpretes, quis enim Sinarum nescit Draconem esse insigne imperatoris. Hoc tamen notant argutiores aliqui, melius convenire imperatoribus novae dynastiae fundatoribus; quorum scilicet invicto robore usurpatae a magnatibus imperii partes ex illorum (ut aiunt) praedonum manibus eripiuntur, et gens universa velut a servitute vindicata instauratis legibus reflorescit. Ita etiam cum his sensit interpretibus Ouang-chao-sou, summae seculo I. famae litteratus, et studio impigro scientiaque libri Y-king imprimis celeber, vocatus siquidem ob id ipsum in aulam, licet 70 annorum senex, a Tai-tsou dynastiae Song conditore, jussusque explicare primam Y-king figuram Kien; cum multa in genere de virtutibus, veterumque institutis in hanc dixisset, ubi pervenit ad haec quinti epiphonematis verba: „Draco volans est in coelo;" composito repente a severitatem vultu: „haec vero, ait, ad te omnino pertinent, qui solium jam tenes . . . . quid te facere oporteat deceatque, sub imagine, demonstrant." Variis mox similitudinibus e Draconis dotibus, et rerum affinium ingeniose petitis, munia perfecti imperatoris, qualem oportet esse novae dynastiae institutorem, plaudente aula, exposuit.

EPIPHONEMA SEXTUM, principis TCHEOU-KONG.

In sextum nonum.

Draco transgressus est, est quod poeniteat.

INTERPRETATIO.

Vir eximius in summo fastigio collocatus, sicut Draco inter nubes sublimis, debet inter praescriptos suae conditionis limites consistere sin minus decrementa brevi et quidem poenitenda, patietur.

Nihil saepius repetit novus imperator Ou-ouang in suis ad comitia et suos orationibus, quae leguntur in Chou-king, quam solum ad legum et reipublicae praesidium datam sibi coelitus auctoritatem, ut (ait l. 4.) „supremo imperatori (Chang-ti) operam navet in beandis pacandisque totius imperii seu quatuor plagarum populis . . . . se tum in puniendo tum in parcendo non audere transgredi illius decreta.“ Exaggerat vero, sigillatimque exponit transgressiones expulsi imperatoris et horrendum supremae potestatis abusum; combustis igne torrente viris fidelibus probisque, inciso diffissoque praegnantibus utero. Ideo concludit coeli imperatorem tyranne fuisse vehementer iratum. Hinc variae (quae ibidem referuntur multiplicesque delapsae sunt in subjectam plebem calamitates, sed malum principem sera subiit poenitentia. Nec verbis solum novus imperator omnia ad legum priscarum justitiaeque normam revocanda esse professus est, sed etiam, quod pollicitus erat abunde explevit. „Is (ait Confucius, interprete Tchang-ku-tching in Lun-yu) cum non ignoraret quantum vitii irrepsisset in rempublicam, ante omnia plurimum studii curaeque posuit in ponderibus mensurisque ad aequitatem pristinamque regulam exigendis, examinavit item leges omnes et constitutiones, tum eas quibus officia ritus et jura civium, quam quibus res artesque musicae continebantur; ad aulam quoque et simul ad dignitatem pristinam revocavit, erexitque dejectos et afflictos sub Tcheou praedecessore suo praefectos urbium et provinciarum, atque ita renovatis et constitutis praeclare rebus quatuor plagarum, seu totius imperii, administratio rectum cursum habuit.“

ADNOTATIONES.

1) Voces Kang-long (transgressum Draconem diximus) volunt nonnulli significare superbum, ferocem, et quidem supra modum vulgarem. At hoc ipsum nonne transgredi est? Qui immoderatius aut superbia effertur, aut ferocia abripitur, si Draco est seu vir potens (sicut fuit Tcheou) maximas et paenitendas non potest non edere strages; erit itaque Draco transgressor, sicut ait interpretatio communis quam versio Tartarica sequitur, ab utraque itaque verbis potius quam sensu discrepare mihi videntur. — Conveniunt et cum historia, quae docet Tcheou imperatorem eo superbiae devenisse, ut sicut opum omnium „ita et vita populorum se dominum absolutum jactaret;“ inde imperatae pro libitu subditorum caedes non minus immanes, quam luxus impudici stolidaeque pompae sumptus tantum non incredibiles. Ad omnes autem hos excessus (sive a superbia sive a ferocia originem habuerint) progressum esse illum postquam adeptus est imperium omnino constat; quod unum sufficit ad veritatem textus adstruendam. Videtur tamen esse magis ad mentem Confucii (cujus verba supra epigr. 5. adnot. 2. retulimus) existimare principem illum, ante obtentum solium, fuisse ipsa indole et moribus ferocem; ita ut de illo imperatore Sinensi non minus verum sit quam de Graeco Zenone dictum Spartiani: „tunc non mutavit naturam, sed in rebus secundis improbitatem declaravit.“

2) Tunc ad summum perfectionis gradum venisse generativa virtus Yang censetur, cum res maturitatem assequuntur. Sed brevi maturitate ex nimia existit ipsum rei decrementum, pallor nimirum, et caetera corruptionis indicia, quae per optima quaeque jam grassari incipit adulto scilicet autumno (ut dicitur in Choue-koua-tchouen), quando is cum brumae principiis misceri incipit.

Sexta autem linea haec, quae figurae suprema est, sicut summum generationis terminum exprimit, ita indicat nec a volante Dracone, nec a viro regium etiam fastigium assecuto, ulterius esse nitendum atque audendum, cum nihil ultra sit nisi caducum, atque adeo utrique perniciosum. Quod esse potest, vel ambitione altius assurgendi, nempe amplificato

nimio imperio, prorsus ut se ipsum non ferat, quod recidit ad illud nostri Lucani,

Nimioque graves sub pondere lapsus:

vel in tam sublimi loco nimia dominandi libidine, quae brevi in saevitiam vertitur, datque causam casui et ruinae, de quibus itidem monet Claudianus,

tolluntur in altum,
ut lapsu graviore ruant.

Exemplo, inter alia, confirmat supremi ministri et generalis Ouang-mang qui, sub initium aerae christianae, in locum sublati veneno Ping-ti succedere ausus est, malisque artibus augere et tenere imperium; ast enim hic (ut merito vocatur) Draco transgressus tandem dejicitur, capitur, discerpitur et quidem a populo ferme inermi, sed contra tantos usurpatoris excessus tantum non furente.

Amplificati ultra modum imperii petunt exemplum a Hanou-ti (ante Christ. circa 138), qui totum Si-yu suorum tum armis tum artibus subjecit. „Nomine autem Si-yu, aiunt annales, intelliguntur regna ad occidentem regni nostri sita, numero quinquaginta et amplius, tunc tributaria, in quibus scilicet habebat 376 praefectos sigilla sua ab imperatore accipientes .... Sed (addit) quanto sanguine haec steterunt nostris? quibus impendiis servata?“ Ob haec multi sapientes libellis supplicibus (quod ab Ou-ti non obtineri potuit) a successoribus postularunt, ut haec, ut vocant, barbarorum regna tam a suis moribus aliena et remota illico desererentur, quod ex illorum subjectione nihil aut verae gloriae aut potentiae accederet. „Licet, ait Khi-kun-tchi, imperium imperatorum Yao, Chun, Yu, mari orientali clauderetur nec ad occidentem ultra Leou-cha pateret, dicitur tamen illorum doctrinam longius latiusque, totoque orbe dominatam .... quid prodest velle cogere ad obsequium barbaros? .... possuntne esse boni subditi? .... si non formantur ad bonum, illorum culpa fit. Propter illos exhauriendumne est regnum, nec parcendum vitae nostrorum hominum?“ Ita ille, aliique; nec incassum. Nam post multa consilia et longa experimenta mandato imperiali discessum est ab his regnis, licet illa paullo ante Pan-tchao iterum subjecisset anno post Christum 91.

His addere possumus, idem sensisse sapientiores ministros sub Yuen-tchi-tsou (post Chr. 1286) qui, licet tot regnorum tum ad boream tum ad occidentem haeres, de subigenda Japonia ad orientem, et regnis Tong-king (Kiao-tchi dicimus Tong-king) et Cambodia (Tchen-tching esse Cambodia mihi videtur) ad austrum iterum cogitavit. „In his, ait Leou-suen, nulla vera gloria, sed pernicies vera imperii quanta jactura peritiorum ducum militumque fortiorum, quibus carere sine labe non potest, ecquod ex his emolumentum polliceri sibi potest? nullum certe hactenus! ad hoc publicae absumptae opes ad supplementa exhausti populi, latrones excitati, turbatum ubique est .... Japonia a nobis mari dividitur, duo haec australia regna sunt remotissima et exigua. Ab his quid nobis timendum?“ etc. Ob haec nimis lati longique imperii incommoda a coeptis paullo post destitit Chi-tsou, paterni imperii finibus se deinceps continens, ut notant annales.

EPIPHONEMA ULTIMUM.

Si videas Draconum multitudinem sine capite, bonum est, vel bona fortuna est (Hi).

INTERPRETATIO.

Ubi visi sunt magno numero convenisse principes virique sua sagacitate viribusque Draconibus simillimi, quibus nec praeerat is qui hactenus fuerat omnium caput, tunc fortunata coeperunt esse omnia.

Quam felix fuerit principis Ou-ouang conatus supra diximus et quidem eo mirabilior, quod ipse nisi pauca bellatorum millia duxerit. Tcheou (ait in oratione ad Mong-tsing habita) habet duces militesque innumeros, sed quot sunt diversi in hac multitudine

homines tot sunt corda diversa; mihi vero sunt tantum tria bellatorum millia, sed unius cordis.“

Nec dubitandum est quin suae publicaeque libertatis vindicem, secuti sint plurimi ex numeroso primatum coetu qui in Mong-tsing oppido imperatorem Tcheou communi sententia adjecerant, atque adeo merito vocari potuit multitudo Draconum sine capite, nempe ante obtentum consecuta mox victoria imperatorium solium.

Caeteros autem bellatores suos aulae regiae jam vicinus princeps Ou-ouang comparat caeteris ferarum fortissimis. „Ite, inquit, et ipsa oris specie totoque habitu ferociam praeferte tigridum, pardorum, ursorumque. Quam belle itaque aenigmata libri Y-king conveniunt cum historico Chou-king.

Nihil porro infelicius accidere imperio posse docent scriptores isti quam carere imperatore, quod multis probant et satis per se patet. Sufficit illud ministri Tchong-koei dictum in Chou-king, ipso Ou-ouang longe antiquius. „Non sine consilio coelum tales produxit populos, ut possint velle bonum et malum; at, cum ita facti sint, si non haberent dominum, quam inordinata essent inter illos omnia?“

ADNOTATIONES.

1) Inter interpretes non convenit quid voce usus (Yong) noni intelligi debeat. Placet sententia doctoris Fan-kouang, quam exponunt, probantque commentarii regii; post adjecta cuilibet lineae hujus emblematis epiphonemata. Hoc postremum addi, quod sit velut summa, Tsou-lun, totius figurae, attingens finem expeditionis principum.

2) Copiosius adhuc disputant quanam ratione verba istius epiphonematis aptari non absurde possint figurae incrementa virtutis generativae, Yang, exhibenti. Decisio in eodem opere affertur, multos virtutis Yang (qui per ipsum rerum decus

copiamque prodeunt) effectus spectabiles esse et figura exprimi, at non prima, quae sensus fugiunt initia; et in hoc esse populi felicitatum quod copiose omnia sibi suppeditari videat, illisque velut naturae annuis emolumentis fruatur; qui sicut curare non solet quonam pacto fiat, ut non ex apparenti (nempe córrupto in terra) semine, ac velut sine capite, copiosam messem multasque fruges collegerit; ita, dummodo imperium floreat, inquirere non debet, quo ex initio ad hanc potentiam pervenerit qui illi praeest.

Quae omnia clarum est afferri novi imperatoris gratia, orti e domo cujus initia fuerant exigua in remotissima a regia aula occidentalique regione, et de quo etiam est in Lun-yu (quoad felicem populi statum) Confucii annotatio. „Ille imperator magni momenti esse duxit . . . . subditorum annona, ut semper affatim esset earum rerum, quae vulgo sunt ad vivendum necessariae . . . . si princeps enim sit munificus erga suos, si magno liberalique animo coeli instar protegens ac complectens, et telluris instar sustentans . . . . is obtinebit omnes.“ Obtinuit reipsa Ou-ouang, effecitque ut initiorum odiosa oblitterarentur, quanam vero ratione? Militem (ut Augustus apud Tacitum) donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit.

CAPUT SECUNDUM.



EPIGRAPHE, principis OUEN-OUANG.

1. *Magnum, penetrans, convenit (vel oportet) ut equae soliditatem habeat.*

2. *Cum sapienti sit, quo eat; si praecedat punietur, si sequatur possidebit.*

3. *In convenientia summam constituit.*

4. *Intra meridiem et occidentem possidet amicos, at intra septentrionem et orientem amicos perdit.*

5. *Si in solido sit firmus, bonum est.*

INTERPRETATIO.

Hac imagine atque epigraphe exprimitur, inquit celeber interpres et doctor Tching-tse, vera subditi agendi ratio, ad imitationem seu similitudinem terrae coelo subjacentis, et ab eo pendentis. Terrae autem quatuor, ait, eaedem quae coelo congruunt dotes, quamquam paulo aliter in ipsa rerum materialium productione; quae, qualiscumque sit, certo est opus ac veluti terrae meritum. Actio quidem ipsius debet esse magna, ut nimirum ad res omnes pertinere possit;

et penetrans, ut illas suo velut sinu concipiat. Sed, ut sit conveniens utilisque, necessario accommodanda est ad coeli et coelestis virtutis motus. Qua in subjectione non minus necesse est, ut sit solide constans duransque, quam equa diuturni (aïunt) laboris durissimaeque servitutis patientissima.

His quoque dotibus praeditum esse oportet sapientem subditum, ad quaecumque praestare potest obsequia semper paratum, negotiisque perficiendis intentum; ita tamen ut, ad solum regis natum, veluti manum dirigat, nec ab eo dimoveri se patiatur, solidam in submissione gloriam ponens. Cum itaque regem dominumque habeat quem adeat, suo arbitratu negotia praevertere [1]) et praedefinire damnosum est; ast post mandatum regium eadem aggredi utilissimum.

Recti proinde obsequii summa est, ut omnia convenienter fiant, servato debito ordine, et quidem constanti sibi agendi ratione. Convenit terrae ut maturescant fructus quos ferre amat, ea tempestate, quae finem aetatis cum principio autumni conjungit (quae parte prima repraesentatur in mappa Pa-koua) regione occasum inter et meridiem media.

Hos scilicet tellus tunc vegetat, sustentat, possidetque; at omnia amittit saeviente hyeme (seu in regione boreali) et etiam perdit non pauca ex amatis seminibus, quae reipsa quotannis pereunt, quando hiemis extrema veris initiis committuntur.

Quod tamen inter tot vicissitudines terra stet firma, coelique respondere foecundis influxibus sua actione non cesset, fit tandem frugum omnium ferax et causa feli-

---

1) Cfr. Chou-king l. 6.

citatis publicae, nempe commodorum totius populi imperiique.

Hoc nimirum emblemate principibus regia (uti supra dictum est) mandata detrectantibus, Ouen-ouang bona ex eorum fide ac patientia in rempublicam extitura proponebat. Et quidem non frustra, cum illos denique eo saltem adduxerit, ut quae ab imperatore Tcheou accepta ipse transmisisset sine more admitterent perficerentque, quod multis annis in imperio servatum est. Hanc ipse porro veri subditi speciem, quae animo ipsius alte insederat, sua agendi ratione expressit, omni officiorum genere de crudeli imperatore diu bene meritus; et in negotiis tanta inter principum dissidia sustinendis indefessus; ita ut illos ad debitum juxta leges regiae majestati obsequium hortatus fuisse narretur, etiam in vincula conjectus et vehementissime afflictus.

Quod vero tantis malis non alia deinde adhibuerit remedia, hoc totum ex perturbatione temporum profectum est, quibus alia non conveniebant. Unde illud in convenientia summam constituit, prudentis scilicet esse ratus apothegma. Nec immerito, imperator siquidem Tcheou tunc temporis non solum in omne hominum genus saeviebat, sed etiam in hoc suam majestatem rebatur esse positam (ait Chou-king) ut quemcumque, quo ipsi placeret supplicio enecaret; solitus obtrectatoribus et publicis imperii censoribus respondere ac familiariter dicere: „populus nonne meus est? auctoritas nonne mea est?“ aliunde vero principes clientelares imprimis in ipsum concitati, quem ne suis quidem consanguineis cognatisque parcere videbant, nihil satis tutum sibi esse arbitrabantur. Hoc itaque unum restabat, ut, si quid supererat concordiae, princeps Ouen-ouang hujus velut sequester utrinque habere-

tur, imperatore sua mandata (quando visum erat) illi velut principum capiti committente, ne sibi praecedi velle putaret, et puniendae culpae illum reum faceret; sequentibus autem et exequentibus mandata a Ouen-ouang transmissa caeteris principibus; qui hoc pacto ita contineri videbantur, ut ab imperatore non deficere sed adhuc possideri dici possent, eorumque populi hac concordiae specie a rebellando averterentur; nec enim dubium est quin suos dominos secuturi essent. Imo, si in illis primis principum cum imperatore dissidiis, ipse Ouen-ouang aggredi aliquid coepisset, plerique principes, ii praesertim quorum ditiones erant inter occidentem et meridiem positae suisque vicinae, et ideo cum quibus vetus intercedebat amicitia, statim illius partes amplexi fuissent. Sed cum series illa malorum prope infinita, ait commentarius libri Chouking, nondum simul irruisset, nec desperata adhuc imperii salus videretur, rege nondum depravato ad certam illius ruinam, cunctandum censuit Ouen-ouang, ne intempestivo conatu perderet amicos, quos tum in aula ad orientem sita tum in ditionibus ad illius septentrionem porrectis sibi obstrinxerat, irruentibus forte et quidem repente in eos imparatos, ac occidentalium principum auxilio destitutos, tam multis copiis quibus aula cingi solet, et quibus illo tempore praeerant optimates ducesque nonnulli regia ferocia nondum satis exasperati. Sed dum mutandae reipublicae necessitas et opportunitas communi bono conveniens expectatur, moritur princeps Ouen-ouang, relicto apud plerosque primates ingenti sui desiderio, quod sola virtus filii Ou-ouang haud paulo promptior mitigare potuit solidae plenaeque victoriae emolumentis.

Caeterum haec ideo partim ex commentariis partim ex historiis fusius exponenda censui, tum ne rerum

Sinicarum ignaris obscura fieret interpretatio nostra, tum ut clarius pateret, nihil etiam secundo huic emblemati subesse nisi politicum et morale, nempe de officiis veri subditi; quem debere esse docet: 1) animi capacis, ut in omnia negotia (a rege commissa) curam suam dividat; 2) perspicacem, ut ad effectum conciliorum venire sciat; 3) sapientem, ut loco temporique convenientia sequatur; 4) eumdemque firmum, ut malo tempore quo ab amicis deseritur non minus fortiter quam bono tempore amicisque juvantibus bonum publicum procurare non cesset. Ad haec pauca reduci possunt interpretum meliorum notae. Itaque de his satis, quae ad sensum epigraphes spectant. De figura supersunt aliqua mox in nostris notis breviter exponenda, ad majorem perspicuitatem sequentium figurarum.

ADNOTATIONES.

1) Inter res ex crassiore materia figuratas, ait clarissimus interpres Tching-tse, nulla est major terra. Sed licet figura haec Kouen dicta pro terra supponat, intelligenda tamen (in Y-king et physiologia) est plerumque pro illa seu virtute seu qualitate seu potius pro ipsa materia terrestri, quatenus scilicet est alterum rerum corporearum principium, quam supra descripsimus ad mentem philosophorum, qui illam Yn ubique et constanter nominant, uti constat ex omnium aetatum libris. Haec equidem, quod sit crassior, fragilior, segnior, inde quidem minus apta est ad motum, nihilominus cum prima rerum seu rudimenta, seu semina sibi ab initio congenita habeat, ubi a circumvoluta materia coelesti (Yang) agitatur, ipsa tantam motus vim concipit, quanta ad rerum productionem concurrere necesse est.

Quemadmodum enim seminis vis tanta est, ut id, quanquam sit perexiguum, tamen si inciderit in concipientem comprehendentemque naturam, nactumque sit materiam, qua ali augerique possit, plantarum flores fructusque effingat; ita etiam coelestis materiae vis illapsa in materiam terrestrem, ita illam ciet, ut terrae foecunditatem excitet, motumque productione

parem imprimat; qui, sicut ab aliena vi certo cremento augetur, ita et natura sensim remittit, tandemque fit insensibilis, non ante annuam coelestis materiae Yang revolutionem iterum augendus. Quod argui facile potest ex terra ipsa quotannis nunc florente, mox horrente: „Quando (aiunt, l. 27. Sing-li, philosophi) spiritus (Ki) seu materia subtilior incipit germinare, efficit ver; ubi crevit, efficit aestatem; ubi se colligit, efficit autumnum; ubi imminutione et contractione exhauritur, efficit hiemem .... ille Ki, spiritus seu materia subtilis, est idem cum rerum principiis Yn et Yang duobus. Nimirum in coelo terraque nihil omnino est quod ab illis duobus Yn et Yang non generetur et non corrumpatur .... ver et aestas sunt materiae seu principii Yang; at autumnus et hiems principii Yn .... quod habent ex revolutione ac veluti circulatione .... nempe utriusque principii rationes eam inter se habent conjunctionem, ut ascensus et descensus nec non generationis ac corruptionis vices se ex ordine excipiant .. habent crementi ac decrementi terminos .... quandoquidem vel quilibet arboris ramus habet certos vigendi ac arescendi fines.“ Haec illi, quae nunc sufficiunt ad interpretationes figurae et sequentium ex physiologis probandas; hos si quidem sequuntur interpretes; infinitus enim essem si quaecumque in illorum libris de Yn et Yang rerum materialium utroque principio occurrunt huc referre vellem. Eadem praeterea repetuntur usque ad lectoris fastidium, nec ullo operae fructu, cum in iis potius stylo expoliendis quam penitius perscrutandis vulgo occupentur.

2) Ex dictis intelligi credo facile potest cur Kien et Kouen, seu coelum et terra, vocentur a philosophis passim pater et mater, et in mappa principis Ouen-ouang, quam P. I. cap. 7. exhibuimus, non aliter nominentur. Nempe quod plantae caeteraque ab illis velut a rerum materialium causis propria utriusque naturae ratione concurrentibus existant, atque annuis velut beneficiis alantur de coelo et terra. Eadem ferme canit noster Lucretius l. 1.

.... unde alma liquentes
Humorum guttas mater seu terra recepit
Faeta parit nitidas fruges arbustaque laeta ...
Pabula cum praebet, quibus omnes corpora pascunt,
Et dulcem ducunt animam, prolemque propagant:
Quapropter merito maternum nomen adepta est.

5) Quod in epigraphe dicitur de possessione intra meridiem etc., et ab interpretibus ad aestatem annique tempestates vulgo refertur, non videtur Sinis scriptoribus longius petitum et violenter detortum. Solent enim omnes Pa-koua seu octo symbola, quae veteri ex instituto pro coelo, terra, igne, aqua similibusque, supponere supra docuimus, accommodare tum ad plagarum horizontis portionem septentrionis, meridiei, orientis, occidentis, et inter illas mediarum, tum ad annuam tempestatum revolutionem hiemis, aetatis, veris, autumni; quae iterum in duas singulae dividuntur v. g. aestas iniens dicitur Li-hia, et eadem adulta Hia-tchi aestivum solstitium in calendario Sinico etc. Unde fit ut octo annui cursus tempestates cum octo horizontis regionibus seu plagis componi (an recte? hic non quaerimus) ab illis possint. Hunc certe morem, seu loquendi usum, a plurimis retro seculis inter philosophos interpretes Sinas invaluisse constat ex variis scriptorum diversa aetate florentium monumentis et ex opusculo Confuciano nomine Tse-koua-tchouen, cujus jam parte prima mentionem fecimus, adductis ex eo nonnullis locis, et infra saepius faciemus.

4) Licet vero conveniat inter interpretes ver pro oriente, aliasque tempestates pro reliquis horizontis plagis in Y-king hoc accipi, nihilominus acriter disputant quid ad politicam gubernationem (de qua sola agebatur tempore principis Ouen-ouang) faciant pericula amicis in oriente, ut ait epigraphe, perdendis tunc saltem imminentia. Verum hanc dissensionem tollere videntur novi regii commentarii, dum in decisione controversiae observant „ex oriente solo mandata suprema illo tempore accipi“ in quo scilicet aula imperatoris jam ab aliquot seculis fuerat.

5) Terrae cum equa comparationem, ait vulgus interpretum, adduci ad inculcandum obvio plebique noto exemplo subjectionem, nihil ut opus sit mysterii his in verbis aut similitudine suspicari. Doctus interpres Hou-pao qui ante quintum christianae aerae seculum floruit, ita loquitur: „Sicut inter alata animalia nullum tam rapide versus coelum fertur quam draco, ita inter quadrupedes nulla super terram tam indefesse graditur quam equa. Inde est quod coelestis materia Yang Draconis pernicissimi, at terrestris Yn equae pa-

tientissimæ, similitudine exponatur.“ Ita ille, quem plerique sequuntur.

6) Numeri 1, 2 etc. ad epigr. a me appositi sunt, majoris distinctionis causa.

EPIPHONEMA PRIMUM, principis TCHEOU-KONG.

In primum sextum.

Si pruina decidat et congeletur, fit glacies.

INTERPRETATIO.

Tenuis illa pruina, quae autumno terram tegit, ita aut constringi a frigidiori aura, aut incedentium pedibus conculcari potest, ut ipsam glaciei duriciem induat.

Quibus malis ab improbo imperatore attererentur populi principesque (necquicquam obsistente Ouen-ouang) jam supra ex authenticis illorum temporum historiis demonstravimus. Ad quae tamen, post principis mortem etiam graviora accesserunt, laxatis furori velut habenis.

Inter caeteros regii sanguinis virtute ac animi magnitudine eminebat patruus Pi-kan, imperatoris defuncti Ti-ye natu minor. Is cum probe intelligeret imperii jacturam familiae suae imminere ex tanta optimatum offensione, nihil non tentavit ut nepotem suum imperatorem Tcheou ad clementiam officiumque revocaret. Imo, licet ex publicis censoribus et imperatoris admonitoribus alios ad fatalem arborem suspensos, alios lento incendio ambustos, alios aliis pereuntes suppliciis intueretur, nec aliquorum principum fugam, nec

aliorum silentium imitatus, intrepide semper locutus est. At dum eadem, quae prius, inculcare consilia pergit, ita iram tyranni accendit ut ipsum coramque discerpi ferro jusserit, eique extrahi praecordia, „inspecturus (aiebat crudeli joco) an sapientum cordi septem paterent ostia, uti communi ferebatur proverbio.“

Quod unum retulisse sufficiat ut facilius intelligi possit, quantae populos, quantae optimates quoscumque, et imprimis invisam tyrannò principis Ouen-ouang familiam, premerent aerumnae. Hae itaque fuerunt apertae defectionis praeludia, veraeque excidii causae quae eleganter exprimuntur Sinicae metaphora pruinae, quae est indicium mutati jam coeli; et quae, licet natura sua sit tenuis facilisque cedere, vel ipsa tamen conculcatione ita obdurescit ut mutata videatur in glaciem, solitos ad motus obrigentem. Huc proinde spectat hoc principis Tcheou-kong epiphonema, ut doceat nec suum fratrem Ou-ouang, nec populum ab antiquo domine imperatore Tcheou (cujus familia imperium tenebat a 600 amplius annis) descivisse praepostera animi servire indocilis licentia, sed necessaria contra extremam necessitatem defensione; adeoque id fecisse quod tempori conveniebat, et decebat magnatum imperii caput et principem, facere pro ipsius bono et publica felicitate, uti exigit superior epigraphe. Atque hoc totum verbis quidem generalibus sed tamen perspicuis observatur tum in commentariolo Confuciano Ouen-yen, tum in Chou-king l. 4. Commentarioli verba sunt: „Quandò liber Y-king ait, si pruina decidat et congeletur fit glacies, consulto dictum puta de timendis et perversa agendi ratione . . . . . occisio regis a subditis, occisio patris a filio, non est unius diei nec unius noctis effectus, ejus origo sensim

crevit.“ Quando prorumpit, est quia maturius non prorupit.

Pars autem operis Chou-king, quae dicitur Tcheou-chou et tres ultimos libros complectitur, variis in locis ea sigillatim narrat, quae clare demonstrant excidium domus regiae ex causis longius repetitis ac multiplicibus extitisse „sicut, inquit Ou-ouang oratione ad regulos, vir reipublicae utilis fortunatusque non fit bonus intra unam diem, ita nec perniciosus ac infortuniorum causa non fit intra unam diem“ etc. En itaque rursum libri Tcheou-y moralem explicationem, cum historica libri Tcheou-chou narratione tam belle congruentem, ut eundem utrique sensum subesse nemo negare possit, nisi sit critices plane rudis, et Sinicarum rerum ignarus. Similis imo etiam eadem institui potest comparatio inter ea quae in Tcheou-y dicuntur de coeli, de supremi imperatoris benignitate ac tarda criminum vindicta, inter varias admonitiones coelitus perverso Tcheou datas, quarum toties meminit Tcheou-chou, et quidem nullo emendationis fructu nam ex canonici utriusque libri sententiis idem semper colligitur, nonnisi post diuturnam malorum omnium patientiam tam gravem sortem tyranno illi obvenisse, ad eum fere sensum quo Valerius maximus de Syracusarum tyranno concludit: „gradu enim lento divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat.“ Vid. not. 2.

ADNOTATIONES.

1) Linea quaelibet intercisa (—— —— virtutis seu qualitatis seu materiae terrestris Yn symbolum) numero etiam senario ubique designatur, ob eam scilicet causam quam supra exposuimus afferuntque passim commentaria tum communia tum regia.

Cur ad hanc infimam (seu primum senarium uti vocat textus) mentio fiat pruinae, respondent, pruinam esse primum

frigoris advenientis indicium, vel (ut loquuntur doctores Tching-tse et Tchou-tse) initium virtutis Yn operantis et illabentis in res infimas quas sensim corrumpit. „Quid est, aiunt philosophi in Sing-li l. 27, pruina? est ros concretus . . . Sed roris spiritus, Ki, seu halitus, non sunt proprietate similes. Nam hujus est proprium res rigando fovere, illius e contra constringendo enecare . . . si nostri alti montes non habent pruinam nec rorem, hujus rei ratio est: quod supra eorum faciem spiritus Ki seu vapor paullatim fit purus, ventus paullatim validus; unde, etiamsi adesset vapor ad rorem nebulamque idoneus, statim dissipatur; valet proinde vetus adagium: ex rore fit pruina."

2) Ex quibus satis patet quae dicuntur de operatione illapsuve virtutis Yn, si ad vivum resecentur, nihil aliud significare nisi frigore deteri et torpere omnia quae antea calor excitaverat perfeceratque; et ipsam pruinam (cujus hoc loco fit mentio) jam hiemis adventum praenuntiare.

EPIPHONEMA SECUNDUM, principis TCHEOU-KONG.

In secundum sextum.

Rectum, quadratum, magnum, licet non ediscat, nulli non convenit.

INTERPRETATIO.

Tignum quadratum, si rectum sit, si flecti nescium, nulli non convenit seu aedificio fulciendo, seu fastigio sustinendo, atque adeo assumi potest pro columna lignea, quae ad hos usus in domibus vulgo adhibetur.

Ab antiquissimis siquidem temporibus is mos in domorum constructione invaluit, ut rotundis arborum truncis quos natura olim dabat, vel effictis arte postea

columnis, totius tecti moles incumbat quod tignis quadratis connectitur. Quemadmodum autem fabrorum peritiae est inter congestas trabes eam internoscere, quae in vinculum substerni, quae in tabulata committi possunt: „putre (aïebat Confucius carpens unum e suis) lignum non es aptum sculpi“; ita prudentia est nosse virorum dotes ac utilitates quae ex his percipi possunt. Improbus quidem Tcheou erat natus ut foret imperii columen, sed cum removeri debuerit, nunquid respublica Sinensis permittet omnia ruere? minime vero; cum in eximio principe Ou-ouang habeat qui regium hoc fastigium sustinere possit, incredibilis dementiae esset malle totam suae domus substructionem subverti, quam quadratum tignum, etsi rectum ac firmum, in locum columnae jam ferendo imparis succedere. Ita sub aenigmate disserit Tcheou-kong, apologista fratris sui Ou-ouang in Y-king; ait in Chou-king de ipsius rectitudine, animi magnitudine, aequitate, caeterisque perfecti imperatoris dotibus, tam multa et tam saepe repetit, ut quisquis est naris non omnino obesae statim subodoretur quid de recto, magno, quadrato seu aequato, sentiendum indicet.

Licet autem magnifica illa encomia principi Ououang conveniant, utpote qui imperium semel adeptus optimi imperatoris partes impleverit; quod tamen causae per se odiosae suffragentur, ideoque toties a Tcheou-kong inculcari videantur, non carent certe alicujus ambitionis suspicione. Cui enim heroum, a quibus regiae familiae fundatae sunt novae (23) subversis antiquis, ingentia non sunt decantata laudum praeconia a suis, quibus injustae dominatus libidinis maculam, si possent, aut eluderent aut elevarent. Esse tolerabilia tamen illa fateri debemus nimiis, imo im-

probis nonnulorum nostrorum poetarum elogiis, quale est Lucani I. 1.

> Quod si non aliam venturo fata Neroni
> Invenere viam . . . .
> Jam nihil o superi querimur, scelera ipsa nefasque
> Hac mercede placent etc.

ignoscendum itaque Sinarum hyperbolis et adulationibus de successore Ou-ouang, nec ex his parum accuratis loquendi formulis plerumque poeticis conjicienda sunt (quod nonnullis nostrorum contigit) quae nunquam veteres intelligi voluere.

ADNOTATIONES.

1) Ideo quadratae figurae hoc loco fieri mentionem, docet doctor Ouang-chi-tong, quod tellus (cujus emblema est Kouen) credatur esse quadrata et ad quietem virtutis seu materiae Yn propriam symbolice exprimendam facta esse videatur. „Nam quod (ait) rotundum est movetur, quadratum quiescit.“ Licet autem terram quadratam putent philosophi Sinae, non secus ac interpretes, illamque cogitent [1]) „extare super aquam,“ atque ita coelo conjungi; non tamen ubique aeque altam esse arbitrantur. „Secundum illos, terra quae est inter occidentem et septentrionem est altissima, locus autem terrae altissimus non est in medio. Terra in quibusdam locis abscisa penitus deficit, familiae regiae Tang secundus imperator protulit imperii fines ad regionem Hou-li-han; ibi instituit unam curiam, in hac terra noctu facile illucescebat (aestate) nec nox multum obscura erat; nempe hic erat terrae abscissae locus, utpote solaribus radiis ita percussae. Incolae comam habent rubram; inde fit iter in terram Tie-lo quae etiam borealis est; in terra maxime boreali homines sunt pauci . . . . ultra Dracones anguesque mixtim habitant, atque adeo locus non est ad quem pateat aditus. Historia narrat hominem quendam e regno longe egressum in eum tandem locum in quo illucescebat post noctem tam brevem ut coquendo ovino pectori nequidem sufficeret. Haud dubie lo-

1) Sing-li l. 27.

cus hic erat terrae in acumen sese porrigentis unus angulus; sol siquidem dum infra subibat non habebat quod illum terrae huic obtegeret . . . . ab ultima antiquitate nullus unquam fuit qui boreale mare pervaserit; credibile est mare boreale tangere marginem fornicis coeli; et ita est, nam ex parte boreali terra in longinquum excurrit, atque adeo, ut apparet, mare boreale non est valde largum. Terra inferius habet quatuor latera, quae omnia aquis ambiuntur. Coelum, terram, aquasque involvit; maris illius ora coelo occurrit, illique contigua est.“ Ita illi philosophi, sub Song-tchao florentes; adducta ex antiquis monumentis auctoritate et multiplici ratione, suam sententiam de figura terrae quadrata seu cubica (aut potius exhedra) adstruere conantur. At vereor ne potius suam in disserendo imperitiam, utpote nostrae dialecticae prorsus ignari, nostris physiologis demonstrare videantur. Quod magis mirum est, id ab eis dici contra suorum hypothesin astronomorum; quorum observationes etiam antiquae terram non esse cubicam evidenter supponunt, de quibus erit alibi obiter dicendi locus — ut ut sit, doctor Ouang, quem appellavimus, non male communem hanc gentis opinionem accommodat ad quaestionem propositam, cur hoc in textu fiat mentio figurae quadratae rectae.

2) Commentaria vero typis non ita pridem edita moralem hujus rei explicationem afferunt: forma quadrata, exprimi justitiam; situ causa „vir probus, inquiunt, esse debet sincere rectus interius, ut exterius sit aequabiliter justus.“ Eum imprimis necesse est (cui potestas commissa est) in hanc animi rectitudinem sibi parandam impensius incumbere oportere, sin minus, non futurum in justitia servanda constantem. „Sapientis (ait Confucius in hunc locum) rectitudo est directa seu deflectere nescia. Justitia ejus est aquabilis; fit inde ille observantissimus, ita ut externa etiam justitiae forma sit aequabilis. Caeterum ubi justitiam stabilierit, virtus illa non erit sola,“ cum qua scilicet caeterae cognatione quadam velut continentur. Quod imprimis evenit tempore familiae tertiae Tcheou fundatoris Ou-ouang, quam (sub illa vivebat) Confucius omni laudum ac virtutum genere floruisse ait, „postquam antiqua jura légesque a novo imperatore restitutae sunt.“ Ita ille in Lun-yu, et ejus interpretes.

EPIPHONEMA TERTIUM, principis TCHEOU-KONG.

In tertium sextum.

Si adhibeas venustatem, debet esse illa solida; si forte in negotiis regiis allaboraveris, licet non perfeceris, finem habebis.

INTERPRETATIO.

Mulieris venustae quidem, at veris virtutibus destitutae, opera non adhibenda est in reipublicae administratione. Hoc rerum articulo quisquis regiis negotiis immixtus est, etiamsi jam perficere illa per se forte nequeat, non cesset tamen. Fieri enim potest ut continuitate curarum temporisque decursu felicem exitum sortiantur. Hunc saltem finem assequetur ipse, quem sibi proponere imprimis debuit, fidelis scilicet subditi partes implevisse.

Obsistebat tunc temporis optimis quibusque reipublicae administris ac primatibus regina Ta-ki, cujus venustate ita tenebatur imperator ut pessima quaeque et crudelissima probaret, „tanquam (ait Chou-king) solerter excogitata, si modo truculentae feminae arriderent.“ Hanc ergo plerique omnes ab administratione removendam clamitabant, quibus vocibus excitata magis ac magis retinendae auctoritatis ambitio, novis quemlibet petebat calumniis, aut suspicionibus marito temere injectis reum faciebat mox exquisito supplicio puniendum. Frustra itaque nonnulli principes, tum ex imperatoris consanguineis ut Pi-kang, Ki-tse etc.; tum ex clientelaribus principibus sicut Ouen-ouang, Ou-ouang etc, bono publico intenti allaboraverant,

EPIPHONEMA QUARTUM, principis TCHEOU-KONG.

In quartum sextum.

Manticam strictissime alligat — nullus error — nulla gloria.

INTERPRETATIO.

Sacci sui os claudere, et convasatis sarcinis recedere, non quidem malum, sed indecorum.

Os scilicet oppresserat publicis imperii censoribus regia crudelitas, quin et ipsos regii sanguinis principes, boni publici quantumvis studiosos ad silentium adegerat. Quibus exemplo praeivisse videtur princeps Ouei-tse tyranni frater natu major. Hunc enim narrat historia, cum nec privatis conciliis nec publicis admonitionibus aliquid proficere se experiretur, et nova in dies odia, ac simultates suam tandem in perniciem erupturas, ex aulicis intimis cognovisset, suum demum os non secus ac penicillum continuisse: et ne quae gerebantur tacitus approbare censeretur, relicta aula, in densam silvam se recepisse.

Quidne idem fecerint principes Ouen-ouang, Ou-ouang et caeteri, quaeri poterat? brevi epiphonemate, ac vulgari adagio, respondet apologista Tcheou-kong, cujus sensus est ex historico perspicuimus: nimirum crimini verti non posse iis optimatibus qui jam nec os aperire nec in aula manere sine capitis periculo poterant, minus tamen in ea re seu fuga fuisse gloriae: dulce enim est et decorum pro patria mori; cujus causa ipse crudelis imperatoris Tcheou patruus,

ab hoc fugae silentiique concilio abhorrens, perire maluit truculento supplicio, de quo jam supra.

ADNOTATIONES.

1) Loci hujus explicatio physica in hoc versatur ut hunc rerum articulum quarta linea exprimi probet, quo suas opes terra ita obtegit ut nihil jam vegeti foris appareat, sed potius cessanti similis videatur.

2) Moralis vero pertinet ad sapientem, qui silere suamque peritiam celare interdum cogitur, ne sibi aliisque perniciem loquendo vel meliora vel apertiora accersat. Periculosis illis imperii temporibus loqui ad bonum publicum opportuna ita difficile est, ut inter sapientes pauci id possint. At tacere ita facile, ut, qui id non potest, inter sapientes non censendus sit; nec ideo res magnae ab eo sustineri possint qui silere grave est.

3) Ad haec pertinet observatio commentarioli Confuciani: „Ideo, dicitur in Y-king, manticam esse strictissime alligandam, ut intelligatur, quid sit metuendum sapienti politico, si nempe os ejus alicui inopportune et incongrue aperiatur."

4) „Vir sapiens, addit Leou-chi-men in comment. regiis tom. 1., non raro latet, nec tamen suam debet praedicare peritiam, ut possit in lucem prodire" etc. Deforme siquidem est de se ipso praedicare vero majora, seu falsa, ait etiam noster Tullius; praesertim, et cum irrisione audientium; imitari militem gloriosum.

5) Sileat etiam sua erga imperium merita, sed permittat principi censenda, dicit enim Chou-king: „si tibi occurrerit ars aliqua negotii absolvendi, hanc propone principi adhibendam; neque ulli dicas, haec mea est."

EPIPHONEMA QUINTUM, principis TCHEOU-KONG.

In quintum sextum.

Perizonium flavum [1]*, hoc optimum* [2]*.*

INTERPRETATIO.

Ubi flavum paludamentum prodierit, summa consequetur felicitas.

Imperator Ou-ouang, postquam debellatum fuit, victoriae suae celeritatem atque utilitatem principibus suis exponens, ait: (in Chou-king l. 4.) „loricam indui, imperium composui.“ Semel enim pugnare necesse habuit cum numerosissimo licet hostium exercitu; cujus milites, ut utar verbis historiae Tong-kien l. 2., pugnandi animum non habebant; ea tamen die qua subjacentis aulae ditionis fines praetergressurus aciem instruxit, flavo imperatoris paludamento, tunc primum, ornatus, duces militesque hortatus est, tum ut maximam quam posset auctoritatem apud omnes sibi conciliaret, tum ut suis copiis majorem animum faceret, imperatoria etiam utens potestate, propositis forti cuilibet ingentibus praemiis, at constitutis contra ignavos poenis etiam capitalibus. Hortationis fructus fuit victoria minime anceps, quam elapsis vix aliquot mensibus altissima pax et quies diu optata consecuta est, brevique novus imperator non solum administrationi sed etiam amori fuit magnatibus populisque. Imo ipse (in Chou-king) narrat „sibi venienti viros et mulieres ultro occurrisse plenis canistris offerentes serica flava.“

1) Seu imperiale. 2) Seu felicissimum.

Ex hoc porro tam felici eventu concludunt passim scriptores Sinae variarum aetatum, probari aequitatem coelestis mandati, principibus Ouen-ouang et Ou-ouang dati, de puniendo malo imperatore Tcheou; aiuntque prodigio simile fuisse, quod „mutato repente imperio nihil nisi forte in melius mutatum populis senserit.“ Et quidem si aliis elogiis praeter modum hyperbolicis abstinerent scriptores illi, non essent reprehendendi, neque enim a nostris indignae adulationis reus fit Claudianus, quod simile cecinerit ad laudem Stiliconis de Hercule in locum Atlantis suffecto:

mundi melius librata pependit
Machina. Mutatas orbis non sensit habenas.

Sinae etiam regnum suum vocant Tin-hia, quod simile latinaque hyperbole dici potest terrarum orbis, at quod nos hac interpretatione diximus imperium Sinense.

Utut sit de loquendi formulis, sensus moralis seu politicus hujus epiphonematis est, ab imperatoris, virtute eximii, ad solium et insignia flava, seu regia, promotione pendere totum imperii bonum, ut notant interpretes.

Sed eadem sententia clare et sine aenigmatibus his lineis libri Y-king exprimitur in Chou-king l. 3. cap. 3.: „Noli putare plebis negotia esse levis momenti. Heu! omnium populorum felicitas pendet tota ex tui unius hominis virtute.“

ADNOTATIONES.

1) Non omittenda videtur doctoris Tching-tse annotatio, quae tacitae objectioni occurrit. Licet haec secunda figura Kouen veram (ait) „subditi formam exprimat, quinta tamen linea referenda est ad regiam dignitatem,“ scilicet ad subditum quidem seu vassallum, sed meritis virtutibusque regiis eximium, qui ad supremum hunc apicem coelesti (ita

saepe Chou-king de Ou-ouang) mandato peromnetur.

Addit idem ille dynastiae Song interpretum princeps quae sunt de flavo perizonio, seu de veste flava extra loricam defluente, multi e posteris non intellexerunt. Sensus nempe non est absolutus, sed velut suspensus ac subintelligenda habens. Forte noluerunt illi absolvere quae dici poterant de negotiis, quae primum a Tching-tang, translato in suam domum Chang imperio, et deinde a Ou-ouang gesta sunt, cujus causa loquitur Tchou-kong in Y-king, fratris Ou-ouang novaeque regiae familiae Tcheou apologista. Ex historicis id constat utramque imperii mutationem non placuisse omnibus probis, qui haud dubie reprehendendi causas habuere; sed has utriusque victoria, quae statim consecuta est, posteris ignotas fecit.

2) Ea verba durius ad physicam trahunt non pauci interpretes. „Flavus color (inquiunt) est color medius, convenitque terrae ex interjecta hieme, autumni verisque vices subeunti.“ Igni enim, qui ruber est, orientem et ver aeque tribuunt; aquae autem, quae alba est, autumnum simul et occidentem; unde hiems, quae interjacet, lutea (Hoang) seu flava dici potest. Praeterea (aïunt) quies terrae convenit, et generationi rerum utilis est, quod notat etiam noster Virgilius:

. . . . . tonsas cessare novales,
Et segnem patiere situ durescere campum.

Quapropter terra sic cessans imperii jam tranquilli imago esse potest, quod vel hac quiete fit ad agendum aptius non secus ac terra:

. . . . est inaratae gratia terrae.

Caeterum familiare est etiam nostris Latinis, praesertim poëtis, flavum cum luto confundere, nihil ut miram sit vocem Sinicam in utrumque sensum accipi posse.

EPIPHONEMA SEXTUM, principis TCHEOU-KONG.

In sextum sextum.

Dracones in desertis pugnant, eorum sanguis niger et flavus est.

INTERPRETATIO.

Qui in loco deserto pugnant, cum non sint ipsis draconibus fortitudine inferiores, proelium non potest esse incruentum, mixto sanguine plebeiorum et principum (regiae familiae).

Si lente venit victoria, diuturnis premi populum aerumnis necesse est. Si stat multo sanguine, bonis omnibus fit invisa. Utrique incommodae suspicioni, in his duobus articulis, occurritur a principe Tcheou-kong. In quinto, victoriae celeritas indicata est, hoc autem sexto, proponitur ipsa pugnandi necessitas ac belli conditio. Sed enim praestat potius audire ipsum imperatorem Ou-ouang in comitiis disserentem de sua illa victoria, quam, non suorum proborumque imperii bellatorum, sed sceleratorum tyranno Tcheou militantium, sanguine cruentatam fuisse affirmat. „Die (in Chou-king l. 4.) vix illucescente milites perversi Tcheou sub vexillis tam numerosi quam sunt in sylva arbores, simul convenere prope locum, qui a desertis pascuis nomen habet Mo-ye. Statim non tamen nostros aggressi sunt, sed (ut ventum est ad pugnam) qui in priore eorum acie stabant, converterunt arma contra posteriorem, euntes versus borealem seu ultimam castrorum partem. Sanguinis tanta copia fluxit, ut in eo ligneum pistillum fluitare posset.“ Nihil hic quidem

attingit de casu morteque aemuli imperatoris Tcheou; hunc nimirum omnes sciebant, amissis e sua imperiali familia, flavo insigni (ut nunc ex cingulo flavo noscuntur regii sanguinis homines) distincta quam plurimis, totoque exercitu dissipato, sibi ipsi manus intulisse, accensaeque aulae medios in ignes, quibus tot viros combusserat, coactum irruere.

Quam ob causam sanguis flavus nigro immixtus dici merito potuit ob populi nigris tunc pileolis vulgo utentis (vocantur nigra plebei illius aetatis) et victi imperatoris familiae conjunctam caedem. Vix certe ad hujus textus perspicuitatem desiderari quid potest. Nam pugnae genus, loci nomen, exitusque sensum historicum aperte loquuntur, ita ut satis sit gesta legisse in Tcheou-chou, ad intelligendum aenigma his libri Tcheou-y verbis involutum. At ad politicae seu moralis disciplinae utilitatem facit haec phrasis sola pugnare in desertis. Nam est, juxta interpretes fortiter pugnare, amore solius (ut dicetur infra) boni publici quod decet sapientem, quem virtus sola excitat regitque.

ADNOTATIONES.

Sub hiemis exitum, verisque prima initia, frigoris cum calore jam appropinquante bella hoc loco interpretes commemorant, ut istud symbolum terrestris materiae, seu virtutis Yn, accommodent textui, hic nihil nisi pugnas et quidem luce meridiana clarius exhibenti, quas scilicet unas eloquitur.

„Coelo tonante (aiunt) ver aperitur .... fulgur est a principiis seu materiis Yn et Yang invicem luctantibus. Fulmen est ab iisdem invicem velut percutientibus .... fulminis ictus ab Yn et Yang invicem contraque incurrentibus.“

Ita philosophi aliqui in opere philosophico Sing-li l. 27., in quibus supponunt, ut nostri antiqui physici, principia rerum esse, inter se contraria: „Quae (ait Aristoteles lib. I. physic.), fuit veterum omnium sententia ac consensio. Democritus

plenum et vacuum, Empedocles antipathiam et sympathiam, Parmenides calidum et frigidum, alii alia induxere" etc.

Draconem autem, uti in prima figura Kien supra dictum est, coelestem materiam Yang, ita et in hac secunda Kouen materiam terrestrem Yn (quatenus particeps fit motus, acta ab Yang statis anni vicibus), metaphorice interdum appellari passim docent interpretes, et quidem ad physiologiae suae systema suasque loquendi formulas metaphoris non raro plenas minus incongrue.

His repugnat doctor Hou-chi, observans in textu non solum dici inter se pugnare sed pugnare in desertis, quae vox physicam ex hoc loco explicationem excludit. Praeterea nec hac principis Ou-ouang pugna, quam secuta est plena victoria, belle adumbrari potest proelium (si quod est) principiorum Yn et Yang juxta philosophos Sinas, quibus et quidem omnibus axiomatis ad instar est: „absit ut principium Yn omnino vincat principium Yang, statimque ac vicissim principium Yang omnino vincat principium Yn." Abrupta enim esset circulatio; de qua parte III.

Nulla ergo perfecta illorum victoria, qua naturalis rerum ordo lexque destruetur. Vid. part. III. diss. 1.

EPIPHONEMA ULTIMUM, principis TCHEOU-KONG.

Usus sexti.

Oportet ut perpetua sit soliditas.

INTERPRETATIO.

Cum solide constituta sit pax, efficiendum ut sit perpetua.

Principium duo erant tuno genera quibus necesse erat habere satis. Clientelares, qui illius partes pro-

moverant, dignitatem titulis statim auxit novus imperator, permissa cuilibet juxta veterem morem libere exercendi potestate. Qui erant e regio sanguine, fuerantque tyrannidi offensi, ditionibus seu (ut vocant Sinae) regnis fuere donati; populus copiosa largitione non solum fuit recreatus, sed, quod erat in omnium votis, ad priscam imperii formam coepit gubernari, adjectis etiam praeclaris ad legum observationem cautionibus, quae in Chou-king referuntur parte ultima, quae tota est de tertia regia familia Tcheou. Satis nunc sit ex ea excerpere quae victor Ou-ouang mandat, „ut regimen antiquo respondeat, ut carcere sine mora liberetur Ki-tse patruus tyranni occisi, ut sepulchrum alterius patrui Pi-kan magnifice instauretur . . . . ut collectae divitiae dispergantur, ut annonae horrea exhauriantur ad remunerandos quatuor marium populos, ita ut tota natio laetetur seque submittat lubenter.“

Cum Ou-ouang publice protestatus esset, se in hoc bello spectare unum, nempe liberare populos ab iniqua servitute, aerumnisque quibus premebantur, profecto non poterat, si sibi constare vellet, ad firmandum imperium continendosque in officio populos vim et violentiam adhibere, una ei supererat optimo principi nova ratio vincendi, ut se misericordia et lenitate muniret apud victos aemulos ac osores, et beneficentia sociorum spes superaret.

Ad pacem siquidem solidam, observant interpretes, exoriatur necesse est amor, et ex amore vera amicorum conjunctio; regiae benignitatis plerumque fructus, praesertim (bella inter Ou-ouang et Tcheou erant civilia) erga cives suosque gentiles. Quae certe doctrina est etiam nostrorum sapientum „amor (ait Cicero) princeps ad benevolentiam conjungendam . . . benitas

etiam ad multitudinem pertinet. Non enim est inhumana virtus, neque immanis, neque superba, quae etiam populos universos tueri atque optime consulere soleat: quod non faceret profecto, si a caritate vulgi abhorreret.“

ADNOTATIONES.

1) Doctor 'Tching-tse ait: „Materia terrestris Yn est natura sua debilis, ideoque difficiliter perseverat in eo statu qui mundi bono convenit, sed in eo conservatur a materia coelesti Yang, quae est perpetuae soliditatis ac firmitatis, et aequabilis in agendo constantiae.“ „Quod vero (observat doctor Kou-hien-tchin) terram hoc modo conjungi coelo necesse sit, inde hujus in illam dominatus intelligitur, symbolum scilicet principis supremi a cujus curis pendet populorum quies ac felicitas.“

2) Notant tamen acriterque tuentur iidem cum caeteris philosophis unum ex duobus sine alio nihil efficere posse verae felicitatis, fruges scilicet ad vitam necessarias nonnisi mutuo perpetuoque concursu generandas: „illorum principiorum Yn et Yang (Sing-li l. 27.) actio revolutionem habet quae exhauriri nequit. Duo haec se mutuo adjuvant adhibentque ad efficiendas rerum generationes ac corruptiones. Si non distinguuntur, sed eadem omnino sunt, procul dubio in coelo terraque nihil erit nisi circulatio mortua, sine mira illa rerum quae velut texuntur elaboratione .... sunt autem illa duo principia Yn et Yang ita inter se commissa, ut si vis auferre unum, auferri nequeat. Conjunguntur ut coelum et terra, sicut et solet rex cum subdito, pater cum filio, maritus cum uxore etc.; habes enim in hac naturae imagine exemplum societatis ac conjunctionis, utrique ita necessaria, ut unum sine alio nihil efficere possit.“

Quae postrema verba sunt ex interpretibus in moralia praecepta plerumque excurrere solitis; quorum si vel partem reddere vellemus, opus hoc in immensum excresceret, nostrisque ipsa repetitione (qua lectorem fatigant Sinae) fastidium pareret.

Satis proinde hanc ipsorum ethicam apud nos vulgarem in pauca contrahere, et in hisce notis indicare, ut quid gens

haec tam antiqua de officiis semper senserit facile intelligi possit.

3) Usus sexti nihil aliud est quam summa doctrinae hujus emblematis Kouen, seu figurae secundae, quae tota constat lineis interruptis, numero senario aestimari ac exprimi solitis. Tota quoque spectat ad dulcissimos quietis pacisque diuturnae fructus, ex ipsa subditi cum egregio principe conjunctione atque mutua concordia necessario existentis.

Ad hanc (aiunt iidem) terrigenas inducit terra suo velut exemplo; ad coeli scilicet superioris motum, tum vere ineunte operans, tum adulta hieme cessans; quo tam quieto tempore, ut notat ipse poeta,

Frigoribus parto agricolae plerumque fruuntur,
Mutuaque inter se laeti convivia curant.
Invitat genialis hiems, curasque resolvit etc.

Haec porro comparatio bonorum tum ex morali tum ex physica conjunctione profluentium, in Sinarum commentariis trita, non ita abhorret a nostris moribus ut similes loquendi formulas non reperire sit apud Graecos Latinosque scriptores Nota est oratio Laelii, quem de amicitia disserentem inducit Tullius. „Si exemeris ex rerum natura benevolentiae conjunctionem, nec domus ulla nec urbs stare potest, nec agri quidem cultus permanebit“ etc.

MONITUM.

Hae duae figurae primae Kien et Kouen constant ex symbolo eodem supra infraque delineato, vocarique possunt Kien-kien, Kouen-kouen; at tertia sequens, cum plerisque dehinc aliis, componitur ex diversis symbolis, Kan aquae, et Tchin tonitrus fulminisque. Nec tamen jam vocatur Kan-tchin, uti primis temporibus, sed Tun vel Tchun, et quidem (ut apparet ex antiquissimis quibuscunque commentariis sub Han-tchao et Tang-chao in collectione Chi-san-king). Appellatio haec est ab antiquitate principum Ouen-ouang et Ou-ouang derivata; ita ut non immerito dicatur

nomina emblematum esse excogitata ab iisdem principibus, nempe eorum emblematum quae sunt similia huic tertio, quod duo diversi nominis symbola constituunt. Atque ita conciliantur opiniones auctorum, quorum alii fundatori Fo-hi, alii principi Ouen-ouang nomina tribuunt. Fo-hi imposuit nomina octo symbolis, quae retulimus parte I. Kien, Kouen, Toui, Kan, Tchin etc. Haec ergo cum binatim sumpta constituant sexaginta quatuor emblemata, sua iis nomina tribuere poterant, et quidem diversa, si diversa sunt symbola; ut capite sequenti, ubi emblema tertium, constans ex symbolo Kan superiore et ex inferiore Tchin, dici potuit Kan-tchin, at nunc dicitur Tun. Huic, aliisque diverso ex symbolo compositis, nomina duplici caractere exprimenda sustulit Ouen-ouang, et eâ substituit, quae ab illius aetate ad nostram usque inducta omnium in usu sunt.

CAPUT TERTIUM.

Tun



Aqua, seu nubes . . . Kan.

Tonitru, seu exhalatio . Tchin.

EPIGRAPHE, principis OUEN-OUANG.

Magna penetratio debet esse solida. Noli eo uti qui peregrinatur; oportet elevare principem.

INTERPRETATIO.

Hoc nubis fulminea exhalatione foetae emblema velut sub oculos ponit pericula principis ad regium solium vocati. „Haec figura est imago (inquit doctor Tcheou-tse) viri eximii qui potest esse rex; sed ipsum Sinicum nomen, quod etiam pronuntiatur Tchun, significat rem esse difficilem ac periculosam.“

Huic ne succumbat, quatuor virtutes dotesque necessarias esse docet tertia haec epigraphe, quas prima docebat quatuor expressa characteribus, qui seorsim sumpti sonant idem ac magnum, penetrans, conveniens, solidum, perfectique regis speciem informant. Sumpti vero conjunctim significant: „magnam penetrationem debere esse solidam,“ atque adeo nubi dissimilem, quae fuerit disrumpi ruereque eo facilior quo altius anhelitus se insinuaverit.

Erigendo itaque principi non satis auxilii sufficiet magna qua negotia omnia pervadere possit perspicacia, nisi simul et adsit animi firmitas, et quidem ipsis rerum articulis conveniens. Ex quo sane genere non est qui animo fluctuat, et ad alia atque alia tendit ut peregrinus. At princeps nonnisi perfectus supremo in fastigio constituendus est. Hoc enim vox Sinica Kien non minus significat quam elevationem.

Principis Ouen-ouang singulare reipublicae servandae studium, tuendi industriam, atque etiam cum in agendo tum in patiendo constantiam, libri apud gentem canonici, et Confucius, tam saepe celebrant ut longum sit ea encomia referre. Satis nunc sit illud Confucianum [1]): quamvis ex tribus imperii partibus duas sibi jam devinctas ille haberet, nihilominus ab officio non discessit; sed invicta patientia regiae familiae Yn obsecutus est, quamvis bonis omnibus metuenda tunc esset. Itaque regiae nostrae Tcheou virtus vere dici potest ita magna ut nihil ei addi possit, ob eximie impensam inter tot adversa reipublicae operam, tum a patre Ouen-ouang, tum a filio Ou-ouang, qui elusis sua perspicacia animique fortitudine suorum tot adversariorum artibus, tandemque omnium victor, uno comitiorum consensu in regio solio est collocatus, primusque regiae familiae Tcheou, quae tertia est, imperator numeratur. Neque enim aureis illis monarchiae Sinicae initiis (quibus imprimis clari legislatores Yao et Chun), qui sanguine proximus sed qui virtute optimus (aiunt) ad imperium vocatus est. Quae annotatio de antiquissimis regibus est etiam nostrorum. Nam Cyrus apud Xenophontem legitur dicere solitus:

1) Vid. Lun-yu et comment.

„imperium nemini convenire, qui quibus imperat melior non sit.“

Caeterum cum principis Ouen-ouang tempore imperii Sinensis defectio nondum erupisset, sed lateret tecta ac velut in sinu principum, quibus invisus erat crudelis imperator ex familia (secunda) Yn, non immerito comparatur nubi, in quam quidem se induit anhelitus terrae ad fulmen factus at nondum erumpens, quae symbolice significare potest

. . . . caecos instare tumultus,
. . . . et operta tumescere bella.

Horum ergo periculosa semina hoc tertio emblemate adumbrantur, sequentibus deinde explicanda.

ADNOTATIONES.

1) Inter octo symbola quae Pa-koua vulgo nominantur, illud quod vocant Tchin ☳ pro tonitru seu exhalationibus fulminis supponit. At quod Kan appellant, et hac figura ☵ exprimunt, refertur ad aquam (ut notat commentarius communis), pluviam, nubes, seu vapores aqueos qui in sublime attolluntur; ex his duobus componitur diversisque symbolis hoc tertium emblema dictum vulgo Tun. „Nubes (ait Confucius in commentario Siang) fulmen habens est quae dicitur Tun imago.“

2) In opusculo Confuciano Tsi-koua-tchouen (de mutuo figurarum inter se ordine) de quo parte prima dicitur: „Extitere coelum et terra, post eaque caeterae res productae sunt. Illae cum intra augens coelum terramque contineantur, non potuerunt non accipere inde incrementum, quod vocatur Tchun vel Tun, et est primum initium generationum rerum; plantarum scilicet aliorumque id genus.“ Quae omnia nihil aliud significant juxta interpretes et doctorem Tchang-kolao, nisi, constitutis coelo terraque ut rerum generatarum causis, ab his primum existere earum semina, sic tamen ut lateant quasi utero quodam excepta cohibitaque, nec adhuc ulla sui parte prodeant — qua notatione alluditur ad eos terrae anhelitus, qui in nubem densam illapsi saltem ad tem-

pus ita cohibentur ut nullam illius vel tenuissimam partem dividant qua possit emicare; atque ita intelligitur quanam ratione ad physicam spectare, aut saltem (quod non raro ab istis interpretibus fit) ad illam detorqueri possint subjecta figuris verba quae libri Y-king textum componunt.

3) Et ne longius exemplum quaeramus, laborant non parum in hac tertia epigraphe his productionum initiis accommodanda. Quid enim ad haec facit elevatio principis?

Commentarius communis lineam infimam, quae est integra, et ex dictis exhibet virtutem Yang, seu materiam coelestem, ait vocari posse principem, non solum quod prima sit ordine (uti jam in duabus aliis figuris est observatum), sed etiam quod in hac caeterae lineae innitantur; ita ut si haec prima moveatur, quinque alias velut ruere necesse sit. Cui explicationi repugnant critici nonnulli, quod vox Sinica Heou hujus textus non significet quod primum est, aut quod basis est aut fundamentum, sustinetque, quem in sensum accipi posset si Heou sonaret idem ac Pen; sed haud dubie significet certam certique ordinis inter imperii principes seu magnates dignitatem. Quae ratio est omnino efficax ad demonstrandum sensum obvium vocis Heou, qui etiam apud antiquos scriptores optimatum tali titulo ac honore donatum, nihilque aliud, exprimit, adeoque solum civilis est. Nam in historiis, antiquisque monumentis, de ipso Ou-ouang legitur illum quinque dignitates instituisse quas appellavit Kong, Heou, Pe, Tse, Nan, et illis quibus deinde conferenda erant, voluisse assignari tot stadiorum ditionem, puta 100 stadia titulum Kong et Heou promeritis, 70 aut 50 stadia aliis. Quapropter etiamsi daremus has dignitates non fuisse tunc primum institutas, sed recens instauratas, nihilominus id semper concludendum esset, vocem Heou vel tunc maxime usurpari pro titulo primae dignitatis, e quinque a nova familia regia Tcheou inductis. Sed nec id negant commentatores illi; id duntaxat volunt civilis dignitatis nomen (quod omnes historiae loquuntur) metaphorice convenire praecipuo physicae principio Yang, cujus linea prima ——— hujus figurae est index symbolicus, et quod in generatione rerum primas habere inter Sinas philosophos convenit.

Minus dura est pleniorque explicatio quae refertur in novis commentariis regiis, estque doctoris Ping-ouen. In

ait, et quidem ingeniose, „elevationem principis physica illa celsitudine exhalationis terrestris usque ad nubes evectae spectabilem fieri. Fulminis fragor terret populos usque ad 100 stadia;“ in quo vel aptissime refert principem clientelarem, titulo Heou, et dignitate ac potestate sublimem, cujus ditio his etiam limitibus definiebatur tempore imperatoris Ou-ouang et Tcheou-kong, ut constat ex antiqua historia et libris King. An vero ante hoc tempus fuerint Kong, Heou, Pe, disputant non pauci; qui id negant, ideo aiunt legi aliquos Kong, Pe, inter avos Ou-ouang, quod imperium postea adeptus suos his titulis (ut fuit mos fundatorum omnium sequentium familiarum) honoris causa donaverit. Credibilius titulos hos ante Ou-ouang extitisse quidem, sed ditionis et in eam potestatis cum novis honorum insignibus limites ab eo fuisse definitos.

4) Exhalatio ascendens, dum per auras fluctuat ac velut peregrinatur, necdum in nube conquiescit, tunc profecto terrorem nec admirationem parit. „Magna fortuna (inquit doctor Tchao-jou-mou) nulli non convenit, at si incerta est, conferri non potest cum minori gradu qui quidem fixus sit, et in quo suorum reverentia atque amore fruatur.“

5) Qui fixus est in officio is dicitur non peregrinari seu non fluctuare; qua imprimis dote velut proprio charactere principem Ouen-ouang eximium nobis proponit Confucius: „O quam altae ac reconditae virtutis fuit Ou-ouang! o quam feliciter illius splendorem conjunxit cum suis actionibus, illud observans in quo sibi sistendum esset. Agens regulum, sistebat in caritate erga subditos. Agens subditum, sistebat in observantia“ etc. Ita ille in Ta-hio, interprete Tchang-ku-tching.

„In officio (Li) quippe colendo, (aiunt Sinae sapientes ut nostri) vitae est honestas omnis, et in negligendo turpitudo.“

EPIPHONEMA PRIMUM, principis TCHEOU-KONG.

In primum nonum.

Opus acu texit. Oportet ut soliditatem habeat. Oportet elevare principem.

INTERPRETATIO.

Quemadmodum ad operis, quod acu pingitur, absolutionem multum temporis ac industriae necessario insumitur, ita etiam ut solide quid fiat in evehendo principe lente ac solerter elaborandum est.

Cum plerique jugum crudelis imperatoris Tcheou aegerrime ferrent, sicut patrem principem Ouen-ouang accusaverant olim, ita tunc filium Ou-ouang timidae providentiae nimiaeque cunctationis etiam liberius damnabant. His princeps Tcheou-kong moto omnibus proverbio respondet: „opus acu texui“ atque adeo festinandum lente ut latinum fert adagium; quod vel ex eventu sapienter factum fuisse patuit, cum nec obedientiae decus apud vulgus amiserint, nec a paterno populi tuendi consilio filii defecerint. „Obedientissimi principes (ait Confucius in Tchong-yong) Ououang et Tcheou-kong praeclare voluerunt prosequi majorum suorum voluntatem, praeclare voluerunt amplificare majorum suorum illustria facinora“ etc.; nempe qua illa cunctatione lentaque providentia imperio tandem potiti sunt. „Magna virtus (exclamat idem) procul dubio a coelo tandem obtinet imperium .... quae pater Ouen-ouang feliciter orsus fuerat filius Ou-ouang majore etiam cum felicitate annos plurimos pertexuit, quo ex successu patet pericula (quae in

epigraphe dicuntur inesse magnis negotiis) existere ex improvida festinatione.“ „Nam (ut dicitur in Chou-king lib. III. ab eximio ministro) rem a te perfectam puta, si praevisa et parata habes omnia.“

ADNOTATIONES.

1) Opus acu pictum, aiunt interpretes, est opus longi laboris. At naturae non minus operosum est prima efferre rerum initia. Recte itaque inter se comparantur et in utroque festinatur lente, ne conatus successu careat, hunc non obtinebit qui in magnis negotiis animo praeceps est suscipiendis, et in promovendis inconstans. Plantae certe non subito magnae erumpunt, sed sensim crescunt atque augentur, natura scilicet lente, sed tamen semper et continenter laborante. Arborem unam intra noctem prodire e terra proceram firmamque prodigiosum est, ut (aiunt) accidit imperante Tai-ou e secunda familia ante Christum 1633 circiter. At non minus rarum puta, si imperato et praecipiti negotio bene succedunt; festinatio, advertit etiam noster Tacitus, improvida, caeca est.

2) Licet virtus Yang, seu materia coelestis, quae in generatione primas tenet et princeps est, in figurae infimo loco (inquit doctor Tcheou-tse) pingatur, nihilominus hic etiam est principium motus, utpote natura sua actuosa et valida.

Non aliter contingit viro regiis dotibus et virtutibus eximie instructo; quacunque reipublicae in parte versetur, boni communis causa est. Si sit in humili loco, consiliis obsequioque adjuvat. „Si sit in altiore, sua modestia et moderatione (inquit Confucius in Siang) ingentem populum assequitur; multorum scilicet animos abhorrente ab omni fastu, benignitate, utilique agendi ratione sibi omnino devincit. Valet siquidem ubique terrarum commune adagium: omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.“

Hunc autem characterem a Confucio expressum esse ex principis Ou-ouang persona gestisque, clarius est ex dictis quam ut pluribus exponere necesse sit.

EPIPHONEMA SECUNDUM, principis TCHEOU-KONG.

In secundum sextum.

Veluti tristitia jacens, veluti animo fluctuans, veluti eques ad cursum paratus; si non est inimicus uxorem despondet. Si puella soliditatem habet, non faciet, ut determinetur; post decem annos tunc determinabitur.

INTERPRETATIO.

Animum habet expectatione metuque suspensum. Paratus quidem ad agendum, sed incertus, an qui hactenus hostis seu inimicus fuit, ducturus sit virginem, quae ei oblata est. Ex hujus virginis seu puellae constantia solidaque agendi ratione pendet res tota, quae tamen si non hac via deciditur, post decimum tamen annum decernenda est.

Fluctuationes et cunctationes principis Ouen-ouang in admittendis procerum votis, ibi graphice exhibentur. Excusationem petit Tcheou-kong ex spe, quam pater ipsius conceperat mitigandae imperatoris ferociae, atque adeo concordiae restituendae. Sperandi causae [1]) erant dotes eximiae unius puellae (nomen non traditur) quam narrat historia fuisse filiam unius e nobilioribus principibus subditis, missam in aulam deducentibus duobus aliis magnatibus Hong-jao et Tatien, ibique in interius palatium consulto introductam.

Huic statim tyrannus gratificatus fuerat principis Ouen-ouang libertatem, tantidem (ait historicus)

1) Vide Tong-kien de Tcheou.

valere dictitans. Quo eventu ad meliora expectanda excitatus et beneficii memor princeps omni officiorum genere hos benignitatis igniculos fovere conabatur. Frustra omnia fuere. Rediit brevi ferocius ad ingenium imperator, unde intellectum est, puellam necessaria non valere auctoritate, aut ex captata statim gratia paulatim decidisse ad solitas reginae Ta-ki artes, et machinationes, aut etiam virilius crudelibus consiliis obstitisse. Quo sensu verum erat illud, si puella soliditatem habet, non faciet, ut determinetur. Paucis, cum tota spes concidisset, et inter tot procellas nunc sperans, mox timens, semper sollicitus ac suspensus multos annos vixisset, tandem se domum velut in portum recipiendo tranquillo mortuus est. Postquam parari coepere arma contra imperatorem a Ou-ouang, cui, ut caeteris principibus, jam certe stabat sententia, quam mature fieri posset mutare rempublicam: „licet (inquit Ou-ouang in Chou-king, lib. 4.) majora regna reverita sint patris mei potentiam, minora vero amaverint ipsius virtutem, attamen intra novem annos ad magnam rerum conversionem nondum omnia accesserunt, quae scilicet ad eam fesinandam contulerunt. Totam rerum seriem explicant sigillatim nova et antiqua commentaria, etiam communia. Anno nono Ouen-ouang mortuus est. Anno decimo et undecimo milites provisi, nempe omnino decreta inter principes et Ou-ouang, imperii mutatione, ita ut nihil jam superesset, quam totius imperii comitia indicare. Haec decimo tertio anno (narrat liber Tcheou-chou l. 4.) habita sunt in Mong-tsing, provinciae Honan; quod supra annotavimus, in quibus Ou-ouang, palam imperium admisit. Verissimum itaque esse demonstratur effatum libri Tcheou-y seu Y-king de determinatione ultima post decem annos, ut sit textus iste,

textui libri Tcheou-chou seu libri IV. Chou-king omnino consentiens: quo scilicet tempore res absolute non solum decreta est, sed ipso belli apparatu ita jam attentata, ut brevissima temporis mora ad plenam usque victoriam intercesserit. Nihil proinde opus est alium propositi aenigmatis Oedipum quaerere, quam ipsum principem Ou-ouang ejusque fratrem Tcheou-kong, praecipuos tragoediae tunc actae auctores, omniumque manibus tritas historias. Allegorias autem mysticosque sensus his sententiae verbis attexere, ut ad nostra dogmata christiana detorqueri possint, nihil aliud esse videtur, quam falsitatis suspecta facere nostra omnia apud Sinas, ex falsis Sinici libri interpretationibus aut judicaturos, aut suspecturos, meliora nobis non esse ex veteris testamenti hebraicis libris excerpta. Id saltem objicere possent contra has allegoricas explicationes, si tamen aequis auribus audire vellent missionarios eas proponentes ad religionis probationem aut expositionem: „haec, quae vos dicitis mystica sunt, operta sunt, figurata sunt, aliquid manifestum, quod interprete non egeat, a vobis flagitamus;“ ut loquitur Augustinus contra allegoricas explicationes aliquorum locorum sacrae scripturae.

Caeterum non dedecebat principem Ou-ouang tristitia et animi fluctuatio, ut optime notant. „Nam non minus triste esse debet principi amanti populum ad haec cogi remedia, quae stant multo luctu, quam proprio corpori mederi multo vulnere.“

ADNOTATIONES.

1) Interpres operis Chou-king in librum IV. de domus regiae tertiae gestis Tsai-tchin, ait: „Anno nono mortuus est Ouen-ouang; Ou-ouang successit in locum. Secundo anno providit milites, tertio punivit Tcheou;“ scilicet ultimum secundae familiae seu Yn imperio exuit. Unde autem

fiat in hoc libro numerandi initium, dicetur dissert. I. partis hujus secundae.

2) In novis commentariis regio typo editis, annotatur: „Interpretes inter se non convenire in physica hujus epiphonematis explicatione; et reipsa illius sensum vix intelligi posse, quatenus ad figuram nubis fulminisque symbola exhibentem pertineat. Plerique non ad nubem, sed ad principium Yn seu materiam terrestrem confugiunt, voluntque hanc quae (ut figura quoque exhibet) principio, seu materiae, coelesti Yang velut insidet, et cum ea ad generationem debet concurrere, his in initiis velut a foedere refugere; immerito tamen, cum Yang non fit inimica ipsi, sed potius cum ea conjungi amet. Sub qua (ut volunt illi) similitudine attingitur conjugium imperatoris cum puella de qua textus loquitur.“ Utut fit, quae certe afferunt ex physica, nihil aliud sonant, quam antipathiam et sympathiam nostrorum Aristotelicorum in solvendis nodis physicae, nec raro, et meo quidem judicio, inutiliter usurpatam.

Facilius exponi forte videbitur in iisdem commentariis ab aliquibus de emblematis gemina parte, quarum inferior est fulmen, superior est nubes. Illius sonus admodum durus terrore suspensos animos velut fluctuantes habet. Haec vero cum valde mobilis sit, potest conferri cum equo ad currum parato, quo si quidem illa circumfertur, ibi imminens strages cladesque ab involuto scilicet fulmine. Verum nubes nisi densa sit, et (si ita loqui fas est) solida, illico disrumpitur, atque adeo nihil ipsa determinare dici potest. Nubes enim ex vaporibus aqueis fieri volunt Sinae philosophi [1]) subtilioribus seu tenuibus, et ob levitatem in partem quamcumque impelli facillimis. „Inde (aiunt) pluviam fieri, ut in olla fervente et operculum habente, in qua subtilis spiritus (Hi) vaporque attollitur, ac densatur, postea vero guttatim decidit. Si vero non habet olla operculum, vapor ascendens dissipatur, aut non coalescit, inde et nebula“ etc. Nubes densa fit ex horum vaporum diversa velut contignatione. Sed de his aliis in locis, et inprimis parte tertia. Quidquid dicatur de his physicis, tota manet commentatores difficultas; nam in neutra explicatione nulla causa affertur probabilis cur in textu

1) Vide Sing-li lib. 27.

decem annorum mentio fiat, ut interim taceam quae violente trahi videntur ad physiologiam, et quidem satis inutiliter, cum nihil opus sit sensum tum moralem tum historicum ita cum naturae operantis ratione convenire, ut nulla in re discrepare videantur.

Praeclare itaque interpretum illi fecisse videntur, qui neglecta hujus emblematis physica explicatione, non secus ac abjecto cortice, ipsum nucleum ac medullam perscrutati sunt; magnam scilicet animi provisionem cautionemque inter pericula adhibendam, qua excelluisse princeps Ouen-ouang hoc in epiphonemate indicatur, pingitur enim non solum ad populo succurrendum paratus, sed etiam omnia circumspiciens, ne, dum praesentibus malis vult mederi, extituris deinceps majoribus causam praebeat. Nam ut in tranquillo tempestatem adversam optare dementis est, ita subvenire in tempestate quavis ratione sapientis. Ita sapientes Sinae in commentariis, et nostri, dum de officiis disserunt. Adde quod ab iis notatur: sapientis quoque ad auxilium imperii licet parati partes esse, populorum suis in aerumnis spes fovere non premere; ubi nulla spes, id videndum ne gravior sit remediis quam delicta erant. Quod idem de Pompejo dictum legere est apud Tacitum.

EPIPHONEMA TERTIUM, principis TCHEOU-KONG.

In tertium sextum.

Persequendo cervum nullus est qui viam dirigat, veluti qui in loca deserta est ingressus. Sapiens si opportunitatem sciat, melius est illam rejiciat. Si eat, illum poenitebit.

INTERPRETATIO.

Venator qui cervum diu insecutus in silvas saltusque incidit, nec habet ullum viarum ducem, etiamsi adesse sibi videatur capiendae praedae opportunitas, sapientius, illa non utitur, ne scilicet temere ingredienti forte ocurrat poenitendi locus.

Hoc familiari exemplo princeps Tcheou-kong docet patrem suum merito potuisse cunctari cum negotium ageretur periculis plenum, quae nullus eorum, qui tunc supersites essent, unquam adiisset, nec omnia ita essent illo tempore parata, ut negotium semel aggressus, si forte minus succederet, ab eo discedere aliqua via non indecore posset. Et vero negari non poterat, tunc tentari aliquid valde odiosum novumque, licet deinde post continentes viginti-duarum familiarum regiarum mutationes populos minus abhorruisse necesse fuerit, atque adeo id audere minus odiosum. Nam semel tantum illis temporibus ab antiqua familia Hia imperium translatum fuerat ad principem Tchin-tang auctorem domus Chang (Yn postea dicta est) quae post pacificam sex seculorum possessionem jam e solio deturbanda proponebatur et tantum non extinguenda. Hujus quidem consilii auctores habebat Ouen-ouang plerosque principes causasque quas supra attulimus, sed ducem simili in re versatum omnino nullum. Inde anxietas, inde cunctatio principis, ne id negotii susciperet cujus exitum reperire non posset aut reipublicae utilem aut sibi decorum. „Licet ergo utpote sapiens (Confucius ait) non haberet animum obfirmatum ad agendum vel non agendum, sed quod rei convenit id sequi vellet.“ Cavebat tamen ne id solum considerarent quam res esset decora et imperio conveniens, sed etiam an haberent efficiendi facultatem; et ob hanc imprimis praeparationem diligentem in magnis negotiis adhibitam animique provisionem princeps ille a Confucio caeterisque gentis sapientibus saepe laudatur, et quidem non immerito. „Nam ingenii (inquiunt etiam nostri sapientes) magni est, percipere cogitatione futura et aliquanto ante constituere quid accidere possit in utramque partem, et quid agendum sit cum quid eve-

nerit, nec committere aliquid, ut aliquando dicendum sit: non putaram.“ In hoc igitur tota ferme vertebatur excusatio principis Quen-ouang, quam Tcheou-kong similitudine idonea hoc in loco exponit, concluditque verbo poenitere, quo nullum durius audire poterat princeps toto imperio prudentia et sapientia celeberrimus.

In hac porro similitudine, quae a subsecutis scriptoribus saepe usurpata est ad excusationem aliquam fundatorum novae cujuslibet familiae imperialis, cervus fugiens est imperium ab antiqua familia elabens, venator insequens est quisquis sibi viam ad imperium armis aperire nititur; viae duces sunt qui competitores consiliis adjuvant. Quapropter laudatur ab historicis responsum fundatoris quintae familiae, qui bellatores suos, iniquo animo ferentes ingentia praemia primaque post victoriam data ministro Siao-ho et nonnullis aliis eximiis consiliariis, hac interrogatione et similitudine repressit: „In venatione, quinam cervum exagitant et fugientem premunt capiuntque, nonne canes? quoniam quinam vero canes ducunt, idoneo, collocant loco, et in viam dirigunt nonne homines? Multum vobis quidem debeo, quod mihi obedientes hostem armis ceperitis, at multo plus me debere profiteor illis qui mihi ita mandandi consilia dedere, modumque capiendi hostis me docuere.“

ADNOTATIO.

Celebris interpretis Tchou-tse, aliorumque haec ferme est physica interpretatio: virtutem Yn hac linea tertia expressam, cum nondum sit in proprio loco, sed in sibi contraria incidat, ut cervus in saltus avia, non posse esse tutam nec certae productionis aliquid polliceri. Quae autem intempestiva aliquando et velut fortuito ex terrae sinu prodeunt, eadem saepius coeli inclemencia meritoque concidunt, ita ut cultores

poenitet. Inde autem velut a pari concludit doctor Tchingtse, sapientem qui videt negotium loco non tuto versari, melius illud rejicere et ad illud non aggredi, cum plerique hominum ita sunt animo affecti, ut sapientiam ex rerum eventu metiantur. Contra Ovidius noster

. . . . . careat successibus opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat.

EPIPHONEMA QUARTUM,
principis TCHEOU-KONG.

In quartum sextum.

Velut eques ad cursum paratus petitur conjugium. Itur, bonum felixque. Nulla non convenientia.

INTERPRETATIO.

Paratus est semper ad agendum. Si ad ejus, qui hactenus fuit hostis seu inimicus, nuptias solemnes eat, fortunata putate omnia, nihilque reipublicae non conveniens sperate.

Una est interpretum sententia, eadem quarto hoc epiphonemate inculcari quae secundo, atque adeo eadem subintelligi quae de inimico seu hoste et de puella sponsa ibidem textus loquitur.

Hoc enim ab omnibus illo tempore non solum optabatur sed etiam efflagitabatur, ut imperator Tcheou, qui jam ut proborum omnium hostis habebatur, suam illam pellicem Ta-ki, quam reginam dixerat, a se removeret. Nec dubium quin, si in hujus locum atque auctoritatem successisset selecta illa puella, quemad-

modum statim gratia sua principis Ouen-ouang libertatem impetraverat, ita de caeteris totaque republica mereri studuisset. Nam imperatorem, indole licet ferocem, uxorum tamen imperiis obnoxium esse fama publica, nec falso, vulgaverat.

Invitatio itaque principis Ouen-ouang ad solemnem novae reginae aut imperatricis inaugurationem non fuisset, duntaxat praesagium sed etiam argumentum redeuntis ad frugem imperatoris, brevique extiturae ex meliori gubernatione populorum felicitatis. Ipse certe princeps Ouen-ouang suam suaeque familiae felicitatem non dubitabat acceptam referre imprimis prudentiae singulari, eximiisque virtutibus, tum matris suae Tai-jin tum uxoris Tai-sse, ut constat ex historia et Confucii Lun-yu. Quibus domesticis exemplis forte excitatus, hanc quoque mitigandae ferociae rationem a suis subditis hujusque puellae parentibus iniri passus est: „Viro enim etiam perfecto (ait Confucius in Lun-yu) interdum expedit decipi, non tamen expedit perire.“ Quod videtur quoque facere ad defensionem principis Ou-ouang; cujus haec imperatoris placandi ratio a nonnullis adversariis carpebatur, ut sapientis virtute indigna; verum eam tempori rerumque statui convenientem judicabant meliores ministri, et quidem non immerito, ut notat Confucius. De sapiente periclitante idem sentit Seneca noster: „Non relinquet bonos mores, sed tempori aptabit.“

ADNOTATIONES.

1) Interpretes de verbis hujus quarti epiphonematis idem philosophantur, quod de secundo. Virtus Yn non potest ascendere, etiamsi non multum absit a virtute Yang, quae sequenti linea exhibetur. Sed ut posset operari, et velut operae pretium facere, necesse est eam conjungi materiae, seu virtuti, Yang, utpote actuosae et valenti suo ex genere,

aut (quod ad eundem recidit sensum) natura sua efficaci, motuumque foecundorum causae. Diceres vitem natura caducam, quae, nisi erectae ulmo maritetur, humi repit serpitque. Hanc vero ubi sic claviculis tanquam brachiis manibusque apprehendit, seque erexit, magnas utilitates parit. Inter Yn et Yang hoc imprimis interest, aiunt passim philosophi Sinae praesertim in pandectis physicis, et interpretes in Y-king, quod Yang sit sua natura firmum, Yn vero natura sua debile; ita ut hoc sine illius auxilio nihil in annuis frugum mixtorumque quorumcunque productionibus fieri possit, aut unquam factum sit. Sunt siquidem principia rerum omnium, quae illorum concursu mutuaque actione in lucem educuntur, uti explicabitur parte tertia. Ceterum utriusque principii (Yn, Yang) conjunctio, quot parit terrae utilitates, tot ferme commoda populis affert consensio regis cum vassallis subditisque.

2) Qui spe mitigandi crudelis Tcheou puellam obtulerant, id non fecerant sine antiquo exemplo, quo satis defendebantur. Nam Li-koue ultimus primae familiae imperator, idemque pessimus, placatus fuerat ab You-chi; qui, ut rebellis, ditione Mong-chan misso exercitu exuendus erat, oblata imperatori filia sua May-hi eximiae pulchritudinis placatus fuit, atque ita in tantam gratiam rediit, ut magnis donis bonisque auctus sit. Sed hoc conjugium dici non potuit bonum felixque. Imperator siquidem in novae amasiae gratiam opes imperii stolide exhausit, in aedificanda illi regia quae erat tota ex marmore, strata saphiris, cincta cancellis eburneis gemmeisque, et in omni parando deliciarum genere inde ruina illius, quod illi publico libello praedixerat minister Kouan-long-fang. „Si pergis illam audire, periisti, periit familia regia.“

EPIPHONEMA QUINTUM, principis TCHEOU-KONG.

In quintum nonum.

Spiritus vitales retinet. Si, dum parvi, habent soliditatem, hoc bonum felixque. Si vero, dum magni, habent soliditatem, hoc malum infelixque.

INTERPRETATIO.

Animum manumque ab incepto adhuc continet, Parvos, seu qui subsunt, solide constanterque in humili obsequio perstare magnae felicitatis fuerit. Si magni, seu qui illis praesunt, semper perstarent in tam dura subjectione, infortunium esset, pernicies scilicet reipublicae.

Crudelis Tcheou se constantem propositique tenacem jactabat, falso persuasus, quantum optimatum conciliis monitisque concederet, tantum de obsequio multitudinis et de imperii majestate decedere, quam nimirum in hac severitate (ait Chou-king) ponebat. Populi, aliique subditi, illustris reguli Ou-ti-ouang exemplo verbisque animati, aegre quidem, sed tamen regiis mandatis obsequebantur. Quod satis principi tunc esse videbatur ad animum manumque continendam ab incepto (tanta principum concitatione) regiae domus excidio, aut saltem ad rem non ita urgendam. At quidni hanc populorum principum, aegrae licet, obedientiae formam non fovisset filius Ou-ouang? Cur illius tempore omnis concordia solutā esset? ad hoc respondet frater Tcheou-kong: ultro concedens obsequii aliquid, quamdiu vixit pater, imperatori quantumvis per-

aut (quod ad eundem recidit sensum) natura sua efficaci, motuumque foecundorum causae. Diceres vitem natura caducam, quae, nisi erectae ulmo maritetur, humi repit serpitque. Hanc vero ubi sic claviculis tanquam brachiis manibusque apprehendit, seque erexit, magnas utilitates parit. Inter Yn et Yang hoc imprimis interest, aiunt passim philosophi Sinae praesertim in pandectis physicis, et interpretes in Y-king, quod Yang sit sua natura firmum, Yn vero natura sua debile; ita ut hoc sine illius auxilio nihil in annuis frugum mixtorumque quorumcunque productionibus fieri possit, aut unquam factum sit. Sunt siquidem principia rerum omnium, quae illorum concursu mutuaque actione in lucem educuntur, uti explicabitur parte tertia. Ceterum utriusque principii (Yn, Yang) conjunctio, quot parit terrae utilitates, tot ferme commoda populis affert consensio regis cum vassallis subditisque.

2) Qui spe mitigandi crudelis Tcheou puellam obtulerant, id non fecerant sine antiquo exemplo, quo satis defendebantur. Nam Li-koue ultimus primae familiae imperator, idemque pessimus, placatus fuerat ab You-chi; qui, ut rebellis, ditione Mong-chan misso exercitu exuendus erat, oblata imperatori filia sua May-hi eximiae pulchritudinis placatus fuit, atque ita in tantam gratiam rediit, ut magnis donis bonisque auctus sit. Sed hoc conjugium dici non potuit bonum felixque. Imperator siquidem in novae amasiae gratiam opes imperii stolide exhausit, in aedificanda illi regia quae erat tota ex marmore, strata saphiris, cincta cancellis eburneis gemmeisque, et in omni parando deliciarum genere inde ruina illius, quod illi publico libello praedixerat minister Kouan-long-fang. „Si pergis illam audire, periisti, periit familia regia.“

EPIPHONEMA QUINTUM, principis TCHEOU-KONG.

In quintum nonum.

Spiritus vitales retinet. Si, dum parvi, habent soliditatem, hoc bonum felixque. Si vero, dum magni, habent soliditatem, hoc malum infelixque.

INTERPRETATIO.

Animum manumque ab incepto adhuc continet, Parvos, seu qui subsunt, solide constanterque in humili obsequio perstare magnae felicitatis fuerit. Si magni, seu qui illis praesunt, semper perstarent in tam dura subjectione, infortunium esset, pernicies scilicet reipublicae.

Crudelis Tcheou se constantem propositique tenacem jactabat, falso persuasus, quantum optimatum conciliis monitisque concederet, tantum de obsequio multitudinis et de imperii majestate decedere, quam minimum in hac severitate (ait Chou-king) ponebat. Populi, aliique subditi, illustris reguli Ou-ti-ouang exemplo verbisque animati, aegre quidem, sed tamen regiis mandatis obsequebantur. Quod satis principi tunc esse videbatur ad animum manumque continendam ab incepto (tanta principum concitatione) regiae domus excidio, aut saltem ad rem non ita urgendam. At quidni hanc populorum principum, aegrae licet, obedientiae formam non fovisset filius Ou-ti-ang? Cur illius tempore omnis concordia soluta esset? ad hoc respondet frater Tcheou-kong: ultro concedens obsequii aliquid, quamdiu vixit pater, imperatori quantumvis per-

EPIPHONEMA SEXTUM, principis TCHEOU-KONG.

In sextum sextum.

Veluti eques ad cursum paratus. Veluti ad sanguinem tristis.

INTERPRETATIO.

Ad agendum quidem semper paratus, sed tamen tristissimis confectus curis.

Quanto principem Ouen-ouang maerore afflictum, aut etiam profligatum putamus, quem narrant annales concidente etiam quam speraverat citius imperii totius qualicumque concordia, rebusque a se utcumque compositis in pejus ruentibus, temporis paucos intra menses obiisse. Tantae tristitiae causa erat malorum imperii gravitas, et ipsa remedii acerbitas sine quo sanari non poterant! dissipare autem populum, quid porro, nisi dissipare regnum? quod tamen futurum merito timebatur. Ita autem erat animo affectus erga subditos populumque imperii, ut ad eos e medio tollendos aegre etiam adduceretur.

ADNOTATIONES.

1) Doctor Leang-cheou-ing observat in suo commentario ultimam hanc figurae sextae lineam exhibere ultimum velut terminum (Tun) primae illius occultaeque rerum inter terrae viscera productionis, et tempus quo illae consistere incipiunt. „Nec tamen (addit) remotae sunt a periculo". Nam (Virgil. Georg.)

— lecta diu, et multo spectata labore,
Degenerare tamen . . . . .

agricolae saepe experiuntur; ita ut minime dubitari possit, quin inchoata in terrae sinu rudimenta facile quoque inter-

videantur. Quomodum autem agrum non deserit agricola, quod ipsius votisque sementi interdum non responderit, ita nec continuo rejicienda alicujus viri selecti opera, quod aliquando successu caruerit, et multo minus populi regnique cura abjicienda est, quod primus labor noster non ita profuerit. Sed paratus sit semper oportet, ad bonum etc.

2) Eodem ferme recidit aliorum interpretum physiologia, qui a periclitandi causis tristem (qua voce utitur textus) terram opinantur; quod forte videretur nostris hominibus durius tractum, nisi similis loquendi formula auctorem haberet ipsum Tullium, l. 2. De natura deorum, de solis binis quolibet anno reversionibus: „Quarum intervallo tum quasi tristitia quadam contrahit terram, tum vicissim laetificat, ut cum coelo hilarata videatur.“ Eundem ergo in sensum accipienda sunt quae de terra tristi, aliisque id genus metaphoricis epithetis, apud Sinas Y-king interpretes reperiuntur. Sin minus, in nosmet legem sancimus iniquam. At non ferendum, et meo quidem judicio explodendum, quod idem Leang affert sub finem explicationis ad sanguinem tristis: „Nempe symbolum Kan, quod supponit hic pro nube alibi pro pluvia, aqua etc. hoc in emblemate supponere pro sanguine.“ Nihil enim violentius hac significatione, in qua nequidem umbra analogiae apparet. Hic autem ab istis scriptoribus terra tristis dicitur, non quod frigore contrahatur, nec quod vomere scindatur, sed quod suos foetus, ad quos fovendos semper parata est, aegre vel invita amittere cogatur.

CAPUT QUARTUM.

Mong  mons . . . Ken.

aqua, seu nubes Kan.

EPIGRAPHE, principis OUEN-OUANG.

1. *Penetrat. Nos quaerimus ignaros infantes. Ipsi ignari nos quaerunt.*

2. *In principio dum ostendit admonet.*

3. *Si semper eodem modo fiat, erunt rixae. Si sint rixae, non admonet.*

4. *Oportet ut sit soliditas.*

INTERPRETATIO.

Accepta ex perversa imperii administratione principum offensio jam tunc eruperat, eoque deventum erat, ut ne mandata quidem regia admittere vellent, nisi quae princeps Ouen-ouang ad ipsos transmitteret, perinde ac si cetera aut falsitatis aut injustitiae suspecta essent. Inde suspiciones in diem majores imperatori ab aulicis scelerum consciis injectae, quas ex historia Sinica supra delibavimus, quod Ouen-ouang suis illis adhortationibus officiisque sollicitare videretur corda virorum. Rumores etiam varii per populos studiose ab iisdem sparsi contra plerosque optimates praesentis regiminis vituperatores, qui artis gubernandi

imperiti ac velut infantes traducebantur, ut nimirum quae temerariis improbae aulae consiliariis exprobraverant, politicae calliditati tribuenda viderentur.

Haec epigraphe et figura, inquiunt interpretes, de principe quidem est, sed de principe etiam populi magistro, brevem quoque complectitur velut apologiam principis Ouen-ouang tunc velut imperii magistri. „Nos non agimus, inquit, ut ad nos veniant qui reipublicae rudes ac velut infantes ab aliis habentur. Ipsi ultro ad nos confugere coacti sunt, ut aliquod suis publicisque malis remedium a nobis efflagitarent.“ Certissimum illo tempore palamque erat, vix reperiri inter illustriores familias antiqui decoris memores quae non a grassante tot annos tyrannide fuisset vexata.

Aulicis etiam scelerum consciis monita saepe dederat, sed nil nisi superba fastidia rixasque periculosas ferre solitus non jam privatis admonitionibus agendum arbitrabatur. „A quocunque, ait, aliquid nobis significetur, illi monita non denegamus; si tamen nos non audit, eandem sequens rationem, adeo ut cum illo rixandum sit, tunc ab iterum admonendo nos ipsi reprimimus.“ Non enim penetratio sufficit, nisi solida. Perspicax vero ille est, qui constanter noscit attenditque ad id, quod rei, quod tempori convenit, nec sapientis est, semper idem dicere, sed semper idem sperare.

Hac itaque epigraphe nil tum tempori convenientius tum ad principis sensum manifestius, in publicum manare poterat. Praeterea etiam sua emblemati inerat vis, „epigraphe inprimis picturae adjuncta exhibet, inquit Confucius [1]), aquam seu fontem e radice montis

1) In comment. Siang hujus.

verso semper praestitum fuisse, verum id potius fortunae patrisque felicitati tribuendum quam a sapientibus expectandum. „Si (ait Confucius etiam de imperatore Tcheou) vel una regis persona sit turpiter cupida; totum regnum ejus exemplo depravatur, perturbarique necesse est . . . . illo tempore, si quando edicta regia erant contraria, iis quae placebant populus non obsequebatur.“ Non erat itaque obsequium hoc qualecunque ex animi submissione, sed ex principis ministri felicitate. Violentum autem (ut fert tritum hic etiam proverbium) non est durabile. Unde concluditur rem toti nationi futuram summe perniciosam, et reipublicae infortunatam, si qui illius bona procurare debent magnates, nihil de tam dura subjectione et injusto regimine solliciti, tantis mederi malis neglexissent. „Si principem Tcheou punire neglexero, (inquit in sua oratione Ou-ouang) illius scelerum particeps ero, et poena in me recidet.“ Quod idem infertur ex dictis a Tcheou-kong, omnibusque, parta victoria, tam notum erat quam quod maxime. Paucis Ouen-ouang pater in continenda multitudine fuit felix, quae autem fortuita sunt, ut nostri quoque docent, certa esse non possunt. Jam vero virtute filii Ou-ouang imperii vera stabilisque concordia recte constituta est. Nihil siquidem ad populi res tenendas aptius quam diligi. Nam vulgo, ait Ennius noster:

Quem metuunt, oderunt;
Quem quisque odit periisse cupit.

At quando mali principis vitiis aversus est populorum animus, nihil opportunius esse potest auctoritate curaque bonorum Magnatum et fidelium ministrorum, qui subditos et obsequium exemplo doceant, et sua de illorum miseriis apud imperatorem sollicitudine solentur.

Ita etiam interpretes in Chou-king; id annotantes hac via principem Ouen-Ouang tyranno Tcheou diu profuisse. Quod totum ita, ex dictis supra manifestum est, ut nihil opus sit scriptorum testimonia congerere.

ADNOTATIONES.

1) Quinta linea, ait Tchequ-tse, indicat quidem virtutem Yang jam esse in loco nobili, sed illo tamen tempore quo res solum foventur ac adhuc cohibentur, atque adeo tempore periculoso etc. Haec, aliaque id genus similia, apud Sinas hos ad fastidium usque repetita, nihil aliud reipsa significant, nisi prima rerum semina quae edi incipiunt, etiamsi terrae uero adhuc protegantur, quod tamen sint fluxa ac velut lactea, facillime suffocantur.

2) Hac etiam similitudine regum curam excitari vult doctor Tching-tse in seligendis negotiorum administris: futurum siquidem, ut quae animo informarunt coepta et inierunt consilia cadant irrita, nisi viris cautis et perspicacibus rectisque commutantur, qui non solum mandando sed etiam agendo quid tempori locoque fieri conveniat docere suos inferiores possint.

3) Has dotes ad perfecti ministri formam facere, et in novae monarchiae initiis necessarias esse, discere princeps potuerat ab antiquissimo legislatore Yao. Hic enim, cum sibi coadjutorem et successorem quaereret, eique oblatus esset a Tong-chi filius ipsius Tan-tchou. illum rejecit. „Rectius (ait) quidem videtur, sed animo non est .... alios carpere solum amans, et se unum audire virum quaero, qui possit populum et verbo et exemplo docere; qui sciat punire et remunerari ut oportet; qui solius boni publici amans, quam minimum fieri potest, a subditis exigat; qui nihil agere velit sine sollicita anxiaque cura; qui tantam rerum peritiam habeat ut non solum bona ineat consilia, sed etiam ad executionem descendat atque perducat.“

4) Felicior est illorum interpretatio de cautionibus in consilio capiendo observandis, et de delectu consiliariorum. Quae quoniam sunt ubique gentium satis cognitae, nostrisque simillimae, brevitatis causa nunc omitti possunt. Horum auctorum aliquas sententias minus communes de hoc argumento inserere necesse erit expositioni sequentium emblematum, ad quae repetunt eadem.

5) Magis ad rem facit observatio doctoris Hou-ping-ouen in hunc locum: „a coelo terraque extitere reges, extitere magistri. In tertio emblemate Tun, cujus epigraphe est de elevando principe, adumbratur regia agendi ratio. Hoc vero quartum, Mong, quod infantes loquitur, etiam magistrum informat.“ Ita ille, consentiens aliis, quos secuti sumus.

EPIPHONEMA PRIMUM.
principis TCHEOU-KONG.

In primum sextum.

1. *Ignaros infantes instruere incipit.*
2. *Ad castigandum hominibus uti necesse est.*
3. *Ad ligandas manus pedesque ingeniosis utitur.*
4. *Si hac vice eat, illum poenitebit.*

INTERPRETATIO.

Admonendi initium facit a modo in suppliciis adhibendo. Licet enim castigare et punire necesse sit, et certorum hominum uti per leges nostras liceat non tamen quorumcunque, qui nimirum in poenis recens excogitandis seligantur ingeniosi. Fieri quidem potest, ut illum poeniteat euntem ad monita id genus danda. Ire tamen debet, si vult incipere instruere.

Ubi primum communi omnium fere principum consensu ad publica eorum negotia procurando Quen-ouang constitutus est, nihil potius habuit, quam ut inaudita hactenus suppliciorum acerbitas mitigaretur, revocatis de poenis legibus pristinis. Invisa erat inprimis columna aerea lata aliquot cubitis, totaque interius cava, divisa velut in tres contignationes, tribus scilicet cratibus ferreis in quibus magna lignorum strues accendebatur. Inde fiebat ut immisso ternis tanquam receptaculis igne, calefacta horrendum in modum arderet. Ad hanc etiam leviorum scelerum rei aut suspecti a scelestis barbare ingeniosis alligabantur, ut nunc recto nunc inverso situ pendentes pedibus manibusque eam velut amplecterentur. Hanc crudelitatem et truculentam in vinciendo industriam perversa aula vocabat ingeniosam atque etiam, ut est in Chou-king „spectatrix risu ac levibus cachinnis approbabat.“ Quod detestatus princeps Ouen-ouang aliorum principum subsidio gratiaque fretus, fatalem machinam tollendam imperatori persuadere voluit, repugnante licet Ta-ki regina, tantae crudelitatis inventrice. Res proinde non erat parum periculosa, facileque fieri poterat, ut talia consilia, quae inhumanae foeminae animo certe ingrata erant, tunc suggerenda eundem principem poeniteret. Nec tamen ille, quae erat animi fortitudine ab officio absterritus est, et post multas aulae molestias et indignationem invicta constantia superatas, id solum impetravit ut tam atrox poenae genus prohiberetur. Sunt etiam historici, qui columnam funditus eversam et comminutam fuisse narrant. „Principem autem atrociori-bus uti poenis est magistrum patremque penitus exuere, quod ipsi nunquam licet. Id furori, non aequitati datum populus putabit.“ Vid. not. sec. de eod. argumento.

ADNOTATIONES.

1) Ex sex *lineis* infima, primaque totius figurae cum sit imago seu signum materiae terrestris ejusque virtutis Y n, ideo rem, v. g. plantam adhuc valde rudem ac informem esse indicat. Quod tamen accedat proxime ad virtutem Y a n g, quam sequens linea secunda hic refert, est velut in via discutiendae hujus rudis infantia etc. Ita vulgares commentarii, ita et regii novique in hanc figuram et figurae primam lineam, dum in hac, uti in omnibus aliis ita philosophari conantur, ut quae de figura ex physiologia afferunt, velut de emblematis, ut nos loquimur, corpore accommodari possint ad verba subjectae sententiae, seu ad sensum epiphonematis, in quo tota vis est doctrinae ad mentem auctoris.

Verum haec loci hujus physica explicatio traduci quidem utcunque potest ad ignaram infantiam, quae voce magistri primum formatur, unde illud: „ignaros infantes instruere incipit.“ At ad caetera quae sequuntur de castigatione poenisque invita traheretur; atque haec ipsa ideo intacta suis in notis relinquunt, ne aut insulsa aut minus probabilis videatur petita ex physicis similitudo inter figurae elementa et sententiae verba.

Idem esto judicium si ad mentem Confucii haec sententia fonti videatur accommodanda, et similitudine quadam per omnes partes sigillatim explicanda est. Fons quidem a monte velut ab origine scaturiens suam statim aquam hauriendam praebet et magistrum doctrinam suam propalantem non incongrue potest designare, qua ignaros infantes, ut loquitur textus, instituere incipit. Sed reliqua verba nec fonti nec magistro conveniunt, quae de sola magistratuum principumque in reos potestate dici manifestum est, nec alio traduci posse nisi per metaphoras aut allegorias valde insulsas, a quibus abstinuit Confucius in suis omnibus commentariis libri Y-k i n g. Caeterum, ut id semel, obiterque observem, ex dictis patet me non omnia accipere probareque quae in Sinarum interpretum commentariis reperiuntur, sed nec etiam reprehendere quaecunque a nostris loquendi formulis moribusque abhorrent. Utrumque vitium nobis vitandum est. Si quis enim Sinas interpretes non sequitur, non Sinica sed Europaea lectori dabit; si sequitur sine delectu, non communem gentis sensum, sed aliquorum ineptias in lucem proferet.

2) Sunt qui vix delibata hujus quarti emblematis physica explicatione ad moralem sensum totos se convertunt. „Linea (inquit interpres clarissimus Tching-tse in hunc locum) quae in figurae parte infim picta est, rudem virtutem Yn exhibet, populique infantiam indicat. Utrique convenit, quod in subjecto epiphonemate dicitur de tollenda infantia. Populus rudis incultusque debet palam admoneri de iis quae certa poena, v. g. capitali prohibentur, ut scilicet sciat quid timendum habeat. Territus dum sequitur, tunc praeceptis est ad virtutem erudiendus, ut quae metuens invitusque primum secutus est, eadem jam ultro laetusque amplectatur, et agere amet. Quam ob causam antiqui sancti reges (Ouen-ouang, Ou-ouang aliique) ut ad regendum imperium primo accesserunt, statim poenarum leges proposuerunt, quae omnibus notae essent; ad illos deinde docendos, bonisque moribus imbuendos attenti fuere. Prius est igitur continere poenis quam formare praeceptis. Licet illi sancti maximi facerent virtutem, nihili punitionem, hanc tamen formam non mutaverunt.“ Verum in iisdem commentariis melius additur: „Sicut statutis uti poenis utile est; ita uti hominibus in torquendo male ingeniosis mali est poenitendi.“ Pluribus siquidem iidem commentatores probant prohibendam esse in puniendo contumeliam et iram, quae ab insolenti animadversione abesse non possunt. „Optandum, inquit etiam Tullius, ut qui praesunt reipublicae legum similes sint, quae ad puniendum non iracundia sed aequitate ducantur.“ Quod a quovis principe imprimis requiri cum intelligeret Ou-ouang, jam pacificus totius imperii possessor, ne aliquando hujus praeceptionis oblivisci posse videretur, haec regio cladio, seu ensi, verba inscribi jussit: „ne stringaris nisi pro aequitate, nisi ex aequitate.“ Quod praeceptum, addunt annales, excerptum erat ex libro Tan-chou (de ratione bene gubernandi) qui videtur fuisse antiquissimus, quandoquidem in documentis et praeceptis suis nullam habet mentionem librorum King, quos memorant citantque alii omnes tempore posteriores; magis ut dolendum sit posteritati periisse, relictis solis apud historicos et antiquos scriptores sententiis praeclaris, sed non ita multis.

EPIPHONEMA SECUNDUM principis TCHEOU-KONG.

In secundum nonum.

1. *Indulget ignaris infantibus, hoc bonum est.*
2. *Si uxorem sibi assumat optimum.*
3. *Potest habere filium et opes.*

INTERPRETATIO.

1) Indulgentius jam agit cum iis, qui reipublicae rudes ac velut infantes habentur. Quod felix faustumque sit.

2) Si in uxorem ducit, eam quae oblata est, felicitatis eo plus sperandum.

3) Potest ex ea suscipere filium qui possit domum ita componere, ut in pristinum splendoris regiaeque opulentiae fastigium restituatur.

Sublata jam fatali columna aerea, deprecante principe Ouen-ouang imperator Tcheou visus est mansuefacere. Quod leve licet regiae lenitatis initium pro inchoatae reipublicae restitutione commendandum optimus princeps curavit, ut forte hac etiam commendatione regium animum ad majora concedenda excitaret. Valet enim ubique famae studium

. . . . . laudataque virtus
Crescit et immensum gloria calcar habet.

Accedebat spes, ut jam dixi, satis probabilis, nimirum haec prima felicitatis semina brevi augenda ac denique cumulanda nuptiis virginis imperatori eo consilio oblatae ut illa succedere posset in locum reginae Ta-ki, cui

potissimum inaudita illa suppliciorum genera adscribebantur. Ex quo utique matrimonio nasci filius poterat, patre haud paullo melior, et componendae ac restituendae domui regiae idoneus, ab selectis praesertim magistris, procurante pia matre, bene institutus. Sed de his jam pluribus in tertii emblematis explicatione, ex quibus plana fiunt omnia quarto hoc velut involuta aenigmate.

Quanta autem fuerit magnatum imperii sollicitudo de optima institutione principis ad solium destinati, patet ex tot exhortationibus ad imperatorem pro seligendis dandisque filio haeredi optimis magistris, quas referunt annales. Quem morem ab antiquo manasse docet ipsa principis Ou-ouang (vide Ssé-ki) agendi ratio; qui in sex gymnasiis a se fundatis instructionem tum puerorum tum adultorum suum filium imperii haeredem educari voluit, nullo etiam in sedendo inter condiscipulos discrimine, nisi quod aetas major minorque dedisset; „atque hac cura, aïunt, imperatores non solum ipsorum erga familiam amorem testantur, sed etiam erga imperium universum.“ Vid. not. 3.

ADNOTATIONES.

1) Matrimonium illud, de quo textus, adumbratur (inquit celeber interpres doctor Tchou-tse) physica conjunctione principii seu virtutis Yang, ista secunda linea indicatae, cum principio seu virtute Yn, quam prima linea referebat. Ex qua extitit foetus aliquis nondum valens, atque adeo molliter adhuc fovendus, atque nihilominus agricolis spem faciens futurae maturitatis. Ita ille, et multi alii, quorum sententiae compendio referuntur; quem morem etiam, ne simus ipsa prolixitate fastidiosi saepius quam antea sequemur.

Quod si cui videatur, ne hoc quidem matrimonii seu conjugii (per utrumque verti possit vox Sinica) nomen trahi posse ad physiologiam, nisi forte in stylo Sinarum metapho-

ras amantium, huic respondemus nostros apud scriptores similia reperiri, quale est illud Virgilii (Georg. II.):

Tum pater omnipotens fecundis imbribus aether
Conjugis in gremium laetae descendit, et omnes
Magnus alit magno commixtus corpore foetus.

2) Ad imitationem naturae teneros illos foetus suo complexu foventis, multa etiam philosophantur de moralibus officiis benevolentiae amorisque tum principum erga subditos tum subditorum erga principes dominosque suos. „Subditus, ait doctor Yang-ouan-li, debet servire principem tanquam filius.“ Et in Chou-king, parte ea, quae est de Quen-ouang, Ou-ouang hujus familiae Tcheou fundatoribus, et libri hujus Tcheou-y auctoribus dicitur: „Rex bonus populum suum amat et complectitur sicut mater amantissime stringit nudum recensque natum filiolum.“ Quem ipsum locum Confucii discipulus Tcheng-se citat, ad illustrationem doctrinae magistri sui, antiquis probatisque exemplis tantorum principum eorumque sensui consentientis. Atque haec quidem dicta sunt bene, sed, meo judicio, non satis ad sensum totius sententiae. Captata autem occasione ex voce filii excurrere in moralia nihil aliud est, quam neglecto sensu tum textus tum auctoris sua praecepta animique sensa venditare.

3) Aptius ad rem illi interpretantur, sensumque auctoris Tcheou-kong politicum attingere videntur, qui aiunt ex educatione filii regii non minores spes excitari populo quam agricolis ex primis foetibus aut eorum initiis. Si populus felix est, ut fuit principe Ou-ouang imperium capescente, sua sibi continuanda gaudia pollicetur, atque adeo in dies familiae regiae addictior sit. Si populus sit miser, sicut fuit sub imperatore Tcheou, spe meliorum temporum (quam recta institutio successoris ostentat) in obsequio facilius continetur. Quae annotatio omnino convenit statui rerum illius temporis, quo id unum a sapientissimis agendum erat, ut aliqua inirettur ratio populi mitigandi, atque interea ab aperta rebellione tumultuque p rohibendi.

EPIPHONEMA TERTIUM, principis TCHEOU-KONG.

In tertium sextum.

Ne utatur ea muliere, quam assumpsit; quae videns divitem sponsum non curat ipsius personam. Nulla est convenientia.

INTERPRETATIO.

Mulier quae de solis divitiis viri, cum quo conjugata est, nec vero de ipsius incolumitate et honore, sollicita est, quantaene utilitatis? Profecto nullius.

His paucis assumptae ab imperatore truculentae foeminae Ta-ki indoles graphice describitur. Namque satis habens illa affluere regiis opibus deliciisque nihil movebatur odio, quod sua inprimis vexatione et saevitiis imperatori conflaverat. Is quippe egregiis naturae dotibus et virtutis exemplis paucos ante annos non mediocrem de se expectationem concitaverat, quae inductae mox pellicis ingenio pessimisque artibus extincta est. Quae omnia ita prosequuntur annales Sinenses, ut nullius imperatoris famam acerbius proscindant. „Quotiescunque (refertur in Lun-ju,) de graviore aliquo crimine sermo est, unus fere princeps Tcheou in exemplum adducitur, et perinde ac si esset reus omnium scelerum linguis omnium hodieque vapulat.“

ADNOTATIONES.

1) Doctor Ouang-pi physicam cum morali explicatione hoc loco miscet: „Tempore Mong, quo res velut ab infantia evolvuntur, materia terrestris seu virtus Yn accedit ad materiam coelestem seu virtutem Yang, tanquam id, quod obscu-

descendere. Illo vero mortuo, in ultimas adductum est imperium angustias, de quibus textus hic loquitur, eisdem ubique arma jam parantibus duce filio Ou-ouang; qui licet olim et ipse in rudium et infantium numero habitus a superbis consiliariis, jam hostis peritia et potentia metuendus aulae videbatur.

Mutata itaque scena erat. Aulici illi et ministri, qui se politicae gubernationis inprimis gnaros jactaverant, ex ipso rerum statu arguebantur, nihil se vidisse. Ignari vero, scilicet optimates iniquae aulae infensi, cum jam eo rem adduxissent, ut populus eorum arma perinde ac vota sequeretur, famam cum summae in negotiis sustinendis prudentiae, tum etiam eximiae in patriam afflictam caritatis toto fere imperio assecuti fuerant. Simile quid refert historia foederati Belgii; qui sub prima motuum initia a gubernatoribus fuerant habiti velut infantes et mera mendicabula, paullatim suis conciliis, concordia opibusque effecerunt, ut rerum potirentur, jactumque in se scomma in auctores non sine causa rejicerent. Improbi namque (observant) non ante se imperitos norunt, quam perire se sentiant. Ita censebat ipse Tsou-y unus ex ministris tyranni Tcheou, quem de periculo primus admonuit: „perimus, pro Ou-ouang conjuratio est omnium; respondes cum tuis aulicis: quid possunt contra nos populi? Eheu tot criminum reus, adhucne dicis, coeptis nostris coelum favebit?“ (In Tong-kien.)

ADNOTATIO.

Communis interpretatio istorum physiologorum in figuram una est. Si illis creditur, laborat virtus, seu principium Yn, (cujus index est quartae figurae linea) quia hoc in loco adhuc remotior est a virtute seu principis Yang, cujus opem exigit. Quod ita explicant illi ut diceres, Yn, esse terreum quidem et grave puta saxum quod vis aliena aliquamdiu

invitum detinet, et nihilominus viam affectat ad centrum in quo solo conquiescere possit.

2) Cujus occasione disserunt de angustiis in quas incidit mala gubernatio, quae solo fere metu nititur, idque saltem mali habet, quod non possit durare; „malus enim, dicit Cicero, custos diuturnitatis metus.“ Rationem hanc afferunt interpretes. Quod metu solo tenetur, violentum est. Cum imperator Li-ouang (a. 877 ante Chr.) sibi aliquando plauderet, quod populi querelas ita poenis suppressisset, ut jam nullus hiscere auderet: non suppressae, inquit minister Chaomou-kong, sed retentae sunt, nempe metu. Quam vereor ne illae sint ut retentae obice aliquo aquae; quae vim postea non ferentes erumpant violentius (in Tông-kien et Chiking p. III. ed. Ming-lao). Quod et ita contigit; nam populus furens irruit in palatium saeviens in obvios quoscunque, et occisurus imperatorem si eum reperisset; sed jam fugerat in partes orientales, e quibus ut in aulam rediret consentiente populo nunquam obtineri potuit.

EPIPHONEMA QUINTUM, principis TCHEOU-KONG.

In quintum sextum.

Ignarus filius bonum vel bene fortunatum.

INTERPRETATIO.

Filius qui habetur ignarus, si filii partes implet, fortunat patrimonium sibi relictum.

Principis Ouen-ouang filius Ou-ouang eo magis reipublicae administrandae ignarus ab inimicis dicebatur, quod vivente patre nihil nisi obsequium admodum curare videbatur. Ex postquam objecta a patre imperii cura in ejusdem auctoritatem et apud principes gratiam successit, ex paullo post segregantia quocunque

potuit officio diu noctuque non defuit, adeo (ut narrat Kang-kien cap. Tcheou-tchao) ut nec somno nec cibo vires reficeret, nisi cum pater coepisset. Cui eximiae obedienti et filiali pietati suam in imperio obtinendo felicitatem tribuunt scriptores Sinenses, imo et vitam diuturnam, sicut refertur in libro authentico Li-ki, qui est de officiis.

Cum enim aliquando ex eo quaesivisset pater Ouen-ouang, quid praeterita nocte somniasset? „Videre mihi visus sum, respondit filius, ipsum supremum imperatorem (Chang-ti), et quidem mihi spem facientem vitae producendae ad novem usque annorum decades.“ Tum pater: „nonaginta aliquando annos numerabis; mihi centum decreti sunt. Sed age, tres e meis demantur, qui tuos augent, fili mi.“ Verbis eventus respondit; nam Ouen-ouang mortuus est anno aetatis 97, *filius* vero Ou-ouang anno 93. Ita historici, ita interpretes v. g. in commentario antiquo libri Chou-king, sub Tang-chao lib. II.

Is vero semper id professus est, se in eis quae pro republica moliretur ab institutis paternis non discedere, cujus etiam morientis vox fuisse fertur (vide Tong-kien-kang-mou): „Cum tempus et occasio adest rei agendae, ea uti ne dubites.“ Quin adeptus postea imperium sua in comitiis oratione (quam refert Chou-king lib. IV.) protestatus est: „Nihil aliud fecisse, nisi continuare patris Ouen-ouang coepta.“

Utut sit, illi verissime convenit haec epigraphe: „filius ignarus, bonum.“ „Quod (inquit Confucius in comment. Siang) sit obediens, et patris nutum sequens.“ Et, sicut alii interpretantur vocem Hi, quod fortunet superi patrimonium filio obsequenti relictum. Quem utrumque explicandi modum nostro complexi sumus, cum ex historicis constet, principem Ouen-ouang et

obedientiae filialis, ac pietatis laude claruisse et paternam haereditatem imperio Sinensi aequasse; „Omnia quippe (aiunt commentatores) sunt in virtutis potestate .... et obedientia erga parentes sua princeps subditos docet obedientiam sibi debitam.“ Nam ipsius mores imitari genus obsequii judicatur, ut utar Lactantii verbis ad exprimendam Sinarum sententiam, quam pluribus prosequuntur, et iterum aliis in locis inculcant, ut dicetur infra. Qui certe, post extinctam familiam tertiam, imperium quatuor per secula tenuerunt ex domo Han, ad imitationem illius fundatoris Ou-ouang, ita filialis obedientiae ac pietatis (Hiao) laudem adamarunt, ut vocem Hiao suis honorificis titulis superaddi plerique voluerint, secundus Hiao-hoei-ti, tertius Hiao-ouan-ti, quartus Hiao-king-ti, quintus Hiao-ou-ti etc.

ADNOTATIONES.

1) Hic solam doctoris Tching-tse explicationem physico-moralem afferam, quod sit in communem interpretum sententiam facta. In quinto hoc loco, materia terrestris seu virtus Yn adhuc quidem infra materiam coelestem seu virtutem Yang sexta figurae linea expressam, spectatur, sed tamen in nobiliore loco, nempe in medio, quod soli regiae aut dignitati aut virtuti convenit, ut jam nec semel annotatum jam supra ex interpretibus retulimus. Haec est scilicet virtus viri sua conditione subditi, sed perspicacis reipsa et fortis, qui nimirum possit reipublicae infantiam regere, infantem autem dici volunt, non solum quando illa est sub debili inscioque principe, sed quoties nova ad imperium familia (quod hoc in regno saepe contigit) aut a coelo aut a populo vocatur, tunc enim frequens exoritur seditio, at

.... tum pietate gravem si forte virum quem
Conspexere, silent . . . . . .
Ille regit dictis animos et pectora mulcet.

Inde aliquoties accidit, ut viri aliqui reipsa eximii, sed fama non ita noti et adhuc rudes a multis habiti, velut repentino

consensu in duces aut principes electi sint, a multitudine, eo rum admiratione capta. Exemplum tantae id genus conver sionis velut prae oculis positum habebant Tching-tse Tchou-tse aliique XI. et XII. seculi interpretes sub Song dynastia, cujus fundator Tchao-kouan in anno post Chr. 960, ea die, qua erat profecturus contra Boreales et Tartaros bellum et irruptionem minantes acclamatus est repente a populo, et mox a copiis, quibus paucos ante dies praefectus erat mandato ministrorum septennis imperatoris Kong-ti, e familia regia Heou-tcheou, atque adeo nihil minus cogitans, insignis tamen tum procera statura plenoque dignitatis aspectu, tum orationis gravitate et lepore, tum morum suavitate, bellica fortitudine majore, ad imperium capessendum coactus fuit in hac sub rege infante aulae repentina trepidatione, quam ille statim ita sedavit sua praesentia, et mandatis, ut populus die insequenti ad sua mercimonia tranquille redierit. Viros itaque tales posse infantiam reipublicae feliciter regere, verissimum est, ut docent laudati interpretes.

2) Cur autem in hanc quintam lineam aut in totam figuram cadit vox infans, ignarus filius? Doctor Lou-chi confugit in commentariis ad nomina a Ouen-ouang octo symbolis imposita. Inter quae hoc symbolum (pars superior hujus figurae seu emblematis) alias vulgoque dictum Ken, reperitur hic vocatum Siao-nan, parvus filius, infans, ut dictum est parte prima cap. 7. Bene quidem si omnes aut saltem multi difficultatum nodi ex posteriore hac principis Ouen-ouang mappa solvi possent. Sed hoc ita clare falsum est, ut inter tot commentatores vix invenias qui illius meminerint in suis ad singulos textus notis.

Redeundum est ergo ad explicationem communem quae similitudine tota nititur adumbratque virum regendis populis reipsa parem ipsoque sollo non indignum, licet suo ex statu non fuerit talis hactenus ab omnibus habitus; qui tamen ut accedit ad gubernationem, ita manum operi admovet, ut mutatum in melius imperium sentiat, non secus ac generosus equus, cui apte adducuntur et remittuntur primum habenae, sibi impositum sentit equitem regendi peritum. „Si qui (praecipiebat Han-ouen-ti, a. 178 ante Chr., vid. Tong-kien) in vestris provinciis latent jacentque viri prae ceteris recti, sinceri, et in movendis ad bonum populorum animis regendis-

que eximii, hos in lucem producite, et ad me mittite, ut quod in me desideratur, illi suis suppleant dotibus ac virtutibus.“

3) Unum superest in nostra expositione, quod fortasse nonnullis difficile videatur, id scilicet quod dictum est de prorogatione principis Ou-ouang ad tres annos, in praemium obedientiae filialis. Verum id fit credibile auctoritate librorum tum veterum tum posteriorum, quorum aliquos ad marginem appellavi et plures longo per aetates omnes numero recenseri possunt. Id autem tam antiquum fit Sinis credibilius exemplis vicinorum temporum, quae de pietate filiali coelitus approbata referunt historici. Illud mirabile quod anno p. Chr. 1308, praefecti urbis Yong-ping-fou accidisse monuerunt imperatorem Ou-tsong. Ouang-kien oriundus ex subjecto urbi oppido Fou-ning a puero patri matriqne servierat ut obsequiosissimus filius. Hoc anno cum in morbum lethalem incidisset pater Ouang-kien, diu noctuque interfuit, si tamen patrem videbat dormitantem, tunc solum solusque aliud in aedificium sedens coelum pro patre rogabat: „Si alicui moriendum esse statuisti, vitam mihi eripe, patri restitue; id unum beneficii a te postulo, non ante destiturus, quam annueris.“ Ad illum, una nocte ob periculum majus huic instantem orationi, subito accurrit pater. „En, exclamat, factus sum sanus, fili mi, et quidem tuis precibus. Se mihi videndum siquidem praebuit quidam genius, toga aurea, pileolo purpureo.“ „Supremum coelum, ait, ad remunerandam filii pietatem tibi duodecim vitae annos adhuc concedit. Qua una voce ita convalui, ut ad te sanus laetusque veniam.“ Ita illi in libello publico ad imperatorem, qui postea ad hujus rei memoriam jussit erigi monumentum lapideum e regione portae domus; haec annales imperii, historiaeque authenticae, penes quas fidem esse volo.

EPIPHONEMA SEXTUM, principis TCHEOU-KONG.

In sextum nonum.

Ignaris terrorem injicit. Si sint latrones, cum eis non jungitur. Oportet latrones praeparare.

INTERPRETATIO.

Jam terret eos qui reipsa ignari erant reipublicae administrandae, nec tamen ad eos terrendos conjungit se cum iis bellatoribus quos amor praedarum, privataque utilitas armavit, sed illis qui ad commune bonum tuendum parati arma moverunt, et a malis habentur ut rebelles seu latrones.

Quicumque arma movent contra imperatorem, sive sint in imperio sive extra imperium, ab historicis, et vulgari sermone a populo Sinensi vocantur latrones, praedones et rebelles; perinde ac si nulla possit esse causa insurgendi contra filium coeli, dominumque orbis qui sub coelo est, Tien-hia. Ipse filius imperatoris Tcheou, in cujus locum successit Ou-ouang ab ejus filio Tching-ouang hoc injurioso nomine appellatur; quando ille recuperandi paterni imperii spe allectus bellum movit, quanquam infelici eventu, ut dicitur in Chou-king parte quarta de Tcheou. Verum hi latrones seu (ut quoque notant) latronum duces, qui imperium plerumque mutarunt, uti patebit legenti annales, postquam caeteros rebelles aut domuerunt, aut pactis sibi adjunxerunt, rerum denique omnium potiti, jam ab omnibus imperatores, et quidem coelesti mandato tantae dignitati destinati, habentur.

Collabente itaque secunda familia imperiali Chang (postea Yn) dicta, ob malam imperatoris Tcheou administrationem, multi in variis imperii Sinici partibus insurrexerunt, ut jam annotavimus dum de regno Yen boreali, cujus rebelles domuit princeps Ouen-ouang, disseruimus. Sed ejus filius Ou-ouang cum ad imperium admittendum nihil movendum putavit contra tot ubique in invisam aulam armatos, quandoquidem illius copiae in varios exercitus tunc necessario erant, dividendae, et quo plus negotii illi facessebatur, eo faciliora fiebant, principis Ou-ouang ac Tcheou-kong, cur frater Ou-ouang foedus inivisset cum principibus qui arma contra imperatorem sumpserant, e contra pater non usus esset opera latronum seu rebellium regni Yen, sed oblitus injuriae ac carceris conatus illorum egregie repressisset? „Diversa est (inquit) conditio eorum qui privato commodo ad praedas agendas, aut ad suo malo in imperium genio indulgendum, arma movent. His certe nullatenus ad rem publicam restituendam uti expediebat. Eorum vero, qui communicato cum Ououang aliisque publici boni studiosis concilio milites paraverunt, fides atque intentio erat explorata, atque adeo in foedere cum illis jungendo quaerebatur utilitas publica, quae sine illo procurari non poterat.

Totum hoc politicae peritiae discrimen breviter exponit Confucius in Siang, suis hunc in locum notis: „Oportebat uti latronibus praeparatis quod illi superiori obtemperaturi essent;“ non vero qui suo solo ingenio propriique commodi amore ad arma capienda inducti fuerant.

Hunc profecto textum quisquis accuratius expenderit, luce meridiana clarius introspiciet nihil hic latere mysterii nisi politici, quod aliquando tandem summo principis bono evolvitur, sed majore populorum impe-

rii emolumento, qui et metu terribilis tyranni liberantur, et ad omnes pacis artes eximii imperatoris curis ac virtutum documentis eruditiuntur, quod congrui hujus emblematis Mong figurae sensusque, ut liquet ex dictis, et iterum ex nota 3.

ADNOTATIONES.

1) In historia imperii sub Song-tchao edita imprimis a doctore Tchou-hi, quae dicitur Tong-kien-kan-mou, et quae fundatori tantae familiae Tcheou utpote apud Sinas celeberrimae favet, narratur quidem, contra aliquos principes, ut contra principem populorum Li, arma sumpsisse regulum Ou-ouang. At non negat illum ita armatum processisse, aula imperatoris nequidem consulta; et fatetur tum hunc principem sine ulla pugna, tum alios omnes ad illum convenisse illo ipso tempore. Quis ergo tunc non credidit fuisse praeparatos (uti imperiales vocabant) latrones?

2) Sexta linea, inquit Tching-tse, est ultima figurae hujus quartae Mong; atque adeo significatione sua est ultimus terminus infantiae rerum primum prodeuntium, quae deinceps aliis figuris velut explicatae ac vegetae proponuntur. Quando populi detrectant imperium, et nova moliuntur, tunc quidem vulgo habentur ut latrones, et eorum duces velut regni perturbatores morte digni, nec tamen semper dici possunt vere tales. „Nonne princeps Tcheou-kong tres suos duces occidit, qui in imperatorem tertiae familiae Tching-ouang insurrexerant? nonne milites qui contra quartam familiam regiam Tsin arma tulerunt sub duce qui fundavit familiam quintam Han, illam Tsin gladio extinxerunt, ideone invisi posteris sunt?“ Sublatis malis, mox dedere initium melioribus, quibus deinde licuit magis ac magis invalescere. Ita ille, historicum sensum secutus disserit.

3) Populus itaque rudis et infans (ut docent interpretes), ac natura sua agrestis bonique ignarus, debet sedulo instrui ac documentis paullatim formari, ut quam debet obedientiam factis testari, et in debita fide perseverare possit; quae cura tam saepe commendatur ipsis imperatoribus in libris canonicis et Confucianis ut nulla magis. „Imperatores (praefatur hodiernus imperator in libros Sse-chou) coelum

non solum formavit, ut populorum sint domini, sed etiam eorum magistri.“ At quid haec ad physiologiam aut naturam rerum crescentium, ex cujus similitudine sua moralia praecepta petere solent? nihil certe probabile afferunt ad haec philosophi isti; nisi forte nonnullis videatur satisque sit audire victoriam principii seu virtutis Yang hac ultima linea adumbratae, cujus viribus res ipsae velut in alias mutari ac naturae suae oblitae videntur.

Quae quidem sat bene populis ipsa instructione ad obsequium et humanitatem tandem informatis accommodari possunt, nec tamen satisfaciunt quaerentibus sensum totius epiphonematis qui est in verbis his: „terret ignaros, non jungitur cum latronibus nisi praeparatis.“ Deficit ergo hoc in loco sua interpretes istos physiologia; ita ut ad historicum aut moralem sensum recurrere debeant, quem secuti sumus.

4) Fundator familiae Han-tchao [1]), cujus meminit Tching-tse vocabatur Leou-pan; vir plebejus, eximius forma indoleque, oriundus ex regione Tse-tchang, natus in oppido Pai. Cum gubernatoris jussu reos deduceret in Li-chan, accidit ut aliqui clam evaserint. Non ausus regredi, caeteros vinclis solvit, et cum decem eo e numero selectis secessit in montem Mong-tang. Unde excurrere coepit in loca vicina suis infesta, quo tempore imperium a Tsin-chi-hoang relictum bellis civilibus ardere coeperat, distrahique in partes. Ab his autem latrociniis intra octo annos ad solium pervenit; anno ante Chr. 200.

Idem dici potest de fundatore postremae familiae Ming [2]), dicto Tchou-youen-tchang. Is natus in pago prope Sse-tcheou, rustici patris quartus filius, Bonzius in Hoang-kio-tse, mox miles rebellium in imperatorem, brevi et dux latronum, ut vocabantur sub Yuen, intra 15. annos imperium obtinuit anno 1369.

---

1) Vide Nien-y-se et Tong-hien.

2) Vide Tong-kien.

CAPUT QUINTUM.



EPIGRAPHE, principis OUEN-OUANG.

Habet soliditatem. Clara penetratio. Si soliditatem habeat, hoc bonum. Oportet transire magnum fluvium.

INTERPRETATIO.

Princeps Ou-ouang jam omnibus regulorum clientelarium negotiis, ut supra dictum est, propositus, ita de illis bene mereri studebat, ut ad totius imperii regimen capessendum plurimorum precibus invitaretur, etiam indicto australem partem magni fluvii (seu ut antiqui saepe etiam, fluvium; seu, ut nostrae aetatis homines vocant, croceum) conventu ad deliberandum, cui tamen interesse noluit, quod diceret rem esse adhuc periculi plenam et tempori non convenientem. Ducem tantae molitionis non satis est acri ingenio pollere, quo in hominem sensus et negotiorum latebras vere clareque penetret. Debet etiam habere ita omnia parata ut iis solide inniti possit. „Fluvius (aiunt commentarii regii) ita trajiciendus est, ut res tuta ac solida esse possit.“ Trajecto namque semel magno fluvio, quid deinde consecuturum sit etiam at-

que etiam providendum est. Ex quo responso inferebatur adhuc esse cunctandum, et (ut commentatur Confucius in Toen) „lente festinandum in spem, periculum cum sit in conspectu.“ Magna itaque posse sperare sapientem docet quidem haec epigraphe, sed etiam majore cura debere tenere cautiora. Ita de morali sensu interpretes.

Nec tamen cogitandum est principem Ouen-ouang (observant interpretes libri Chou-king), fuisse suscipiendo negotio totiusque imperii oneri imparem, cum virtute et rerum gerendarum scientia suos omnes longe superaverit. Vir tantis dotibus praeditus si (ait Confucius in eodem commentario) ivisset, magnam gloriam sibi comparasset, quam scilicet ab ejus filio Ou-ouang vix elapsis aliquot annis, collectam esse constat ex historia, et libro 4. Chou-king, cujus verba supra retulimus.

Verum nihil ad rem nostram interest, quid Ouen-ouang facturus fuisset; certum est illum non annuisse principum illorum votis, sed sola spe illos lactasse. Quod etiam significat emblema hoc, in quo exhibetur coelum nubes imbriferes ferens, spemque terrae foecundandae ostentans. Licet autem Ouen-ouang cunctator lentusque a non paucis haberetur, ac ut talis ab aliquibus traduceretur, nihilominus, qua erat animi soliditate in eadem perstitit sententia. „Nam verus subditus (ait Ouan-sun [1]) tum in vita, tum in morte spectare ante omnia debet salutem populorum, verumque imperii bonum et ejus gloriam. Qui, vituperii vitandi causa, aliud agit, habendus est ut amans sui, non imperii, curaque reipublicae tam indignus

1) Sub Tsin floruit tertio post Chr. seculo.

quam malus subditus, ut proditor etc. . . . . accusari publice periculosum aliquoties fuit, etiam falso: at turpe semper, mereri veram accusationem.“

ADNOTATIONES.

1) Figura haec Su vel Siu (notant commentarii regii) nubes in coelo exhibet, utpote constans ex duobus (Koua) symbolis, quorum inferius Kien pro coelo supponit, superius Kan pro aqua et nubibus.

2) Ordine suo spectat (dicitur in opusculo Confuciano Tse-koua-tchouen) rationem nutritionis rerum. Nam haec communis illarum infantia, de qua dictum est in emblemate quarto Mong, ne ubi formata est mox intereat, tum suo quasi lacte succoque opus habet (quod vel nomen Su subindicat) tum externis subsidiis, quibus et nativus calor excitetur et novis in dies virium accessionibus augeatur.

3) Nubes quae coelum usque penetrat est quidem res labilis, at coelum solidum est, ideoque emblema hoc significare potest penetrationem solidam. Ita comment. regii in hanc emblemati quinto subscriptam epigraphem. Qua potius animus omnia circumspiciens nec inani spe, ut primum emicat, elatus significari videtur multis.

EPIPHONEMA PRIMUM, principis TCHEOU-KONG.

In primum nonum.

Speret in desertis. Necesse est uti officiis ordinariis. Nullus error.

INTERPRETATIO.

Expectat suos in locis quae a desertis nomen habent. Huc convenientes necesse est ut illos demereatur omni officiorum genere. Nec hoc nimirum est, ita ut aberrasse dici possit.

Jam superius dictum est, locum, in quem foederatis suisque copiis conveniendum edixerat princeps Ououang, vocari Mo-ye [1]) a desertis pascuis desumpto nomine. Nam in parte boreali fluvii magni, seu vulgo crocei, (patet ex mappa a nobis edita) est oppidum Mong-hien. Versus orientem porrigitur una montium non ita altorum series, in quibus etiam nunc aluntur greges et armenta.

Ex ruinis nunc extantibus apparet in illis partibus, praesertim ad angustias montium, fuisse portas (quas Sinae vocant Koen) lapideas. In quibus illi omnes ex tot imperii regnis seu ditionibus venientes, qui proprias ac haereditarias imperatori terras ingrediebantur, et in aulam in oriente sitam merces convehebant, aliquid tributi pendere tenebantur. Supersunt aliquae ejusmodi portae semidirutae, et leguntur multo plurium nomina in antiquis provinciae Ho-nan mappis librisque geographicis, quibus hac etiam aetate nonnulli pagi vocantur.

1) Vide Chou-king l. 4.

EPIPHONEMA TERTIUM, principis TCHEOU-KONG

In tertium sextum.

Sperat in lutosis. Facit ut veniant latrones.

INTERPRETATIO.

Expectat ad rivum, qui a luto nomen habet: ad quem venire debent, qui arma sumpserunt.

Mong-hien est oppidum in provincia Ho-nan, situm in boreali littore crocei fluvii, e regione antiqui Mong-thing-hien. Nec distat a rivo seu amne Yong-ni-ho, perpetui luti, nisi tribus leucis, quod patet ex nostra geographia provinciae Ho-nan. Ultra eundo, scilicet versus occidentalem provinciam Chan-si, occurrebant variae parvulorum dynastarum terrae, quas hodie obtinet urbs Kouai-hing-fou. Earum domini erant inprimis addicti partibus principis Ou-ouang et pro republica restituenda (ut ipsi dicebant) armati, at in aula latrones appellari soliti, qui omnes hunc rivum transire debebant. In illorum fide aliorumque occidentalium auxilio multum spei ponebat Ou-ouang, propterea quod illi omnes, utpote suae ditioni viciniores, suae etiam familiae hactenus favissent et exercitae bello fortitudinis fama toto imperio commendarentur. Hi itaque praecipue fuere expectandi, quorum maxime studiis ac virtute negotium absolvendum erat. „Infortunii occasio, aiunt Sinae, quam longissime potest, removenda est; nam nostrum proverbium habet, si non ponatur ultra mille stadia calamitas, jam est sub ipsa mensa et strato.“ Ad gloriam igitur non fortunae alea, sed virtutis via (ut loquitur Salustius) nitendum; quod totidem ferme verbis praecipitur in Chou-king p. III. cap. 1. 3. alibique.

ADNOTATIO.

Voce luti subindicatur, si ad physiologiam refertur, nihil proprius esse quam ut res, v. g. planta, in periculum incidat, et patiatur ab inimica vi quae velut latrocinatur dum convalescentes plantarum gemmas demetit. Ita plerique interpretes, Tching-ouang-kong et caeteri in regia comment. libri Y-king editione appellati. Nec haec male conveniunt cum sensu historiae, quae tunc temporis omnem imperii spem familiae Yn regiae abscissam esse a Ou-ouang testatur.

EPIPHONEMA QUARTUM,
principis TCHEOU-KONG.

In quartum sextum.

Sperat in sanguinosis, ex foramine exit.

INTERPRETATIO.

Sanguinolenta inter arma expectat, ex montium faucibus ostioque in aciem proditurus.

Variae portae quas Sinae Koen vocant, pleraeque omnes constitutae sunt in faucibus montium, qua patet aditus aut ad loca planiora, aut ad aliam provinciam et ditionem alteri potestati subjectam, in partibus Honan occidentalibus, in quibus antiqua principum Ouen-ouang et Ou-ouang aula, You-li dicta, stetisse aliquandiu dicitur. In hodierno pago You-pou, distante 23 stadiis ab urbe Tchang-te-fou supersunt etiamnunc variae ostiae, v. g. Tche-ki-koen quod utis integrum est, transitumque aperit in borealium principum ditiones, quas hodierna provincia Li-pa-fou aut Pe-the-li complectitur. In ostio Tchaoyun-koen, quo ad occidentaliores patebat aditus, pars

fornicis adhuc visitur. Nomen Lan-tche-koen est populis illis cognitum, nec distat ab oppido Kouei kien 54 stadiis, qua via eundem erat ad orientem, ubi posita erat tunc temporis aula imperatoris Tcheou. Ex illo, vel aliquo ex similibus ostiis quae in his locis memorant antiqui provinciae libri geographici, exeunde necessarium fuit copiis principum foederatorum in haereditarias et preprias imperatoris ditiones, prorsus ut nihil Oedipo opus sit, ad clare explicandum quid foraminis nomine intelligendum sit. Est itaque nodum in cirpo quaerere, uti vetus fert adagium, velle in re adeo perspicua arcanum aliquod mysterium reperire atque asserere. Quid facias nonnullis, quorum probatio sola est in asseveratione et perseverantia, cum nihil probabilius afferant, nihil profecto habent quod refutandum sit.

ADNOTATIONES.

1) In commentariis typo regio nuper editis, sunt qui volunt virtutem sen vim Yang subintelligi sanguinis nomine. Quod qua possit ratione significari, nec illi explicant, nec liquet satis sciri, nisi forte id quod aliis in locis ac difficultatibus scitum est, hic quoque servandum sit, ut nomen hoc transferatur ad physiologiam, principiumque Yang, actuosum et valens, quod reipsa spiritus viresque significat hoc apud Sinas, sanguis apud nos, quibus quoque stylus scriptoris vehementis dicitur: „in hoc plus videtur, ait Vellejus, fuisse sanguinis.“

2) At ne haec quidem vox textus Sinici metaphorice sumpta mihi convenire videtur. Nam haec quarta linea est virtutis Yn imago, jamque pertinet ad superius symbolum Kan, aquae, a qua imminet periculum saepe rebus pullulantibus.

3) Ab his discrepat Yang-in-sin (in Tcheou-y). Docet enim utrique virtuti Yn et Yang convenire quae huic figurae quintae tribuuntur. Cum, ait, utraque habeat bonum et malum, inde habet quoque quod speretur et vicissim quod timeatur. Yang quidem, coelestis materia, viribus valet, sed

si tantillum exorbitat, est periculosa. Yn, materia terrestris, est equidem infima. At si suas leges sequatur, res nutriendo corroborat. Ex utraque suos intra fines consistente manat naturae ordo atque utilitas, quae docet nos ad mediocritatem esse constanter revocanda omnia in usu cultuque vitae. Quam doctrinam ut perutilem tradunt Sinae multisque exornant.

EPIPHONEMA QUINTUM, principis TCHEOU-KONG.

In quintum nonum.

Sperat in vinosis et frumentariis. Hoc solidum bonum.

INTERPRETATIO.

Necessarium frumenti vinique commeatum expectat, in hoc multum momenti est ad certum rei exitum.

Quidquid erat feracioris terrae id ferme totum pertinebat ad imperatorem. Principes illi, qui id, quod in imperii orientali parte natura sua fertilissima supererat, divisum possidebant, vix ac ne vix quidem frumenta caeteraque id genus sine summo labore atque etiam periculo, utpote aulae viciniores, transvehere poterant, quibus suos foederatos instruerent. Res itaque tota recidebat in principes occidentales, qui annonam et commeatum omnem ad alendas copias e suis ditionibus transferri jusserant. Haec vero cum peterentur e terris parum fecundis, et curribus vehenda essent, nihil mirum quod brevis usura temporis postulata sit, atque adeo necesse fuerit tantisper, etiam ardentioribus, exspectare. Nam sine annona terras imperatoris ingredi summae fuisset imprudentiae, quae rem totam pessum dedisset. A quo ita abhorrebat, ut annotat Confucius, ad laudes

certe maximo emolumento fuit, atque adeo reverentiae seu observantiae optimus finis. In praemium siquidem meritorum, post partam victoriam, primus fuit a Ou-ouang donatus titulo reguli, et ditione dicta Tcho aut Tchou, quae nunc est pars provinciae Chang-tong, ubi et suum et conditoris sui nomen septem fere seculis propagatum fuit. Secundus satrapiam cum iisdem ferme dignitatis insignibus accepit, quae nominabatur Ki, et nunc continetur provincia Pe-tche-li, in qua etiam dicitur sepultus pater legislatoris Yao, a quo ille se ortum profitebatur. Tertius eodem honore, eadem potestate auctus est, sed in ea provinciae Honan parte, quae illo tempore vocabatur Tchin, et in qua memoria imperatoris Chun ab hujus dynastae posteris singulari cura multis post Ouen-ouang seculis culta est; sicut constat ex annalibus harum trium veterum familiarum factae a Ou-ouang inaugurationis, atque inde dignitatis regiae per nepotes regulos propagatae, memoriam facientibus. Quod non solum ex summae gentis Sinicae erga tres illos imperatores, Hoang-ti, Yao et Chun veneratione profectum est, sed etiam quod certiora de his quam de aliis vetustioribus familiis reperta sint a primis historicis monumenta. Notant etiam (quod non faciunt de multis aliis, certo non ita longe post extinctis, quarum casum silent) quo eventu reguli, imperatoris Yao posteri, non ita diu ditionem a Ou-ouang acceptam tenuerint. Nam narrant illos ditiones suas vicinas, imperante Tching-ouang (circa 1114 a. Chr. vid. Se-ki) armis lacessere coepisse, nec voluisse absistere semel iterumque jussos; adeoque dignitate et ditione, imperatoris supremi domini mandato, fuisse tandem anno nono privatos.

Eximiam autem imperatoris Ou-ouang non solum erga cognatos bene meritos, sed etiam erga alios

donari dignos, beneficentiam celebrat, nec semel Confucius in Lun-yu; quod, inquit, hac ratione assecutus sit, ut horum antiquorum principum, quorum nominibus nihil habet tota gens illustrius cariusque, memoria cum splendore parentalibus officiis atque ritibus conservaretur, posteriorumque retro nepotum pietas et observantia perennaret. Cujus consilii novus conditor dynastiae Tcheou auctorem habebat secundae familiae Chang (quae jam privabatur imperio) fundatorem Tching-tang; qui posteris magni Yu, primae familiae Hia auctoris, ditionem titulumque principis contulerat, in ea provinciae Ho-nan regione, quae tunc temporis appellabatur Kia, ubi sexcentis ferme annis dominata est. Hoc igitur exemplo tueri se poterat Ou-ouang contra id obtrectatorum genus, quibus tanta liberalitas immoderata videbatur, ob eam forte inprimis causam, quod ipsi (ut olim aulae putidi assentatores) ne minima quidem tot bonorum parte aspersi fuissent. Sed enim, aiunt, in benefaciendo delectus adhibendus. Quandoquidem illi censebantur de imperio male meriti, non debebant opibus augeri, ne audaciores fierent; nam, ait Ennius, benefacta male locata malefacta arbitror.

Benefaciendi autem has a principibus leges servari volunt, ne detur indignis, ne detur immeritis. Illi vero habebantur indigni et immeriti, qui, etsi non vitiosi, reipublicae nunquam profuerunt, nec prodesse possunt. Spectanda scilicet sunt publica commoda et studia non privata. „Imperator debet esse ut coelum, cujus loco est. Coelum in ipsa etiam imperii translatione ac collatione est sine affectione privata, non respicit personas.“ (Vid. Chou-king lib. III. cap. Ta-kia.) Ad virtutem, ad merita, ad animi vires solum attendat necesse est, si vult coelum imitari. „Quam vereor, (monebat

Tcheou-kong juvenem imperatorem Tching-ouang) ne in remunerando sequaris tuas erga aliquos propensiones. Propensio ejusmodi in bono alioquin principe, est velut scintilla ignis in sinu latens, qui tempore ipso fit magis exitiosus." (Chou-king lib. V. cap. Lo-kao.) Eo scilicet, tanquam caeco impetu, nec advertens, abripitur a tramite aequitatis, atque adeo multos merito offendit. Unde fit, ut postquam deinde animum male inclinantem ratione repressit, cogatur (si sapit) revocare beneficia. Quam satius est, et magis decorum, quid unusquisque mereatur aequis expendere momentis, et ex eis solisque decernere.

ADNOTATIONES.

1) Tres illi, qui ultro ad pericula depellenda veniunt, designantur (aïunt commentaria vulgaria) tribus lineis inferioribus, virtutis seu materiae Yang indicibus. In his spei cardo vertitur; nam materia Yn, quae per se debilis est, et nisi firmetur auxilio virtutis Yang nihil vegeti perfectique efferre potest. Materia Yang, ait Tching-tse, nihil opus est ut vocetur, seu invitetur. Illa succum ac velut lac e terra excitat, quo plantae alantur atque confirmentur; materiae itaque Yn coepta ab adveniente Yang promoventur, atque adeo non minus utiliter fortunantur, quam concilia unius principis, jam suam aciem educentis, quae inexspectato firmoque auxilio corroboratur.

2) Quae praecedunt epiphonemata jubent sperare, seu exspectare; jam hoc sexto spes impletur etiam cumulatius, cum praeter principes ex occidente exspectatos veniant aliunde aliqui non invitati. Inanem siquidem spem alere non cadit in perfectum sapientem. Ordo is fuit servandus, ut primum spes proponeret, deinde non frustra fuisse doceret Tchou-kong.

CAPUT SEXTUM.



Song { coelum . . . . . Kien.
aqua seu nubes . . . . Kan.

EPIGRAPHE principis OUEN-OUANG.

1. *Soliditatem habet in suis angustiis.*
2. *Si timor sit in mediocri, bonum.*
3. *In fine magnum infortunium.*
4. *Oportet convenire magnum virum.*
5. *Non oportet transire magnum fluvium.*

INTERPRETATIO.

Angustias et curas anxias, quibus ipse licet mente solida perpetuo excruciabatur princeps Ouen-ouang, hac epigraphe vel invitus exponit. Principes enim tunc omnino volebant unum e magnatibus evehi ad solium imperatorium, et in Ouen-ouang tanquam prae caeteris magno viro imperiique dignissimo non solum conveniebant, sed etiam in eo urgendo ad suis votis annuendum erant assidui, et tantumnon molesti. Jam multi nec semel inter se consultaverant, et multo plures contulerant extra fluvium magnum seu croceum (Hoang-ho) quod ab aula non ignorabatur, nec tamen impediri poterat in tam arcta et numerosa magnatum potentium confoederatione, quae variis nominibus bonique publici causis apud ipsum populum defende-

batur. Verum ád illos transire (vid. cap. 5.) nihil aliud principi Ouen-ouang videbatur, quam ab imperatore aperte et intempestive deficere. Quod itaque praecedente emblemate periculosum fecerat, nunc hac epigraphe negat esse omnino faciendum. Licet igitur nihil nisi lites et pugnas videatur loqui emblema, ut vel ex ipso nomine liquet, principem tamen, sicuti decet, populorum patrem a bellis animo abhorrentem, hae epigráphe exhibet, qualem fuisse Ouen-ouang omnes historici Sinae tradunt. At cur non oportet transire fluvium magnum? Causas affert; id quod timendum est, non est mediocre malum, sed potius tale ut ejus exitum excipere debeat ingens rerum conversio, atque adeo forte finis infelicissimus, seu magnum infortunium. Hinc anxietas, hinc sollicitudo diebus noctibusque animum distrahens; nec sine causa. Credibile enim est hunc fluvii magni transitum illis temporis fuisse non absimilem transitui Rubiconis, quo semel superato Romanae reipublicae hostis habebatur, quicunque hoc ausus erat. Utut sit, certum est Ouen-ouang in his rerum circumstantiis noluisse fluvium croceum transire, et conventiculis illis, quae ad australe fluvii littus habebantur, interesse, quod bellum aulae licet odiosae nondum indicendum judicaret.

Nec mirum si ipsius animus, quamvis solidus, variis tamen curis aestuaret, quem in angustias conjiciebant hinc lethales subditorum principum cum imperatore Tcheou discordiae. Hinc etiam nunc clandestinae nunc publicae utriusque partis machinationes. Quod totum utcunque adumbratur hoc sexto emblemate Song, in parte superiore coelum, in inferiore nubes exhibens. „Superius (inquit Confucius in comment. Toen in hoc) est firmum, inferius est periculosum.“ Animus enim

inter pericula gravesque timendi causas excelsus firmusque esse potest.

ADNOTATIONES.

1) Symbola, quae coelum, Kien, et aquam, Kan, referre supponuntur (vid. part. I.) simul juncta hoc sextum emblema constituunt ut patet ipsis oculis.

2) Quod vero istud sextum Song succedat quinto Su causa effertur. opusculo Confuciano Sse-koua-tchouen. Dum res nutriantur, quem statum significat imago et vox Su, existere necesse est mox lites, quae Song vocantur, seu discordias, bella, et pugnas ex natura frigoris cum calore aut siccitatis cum humiditate. In igne, dicunt philosophi in Sing-li, Yang dominatur, in aqua Yn dominatur, omnia unam solam ex duabus aut materiis aut qualitatibus Yn et Yang dominantem et vincentem, quamvis omnia ex utraque seu diversa proportione componantur. Quam ob rem sicut imago quinta Su necessarii alimenti spem ostentat, ita haec sexta Song bella et rixas minatur; unde angustiae inter quas tamen sua manet naturam in operando constantia; nec virum magnum debet deserere fortitudo et soliditas.

EPIPHONEMA PRIMUM, principis TCHEOU-KONG.

In primum sextum.

Non diu durat hoc negotium. Pauca habet dicenda. In fine optimum.

INTERPRETATIO.

Intra exiguum tempus, et paucis verbis est absolutum negotium et quidem felicissimo eventu.

Princeps Ouen-ouang (filius Ou-ouang) magnum hoc mutandi negotium, vix evoluto a morte patris, qui semper cunctatus fuerat, biennio, optatum ad exitum

quam crimen laesae majestatis et forte rebellionis conjiciendum erat. Quapropter nulla illi jam securitas nisi in ipso (ut loquuntur aliqui commentatores et tunc censebant multi) imperii fastigio esse videbatur. Quod etiam emblema exprimit, interprete Confucio: superius solidum et firmum est, inferius periculosum et anceps. In periculis non secus ac in mobilibus nubibus quis securus immotusque consistat? In coelum supra nimbos evolandum est, ut in figuris superioribus (cap. 1. ep. 5,) dicitur de dracone, vel remota metaphora, de principe, qui ad solium vocabatur et cui jam non erat integrum susceptum negotium ad finem non perducere. Sed jacta semel alea expectanda deinceps erat aut mors aut victoria laeta. Facit autem ad gloriam principis Ouen-ouang et cujuslibet sapientis fortis, quando causam obtinere non potuit, nulla causae attulisse detrimenta, ita ut illam brevi vicerit filius Ou-ouang.

ADNOTATIO.

Secunda linea, inquit Tchou-tse, est signum principii Yang, quod per se firmum est, ac inprimis valet in periculis. In hac pagi ad quem receditur et ubi reperitur quies, velut imagine spectari potest quanto praesidio sit virtus ad repellenda adversa et noxia. Ita ille, simulque Tching-tse et Ouang-pi in regiis commentariis adducti. Quae vero aliqui alii fusius disputant (captata ex his occasione) ut suos doceant non esse interdum indecorum jure suo cedere et tempori servire, parum aut nihil faciunt ad textus clariorem expositionem. At suffragantur ita clare principi Ouen-ouang, qui secedere maluit, quam inter quotidiana pericula versari, ut ad illum velut purgandum adducta esse ab illis videantur. Ad mentem vero Tcheou-kong, epiphonematum auctoris, tantum scilicet suum patrem vult in recusandis honoribus, quantus fuerat in emerendis; quod non immerito observatum est.

EPIPHONEMA TERTIUM principis TCHEOU KONG.

In tertiam sextam.

1. *Antiquam virtutem coomedit.*
2. *Si solidam, est timendi locus.*
3. *In fine bonum.*
4. *Forte dum curam habet negotiorum regis, non perficit.*

INTERPRETATIO.

1) Antiqua se sua virtute sustentabat.
2) At ex hac ipsa constantia mentisque solidae firmitate erat timendi locus.
3) Exitus tamen fuit felix.
4) Etiamsi negotia regia ad finem non perduxerit.

Ad patris sui apologiam insinuat Tcheou-kong causas secedendi, nempe in dies crescentia odia et insidiosa pericula, quae senioris Ouen-ouang virtus, licet eximia, vix posset depellere. Et quidem minus mirum est, illum tandem cogitasse secessum, quam tot annos cum adversa fortuna et aula tam crudeli ita feliciter sua se virtute pugnasse, seu, ut loquitur textus, sustentasse, ut incolumis suam domum redire permissus sit, ibique quietus inter suorum manus placide obire. Ex verbis tamen Tcheou-kong apparet patrem fuisse reprehensum aut vituperatum a nonnullis optimatum foederatorum, quod cum negotia publica sustinere adhuc posset, illa repente dimiserit. At id non sine justis causis factum docet Tcheou-kong; et quidem manifestum est discrimen inter hos vituperatores licet amicos, suis in ditionibus tuto versantes, et inter prin-

cipem Ouen-ouang media inter ruinae mortis periculа pro illorum incolumitate atque tota republica laborantem. Sed quid facias? ubique gentium verum est proverbium illud: „facile omnes cum valemus consilia aegrotis damus.“ Filii autem aliique, qui secessum probabant, aegre tulerunt Ouen-ouang sine novis honorum titulis praemiisque viro meritissimo ex antiqua consuetudine debitis, domum suam repetiisse, atque adeo inglorium, ut dicitur alibi. Velut hoc quidem ingratum aulae animum demonstrabat, non vero rejiciendam in aliud tempus discessionem; nam res in pejus ruebant, quarum lapsum filius ejus, ut annis junior, et aulae minus invisus, ita et viribus firmior minusque patiens, sustinere et efferre solus posset. Satis siquidem *est* sapienti fortunam adversam diu oppugnasse, nunquam licet expugnaverit; „perfecisse censendus est, ait Chouking lib. III., si nihil desiderari passus est ad effectum consiliorum.“

ADNOTATIO.

Natura sua cum principium Yn (cujus index est haec linea tertia) sit debile, non potest ita pugnare. Debet ergo in antiquo gradu consistere, sed deinde paullatim fiet, ut licet timendum aliquid habeat, felicem tamen (nempe accedentis Yang auxilio) operationis exitum assequatur; ita in commentariis variorum. Quod non abludit ab eorum veterum philosophia, qui, apud Ciceronem, existimabant, igneum quid esse in omni fusum natura, quod rebus omnibus salutarem impertit et vitalem calorem. Jam enim dictum est igni imprimis simile describi a Sinis philosophis principium Yang, sive hoc nomine intelligatur materia ista coelestis, subtilis, activa, valens, de qua supra, sive illius materiae qualitas aut virtus; a qua quaestione non pendent nostrae textuum explicationes. Non tamen conveniunt Sinae cum Zenone, qui naturam ita definit, ut eam dicat ignem esse artificiosum ad gignendum progredientem via. Nam naturam totam materialem aut massam aiunt subdividi in duas species, quarum altera, tenuis,

pura, qualis descripta est capite primo; altera crassa, segnis, qualis est capite secundo. Prima est Yang, secunda Yn. Non uno itaque, quod vult Zeno, sed gemino principio natura materialis juxta Sinas constare dicenda est; sed clarius de his omnibus parte tertia agendum erit, quam consule.

EPIPHONEMA QUARTUM principis TCHEOU-KONG.

In quartum nonum.

1. *Litem non evincit; rursus mandatis obtemperat.*

2. *Mutando, si nititur solido, optimum.*

INTERPRETATIO.

Negotio publico nondum ad finem perducto obsequendi interea consilium capit. Ad quod mutandum, quandoquidem solidis rationibus inductus est, felicissimum exitum habuit.

Cum princeps Ouen-ouang res publicas dimissurus secessum cogitaret, hoc studiose effectum est, ut Ou-ouang paternae virtūtis imitator, in amplissimum munus succederet, quo publicis negotiis praeficiebatur. Haec vero quandoquidem cum aula regiisque ministris saltem multa conferenda erant, necesse illi interea fuit, subditi seu vasalli officia implere, dum magis ac magis novis saevitiis ac morte aliquot principum, quorum supra meminimus, caeterorum animi vehementius exasperantur, et majore quam antea studio ac conatu omnia parantur, ad bellum sine ulla mora, palamque imperatori Tcheou indicendum. Hujus causas in expli-

cationibus nostris saepe attingere necesse fuit. Hoc ita que loco satis fuerit annotasse id solum, quod in comi tiis Ou-ouang perorasse narratur in Chou-king scilicet, impediri se religione quominus ab incepto desi stat. Familiae, inquit, Chang peccatis cumulus acces sit. Coeleste mandatum est, ut puniatur. Si ergo illi non obtemperavero, meum peccatum aeque grave erit. Hoc itaque mandato ex novis prodigiis, quae ibidem refert, rursus cognito, urgenteque ob novas saevitias, tanquam fundamento solido niti se ad imperium cum proficisceretur, nihil mirum, si finem negotii optimum ac felicissimum belli exitum (qualis revera fuit) omnibus pollicitus sit.

Quo promisso id etiam assequebatur, ut paucos illos, quos (ut praetexebant) officii ratio suspensos ancipitesque habebat, coelestis mandati nomine ad se pelliceret, et qui metu aliquo absterrebantur injecta eorum animis non dubia spe erigeret. Neque enim omnia terrore aut armis agenda, sed invitationibus, praemiis, opinione religionis multa.

ADNOTATIONES.

Quaeritur in commentariis, quanam ratione in virtutem Yang, quae natura sua fortis est, cadere possint haec verba: litem non evincit, aut quod eodem recidit, intentum non obtinet. Quaestio est omnino ad rem, nam efficacitatem ferme omnem tribuunt illi suo principio Yang. Ad hoc respondent plerique interpretes, his exprimi eum virtutis gradum, qui rei perficiendae aut virtuti Yn omni ex parte vincendae tunc impar est, exprimiturque symboli Kien linea infima, quae tamen in emblemate est quarta. Quapropter quarta haec linea, concludit doctor Yang-tse-kien, adumbrat initium victoriae solum, quo tempore non vinci, magnum est.

EPIPHONEMA QUINTUM principis TCHEOU-KONG.

In quintum nonum.

In litibus optimum.

INTERPRETATIO.

Ex dissidiis bellisque magnum bonum reipublicae existere potest.

Cum vulgus perturbato imperii statu contraria in studia scindi soleat, non deerant, quibus vel ipsum belli nomen erat odiosum. Nec id mirum videri debet. Nam juxta annales, atque adeo obsoleverat memoria dissidiorum, quae per ultimum imperatorem Kie, primae familiae, et inter clientelares principes populosque ad internecionem exarserant. Hujus enim imperatoris aetate illa aetate praeter caeteras nobilitata crudelitas. His itaque bellum esse malum respondet ita Tcheou-kong, ut velit intelligi, non omne bellum esse malum, sed esse aliquod belli genus reipublicae utile; quo nimirum pax nihil habens insidiarum et stabilis populi felicitas sincere quaeritur. Hoc certe unum se spectasse aliquoties profitetur novus imperator in libro canonico Chou-king, docentque passim doctores Sinae, etiam gravioribus verbis quam nostri veteres: „suscipienda bella ob eam solam causam ut sine injuria in pace vivatur; ita gerenda seu administranda ut pax quaesita videatur.“ Duplex autem injuriae genus statuunt, quod bello justo causam dare potest; suorum rebellio, et vicinorum invasio. „Justum (ait Queisiang sub Han florens) bellum illud est quod geritur ad comprimendos suum in imperatorem rebelles,

tum ad tuendum contra quoscumque invadentes nostrum imperium. Exercitus nostrorum imperatorum, qui ad hanc regulam molitiones exegere suas, a populis omnibus cognominati sunt vindices justitiae copiae. Huicne tam praeclaro nomini praeferri debent alii tituli, quos aut cupiditas aut ambitio comparare potest? Imo eos qui non pugnant pro salute communi, sed pro suis tantum commodis, scriptores multi suis in libris vulgo vocant latrones, praedones, vilesque homines, aliisque id genus probris proscindunt. Quod ideo forte faciunt ut apud suos minuatur opinio bellicae gloriae, atque ex ea oriens in audacibus et elatis animis bellandi studium. Et in hac doctrina convenire videntur cum Platone, qui ait: „non solum scientia quae remota est a justitia, calliditas potius quàm sapientia est appellanda; verum etiam animus paratus ad periculum, si sua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciae potius habeat quam fortitudinis“ etc.

Ita sentiendi causas multiplices afferunt isti philosophi et interpretes, quas partim repetunt ex utilitate populorum quorum „quies vitaque nullo pretio commodoque compensari ferme potest, partim ex probitate ac honestate quae inter bellorum perturbationes plerumque negligitur,“ et etiam corporis armorumque praesidiis paullatim postponitur. „Proh dolor! (ait Confucius, cujus tempore bellum ubique exarserat) a prisca sapientia deflectere coepimus, male resumptis armis quae Ou-ouang, hujus regnantis familiae conditor, jusserat recludi. Nunc denuo robur militare, nunc artes bellicae sunt in pretio, virtus autem negligitur, quae tamen una scopum verae laudis attingit, et, cum robur corporis acquiri nequeat, discendo virtus potest.“ Quae commentatores libri Lun-yu [1]) ita sapienter ac

1) Tchang-ko lao in Lun-yu, aliique in Ta-tsuen.

severe interpretant, ut, licet gentiles, aut belli odio aut amore pacis, aliquibus politicis christianis longe superiores esse videantur.

ADNOTATIONES.

1) Imperator Han-ou-ti, quod, non contentus victoriis de rebellibus domitis et de repulsis imperii fines invadentibus, in regna Sinis occidentalia (quae Si-yu nomine complectuntur) bellum intulerit, multisque annis foverit sola latius dominandi ambitione, arguitur a sapientioribus ipsisque dynastiae Han-tchao historicis, tanquam ignarus verae artis parandae famae et gloriae. Inde accidit 2), ut, cum Imperator Suen-ti nepos mandasset suis magnatibus, ut concilio habito titulum aliquem honorificum solitis Imperatorum titulis nominibusque superaddendum illi decernerent, obstitit Hia-heou-tchong, vir litteris clarissimus, et unus e praecipuis rerum administris, causam afferens, „bellum hoc nec pacis tuendae necessitate, nec bono populi susceptum gestumque caesis innumeris militibus, exhaustis imperii thesauris sine vera utilitate.“

2) Inter orta ex bellis detrimenta, non solum ea quae patitur populus sed ea etiam quae patitur virtus, numeranda esse docuit imperator Ouen-ti suis litteris ad Tchao-to, tum australium Sinarum dominum et volentem nominari imperatorem. „Licet sis dominus in tam magnis regionibus, non ideo solum attendere debes ad tua lucra, sed potius ad damna populorum ex tuis hactenus irruptionibus profecta, majoraque deinceps futura excitato inter te et imperium bello. „Id „etiam atque etiam recogita, duos imperatores apud Sinas „esse non posse, et, ut id accipiatur, necesse erit inde bellum „maximum perpetuumque exurgere. At in armorum tumultu „ac licentia quantane fiunt virtutis detrimenta?“ His rationibus cessisse Tchao-to narrant Annales.

3) Ad figuram quod attinet, haec quinta linea, aiunt interpretes, victoriam principii seu virtutis Yang exprimit; ita ut pugnae cessent omnes, resque ex mutuo concursu atque in operando consensione invalescant; ex hoc scilicet caloris frigorisque dissidio, (quod Empedocles litem vocat, sicut ex graeco

1) In Han-che.

vertere latini nostri) mutuaque pugna existit rerum ipsarum per varios mutationum gradus incrementum, prorsus ut in haec etiam non incongrue cadere possit Epiphonema quintum: in litibus optimum.

EPIPHONEMA SEXTUM
principis TCHEOU-KONG.

In sextum nonum.

Porta post dono datum caerimoniae cingulum intra unum matutinum tempus ter superbe se ornat.

INTERPRETATIO.

Nullumne adhuc finem facit sumptuosas vestes mutandi ac induendi, ut hactenus solitus est etiam extra tempora caeremoniarum, in quibus insigni cingulo velut inaugurantur ac velut decorantur magnates.

Inter alia perverso imperatori Tcheou exprobrabatur quod nimios etiam in vestibus sumptus faceret. Tantum, inquiunt in Chou-king lib. IV., in vestibus conficiendis insumit, ut populus ex his expensis detrimentum patiatur. Imperatorem scilicet suum politici ac philosophi Sinae in caeremoniis publicis, imperiique rebus docent debere esse magnificum ac sumptuosum, at domi in privatis negotiis parcum, pecuniaeque e vectigalibus collectae velut sapientem oeconomum. „Legislator (aïunt libri historici Tsien-pien, Tong-kien, Kien-ju) Yao mediocritatem omnibus in rebus usuque adamavit. Pileolo usus est flavo, veste vulgari, curru rubro, equo albo. Quadrigam habuit mundam sed sine picturis, sine superfluis ornamentis; tapetes leniter tex-

tos, sed nec floribus distinctos nec acu pictos, mensam sine exquisitis ferculis. Nihili faciebat gemmas, lapillos et caetera pretiosa, nisi quae ad cultum supremi imperatoris Chang-ti ipsi adhibenda videbantur. Hunc secutus imperator Yu, primae familiae imperatoriae auctor (ait Confucius in Lun-ju, et comment.) parcus erat in re cibaria, idem tamen liberalis, magnificus ac mundus in caerimoniis. Vulgaris passim erat vestitus, at singularis ornatus splendorque in vestibus caeterisque ad ritus adhibendis. Ad eorum exemplum princeps Ouen-ouang narratur ab omni semper luxu abhorruisse, ut persolutis aulae cerimoniis vulgares statim vestes indueret. Quem morem coluit et studiose retinuit filius Ou-ouang, ut vel in hac re imperatori Tcheou quem debellaverat dissimillimus haberetur. Ex hac utriusque collatione major apparebat *speditas*, cum alter cultu indoleque muliebri potius fuisse, alter virili regioque animo esse censeretur. Civiles autem inter ritus is inprimis erat celeber et magnificus, quo imperii comitia cogebantur, non solum ex aulae regiae magnatibus, sed ex omnibus imperii dynastiis, qui sub Tcheou-tchao bene multi erant, tum ad imperatoris ipsius inaugurationem, tum ad filios mortuis dynastis sufficiendos, tum ad aliquem e magnatibus bene meritum nova ditione regulique insignibus (inter quae erat cingulus gemma insignis) remunerandum, in quibus omnibus et induendae vestis forma et rerum species adhibendae et reverentiae signa ita sigillatim praescripta erant, ut haec non servare videretur non solum indecorum, sed etiam ineptum, imo (ut apparet ex Chou-king lib. VI, cap. 3.) contra rationem peccare, et honesti rectique fines praetergredi.

ADNOTATIONES.

Aiunt commentarii vulgares hanc figurae ultimam lineam esse velut terminum litium ac pugnarum quem infert victoria. Nam etiam nubes suos in coelis terminos habent, quos ultra non feruntur, et mutuae elementorum in rerum generationibus pugnae suis etiam finibus continentur, auxilio scilicet et constantia principii seu virtutis Yang natura sua efficacis, quemadmodum a Stoicis tradi solebat. Singulis scilicet naturis multa externa quominus perficiantur, possunt obsistere, universam autem naturam nulla res potest impedire, propterea quod omnes naturas cohibet et continet.

Nec mirum Sinas philosophos docere, omnia ex mutuo utriusque virtutis seu principii, seu materiae Yn et Yang concursu generari, et ad debitum cuilibet generi rerum decus roburque promoveri. Nonne, ut alios taceam, apud Ciceronem idem mutatis nominibus propugnatur: omnia quae terra concipit semina, quaeque ipsa ex se generata stirpibus infixa continet ea temperatione caloris et frigoris et oriri et augescere, nempe ad praescriptos natura terminos. Quod vel oculis patet in optima etiam terra floribus frugibusque suo tempore vestita, ac ita luxuriante, ut non solum suas opes ostentare videatur, sed etiam cultores suos suis opibus quasi velle remunerari. Verum labes spectari brevi incipit in eadem postea arescente ac nuda, ita tamen, ut haec rerum decrementa suos etiam fines habeant, quos certe ne pereant, praetergredi non licet. Ab hac porro naturae observatione quae a Sinis petitur moralis instructio est de mediocritate servanda, in qua explicanda infiniti sunt et ad quam inprimis pertinet omnis liber Confuciannus Tchong-yong. Valet siquidem et in physica et in Ethica illud

Est modus in rebus, sunt certi denique fines.

2) Contra nimios sumtus luxumque et etiam suorum imperatorum multa habent Sinae scriptores variarum aetatum. „Imperatores, ait Hou-ju, sub Han ante Chr. florens, sunt a coelo constituti in tanto fastigio, ut populo felicitatem tota sua cura ac providentia procurent, non vero ut soli felices esse velint, de opibus augendis deliciisque inprimis solliciti.“ In nostris antiquioribus historiis (inquit Tchin-youen sub Tsin, IV sec. p. Chr.) leguntur aliqui imperatores satis ha-

luisse tela indui. Imperatrices et reginas veste uti munda non floribus depicta nec acu picta. — Longum esset referre cetera. Haec pauca e tam multis quae habent sufficere possunt ad eorum doctrinam intelligendam.

CAPUT SEPTIMUM.



EPIGRAPHE principis OUEN-OUANG.

Solidum vir egregius; bonum sine ullo malo.

Jam in expositione sexti emblematis breviter retulimus principem Ou-ouang successisse patri suo in munus amplissimum praefecti seu capitis omnium principum inprimis clientelarium, qui octingenti fuisse dicuntur in historia et in Confucii libro Tchong-yong ejusque commentariis.

Atque hoc vix aliter fieri potuit; nam cum illi novem ante annos protestati fuissent publico instrumento, se a regio concilio non posse tuto mandata recipere, si eo quo Ouen-ouang ab aula secessit tempore, suae ipsi postulationi et, ut vocabant, aequissimo juri nuntium remisissent, omnium repente inimicorum suorum telis aulae graviter offensae ultioni patuissent. Eorum itaque animos, ut sibi secessum cogitanti non

solum devinciret, sed etiam sollicitudine liberaret, sum filium illis proponere debuit tanquam virum maxim negotiis parem, qui vices suas egregie obire posset, tanquam eximium ducem. Vocem enim Sse, vel alii pronunciant Chi, multi, ut Tching-tse unus praecipuis interpretibus, vertunt in aliam figura similc Chouai, quae certo significat ducem generalem, exe citus magistrum (quem adumbrat haec figura) a cuju virtute sit expectanda victoria certa et laeta, nullius que damni luctu, nec multo sanguine aspersa. Sensu itaque epigraphes clarus est. Negotium adhuc fiet so lide, si praesit, ut Ou-ouang, vir egregia animi vir tutisque bellicae laude clarus. Ab illo siquidem feli exitus sine malo procreabitur. Nam, cum supponatur esse vir fortis et praesentis animi, non frangetur pericu lis; et sit alioquin peritus rerumque usu exercitatus, ita omnia videbit, ut pax ac populorum quies brevi consequatur. Haec imago (ait Confucius) exhibet aquam in medio terrae, et vocatur Sse. Princeps sapiens solertes populorum animos tractans, fovet multitudinem. Ita ille in Siang, at in illo suo commentario Toen dicto: „Si, ait, possit rectam reddere multitudinem, poterit in regem erigi.“

Ad continendam autem multitudinem valere inprimis docet eximiam animi provisionem, qua queat singula perspicere, et, ut in Tchong-yong dicitur, penetrare et comprehendere tum singularem in agendo magnanimitatem, seu robur et invictam in tuenda justitia constantiam, qua omnia tueatur conservetque; ex quibus sequitur nihil inordinati timendum esse tunc in imperio, sed omnia solida consistere. „Nihil hactenus ausus fui perturbate aliquid transgredi, ait deinde Ou-ouang graviter aegrotus, quibus, additur in Chouking, ad filii institutionem aliisque ad populi bonum

pienter dictis, dimisso procerum consessu, aegrum corpus strato reposuit et sequenti luce vivere desiit.“

Expectationi itaque quam pater Ouen-ouang principibus excitaverat, perpetuo respondit filius, qui sicut virtutibus fuit egregius, ita et in negotiis felix, quod supra semel iterumque attigimus, ubi mentio incidit de belli hujus eventu, qui opinione hujus principis potius, quam foederatorum armis obtentus fuisse a Sinis scriptoribus observatur. Nec mirum. Ubique enim famae maximum in bello utique momentum est, ut loquitur Curtius, et ut docent Sinae, famae parandae via certa est egregii viri ad bellum delectus. Qui est moralis sensus totius epigraphes hujusque capitis.

Egregium autem exercitus ducem seu imperatorem ita effingunt: „In suscipiendo ita attente omnia circumspicit, ut vix unquam sua ipsum fallat opinio. Peritos internoscit, eosque velut e turba eductos excolit, ut meliores fiant; quod unusquisque e suis inferioribus habet verae facultatis ac talenti, eo scit suo tempore et loco uti, atque adeo plerumque feliciter. Ut venit in conspectum hostis etiam numerosi, animos non dimittit, sed aequo vultu imminentem spectat. Inter proelii pericula securus, minimeque anxius videri vult; nec suorum caede, nec hostium ira accensus, praesenti animo est, cui in subitis casibus occurrant consilia, non quaerantur. In remunerando ita liberalis ut nulli parcat sumptui, ne debita praemia a bene meritis desiderari possint. Disciplinae militaris justitiaeque tenax, omnes in officio continet; a vindicandis criminibus nec ullius precibus, nec ipsis miserorum malis abducendus.

ADNOTATIONES.

1) Septimum hoc emblema duobus ex symbolis componitur quorum alterum terram, alterum aquam, antiquo instituto, ut saepe diximus, significat.

2) Jam docuimus apud Sinas tum interpretes tum philosophos sextum emblema minari rixas et pugnas, quae existunt ex interni caloris frigorisque (quae sub nominibus Yn et Yang inprimis intelliguntur) vicibus in ipsa rerum productione. At hoc sextum emblema Sse nunc exercitus et bellum loquitur, atque haec est causa (ait Confucius) cur figurae sextae Song haec septima succedat in ordine quem Sse nominavere antiqui. Turgentibus siquidem frumentis caeterisque frugibus tantumnum maturis externa multa non raro nocent imber, grando, tempestas, aliaque inimica et inexpectata.

Atque haec de physica figurae explicatione sufficiant; ea qua ad moralem seu potius politicam doctrinam excurrunt suo more interpretes nonnulli, sapientius certe ac verius quam Stoici illi, qui Jovis figuram aëra, aliorumque deorum simulacra alias res naturales interpretati concludebant. Videtisne igitur, ut a physicis rebus bene atque utiliter inventis tracta est ratio ad commentitios ac fictitios deos? Nam licet Sinarum libri Y-king interpretum a physiologia, quovis emblemate expressa, transit ad moralem sioensum, quod supra non dissimulavimus, sit interdum detorta et violenta, nihilominus sensus semper omni a fictione et vitiis ita abhorret, ut rationi ac probitati conveniat, adde quod nihil habent figurae exotici et absurdi, non bicipites, non triformes, aliaeque contra naturae ordinem a Graecis excogitatae ne parum falsa viderentur, sed naturalia veraque habent omnia, puta Coelum, terram, pluviam, aquam, ventum etc., quae ut in picturis colore exprimi solent melius, ita in Y-king facile pinguntur lineis ad haec significanda inventis.

3) Doctor Tching-tse, quem paullo ante appellavimus, ad generalem armorum praefectum istam epigraphem trahit, simulque ipsam figuram, in qua potens linea Yang una, velut dux, inter quinque, omnesque debiles lineas Yn eminet. Qua propter accepta ex his occasione, pluribus philosophatur de morali militum disciplina: „cujus basis et fundamentum „esse, ait, debet ipsa rectitudo, perinde ac civilis disciplinae „populique regiminis. — Sin minus vel populus non sequetur, vel regnum velut veneno inficietur. — Generalis non „debet sibi conciliare fidem ac reverentiam solo metu, sed „potius amore, efficiendo, ut corde militiam ament et sequantur.“ Caetera nihil opus est referre, quae forte facilius prae-

cipi quam praestari posse nostris ducibus viderentur. Sed tantum annotabo, licet a rectitudine enasci regulas disciplinae militaris cum Tching-tse plerique velint, non tamen excludunt a vera belli scientia industriam artesque. Imo in his suos excelluisse duces, quos gens habuit a prima antiquitate celeberrimos. Nec immerito, nam illorum annales pleni sunt id genus bellicis facinoribus ac victoriis, arte potius quam vi et fortitudine obtentis. Habent et ad suos docendos hoc pugnandi genus non paucos libros, in quibus collecta sunt bellica stratagemata olim posteaque felici cum exitu excogitata a viris, quos (ut epigraphe loquitur) pro egregiis habent ob solide constitutam rempublicam hostibus qua arte, qua virtute superatis, paceque imperio restituta, uti factum diximus a Ououang.

4) Licet viri egregii mentem solidam telluris soliditate, perspicaciam aquae claritate adumbrari supponatur, non inde concludi volunt nihil esse timendum malorum et bellorum et dissidiorum, quae ab hoc septimo emblemate exprimantur. Nam vel ipsa aqua, quae fovet terram, eandem destruit, si nimia sit; multo magis nocet vir nimium perspicax ab aliis quantumvis oculatis semper dissentiens, nullius acquiescens consiliis, omnia se unum videre, nullisque se adstringi debere putans agendi legibus. Ex hac nimia, quae inde existit fiducia, licet, inquit interpretum unus, interdum prodire possit aliquod bonum in subitis casibus rebusque ferme desperatis, plerumque tamen infortunium et poenitentiam existere necesse est. Ita ut casui potius quam peritiae, si quid fortunatum contigit, tribuendum sit. Perspicaciam itaque viri egregii, ut aquam, finibus contineri volunt, ne damnosa sit. Quod idem docent philosophi nostri et uno versu Euripidis: mens quae sapit nimium, non nisi damno sapit.

EPIPHONEMA PRIMUM principis TCHEOU-KONG.

In primum sextum.

Si milites exeant, leges sequantur. Si non bene, pessimum est.

INTERPRETATIO.

Quae prodeunt in aciem copiae sunt illae militaris disciplinae observantiores, prorsus ut ab illorum motibus nullum detrimentum populis sit extimescendum, quod pati solent a dissolutis militibus.

Ubique terrarum nimia militum licentia evadit in aliquod magnum malum, quod a populis quorum animos demereri studebat Ouen-ouang ut averteret, severa admodum temporique opportuna suis dedit praecepta, quae in Chou-king lib. II. c. 4. et lib. IV. referuntur, et quorum summa est, ut parcatur inermibus subditisque, nec nisi defensionis causa pacisque obtinendae consilio ullus occidatur. Unde factum est, ut copiae principis non odiosae venerint ad populos subjectos, vereque dici potuerit et vulgatum sit: Milites (ita textus) exeuntes leges sequuntur. E contra nihil nisi crudele ac turbulentum expectandum erat a cohortibus hostilibus, quibus praeerant scelerati aulici plerique, a quibus populus sic abhorrebat, ut pars in avia fugeret, pars occupatis montium angustiis quoscunque invenisset gladio occideret. Quapropter cum fama stent bella, nihil mirum est si plerique benignitate principis Ou-ouang rumoribus secundis ad se perlata cesserint, ultro deponentes arma, quae ab imperatore crudeli Tcheou jussi fuerant capere. Quo omnium ferme

populorum consensu, bellum quod multos annos in tanta urbium oppidorumque multitudine tenere poterat, paucis mensibus fuit absolutum.

ADNOTATIONES.

Haec linea prima (ait doctor Ouang-pi) est initium istius figurae, simulque doctrinae ejus; colligendi scilicet ordinandique sunt milites: quod optime succedit, si ad disciplinam militarem revocantur; quam non observare nihil est aliud quam dissipare milites. Quibus ut inprimis observandum, addit doctor Tching-tse: quod licet accidere possit, ut aliquando militibus dissolutis aliquid fortunati succedat; nihilominus, inquit, haec agendi ratio est via ad infortunium. "Quod saepe et fere semper subsequitur temerarios, legisque ad publicam ac privatam salutem constitutae incautos contemtores. Ceteri interpretes eadem de militia disputant etiam pluribus, jam fere immemores suae physiologiae et figurae, nisi forte ex dictis supra hi philosophi supponere dicantur ventorum nimborumque praelia, quae juxta communes naturae leges interdum excitari, nimiaque esse censentur, hic etiam significari; utpote quae non minus nocent frugibus quam plerumque milites leges transgredi ausi disciplinaeque impatientes nocent populo; adeo ut paris ferme detrimenta tum ab inordinatis tempestatum procellis, tum ab effrenatae militiae motibus sint extimescenda.

EPIPHONEMA SECUNDUM principis TCHEOU-KONG.

In secundum nonum.

Est in medio militum. Bonum est. Nullum est malum.

Rex tria diversa mandata dedit.

INTERPRETATIO.

Versatur jam in castris suos inter milites; nihil

hon sperandum, nihil prorsus timendum. Suis en optima mandata dedit, et quidem triplicis generis.

Quae mandata dedit princeps Ou-ouang, ubi castra pervenit in Mo-ye primum posita, leguntu in Chou-king parte quarta, cujus prima capita spe tant ad ejus gesta et dicta. Praecepit itaque, 1) ut m lites ignavi suaeque militiae desertores morte puniren tur; 2) ut bellatores bene meriti amplis praemiis d parentur; 3) ut parceretur inermi populo; quo etian nomine comprehendi voluit ille hos quoque milites, qu ab hoste Tcheou ultro defecerunt, et qui viventes in manus suorum inciderant, habendique ideo erant captivi, libertate eis restituta. Sunt qui existiment hoc loco principem Tcheou-kong iterum alludere ad tres illos hospites, quorum ille meminit, in suis ad quintum emblema epiphonematibus, quos jam diximus novi imperatoris Ou-ouang constitutos dynastas in tribus diversis provinciis. „Imperator, ait celeber Kong-in-ta, dedit tria illa mandata ob illorum merita,“ prior tamen expositio videtur magis convenire tempori, quo Ou-ouang erat in medio militum. Tunc enim necesse erat illos docere, quid facto opus, et ad pugnam jam jam profecturos spe metuque continere. Distributio autem agrorum et ditionum haud dubie victoriam secuta est, ut constabit ex mox dicendis. Ceterum quaecunque placuerit interpretatio, hoc tamen clare liquet, ita manifeste agi hoc in loco de militibus, de exercitu, de bellis civilibus, ut in verbis textus explicandis allegorias et mysteria comminisci nihil aliud sit, quam luci tenebras velle affundere. Nihil erubescit veritas, nisi abscondi, gaudet videri, ait Tertullianus. Si qua esset mystica quantumvis supponatur, scrutanti vel oc-

curreret, vel umbra aliqua illuderet. Hic ne umbrae quidem color est.

ADNOTATIONES.

Secunda haec linea, quae refert virtutem Yang, est inter ceteras Yn ut dux inter milites. Ab illa ceterae revolvuntur, utpote quae ingenitam firmitatem retinet. Ita etiam a duce milites aguntur, et ab ipsius fortitudine pendet eorum victoria. Ita interpretes, quorum aliqui excurrunt in munia ducis exercitus, officiaque militum, eaque dicunt, quae referre inutile sit; exempli causa tamen sit — virtus, inquit Tching-tse, Yn nihil admodum potest nisi subsidio vis Yang, nempe principis, juvetur — Unde concludit salutem exercitus maxima studiorum id genus consensione contineri.

EPIPHONEMA TERTIUM principis TCHEOU-KONG.

In tertium sextum.

Milites videntur deponere sarcinas in curribus. Male: seu, o infortunium.

INTERPRETATIO.

Sunt inter milites qui sarcinas colligunt ad redeundum, o infortunatum quem ita male deseruntur.

Plures etiam quam optaverat princeps Ou-ouang, ex exercitu invisi imperatoris Tcheou ad suum transierunt. Unde imminentis cladis praesagium ab omnibus nec immerito sumptum est. Et quod pejus fuit, plerique ex illis qui imperialia castra non deseruere „non habebant (ait Chou-king pag. 4. et historia Tong-kien) verum animum pugnandi;“ videtur ta-

men Ou-ouang noluisse illis copiis, etiamsi earum du ces remuneratum postea fuisse eum constet, tum e Chou-king, tum ex annalibus, et quoscumque mil tes ex hostilibus signis ad sua se recipientes salvos t tosque esse voluerit, aequitatis naturalis memor, qu Sinae aeque ac nostri duces docentur, „eos (ipsa Tull verba sunt de offic. lib. I.) qui, armis positis, ad impe ratorem confugiunt, quamvis murum aries percusserit recipiendos esse.“ Delecta igitur tantum pauca sun ex copiis principum foederatorum millia, quae cum host cominus confligerent, uti ex eodem libro canonico re tulimus. Milites (ait Confucius in commentario Y-king dicto Siang ad hunc locum) dicuntur depónere sarci nas in curribus, sive redire aut reditum parare, quod ne minimam quidem gloriam adepti sunt, nec in anti quis castris tyranni Tcheou, quae scilicet prius de seruere, nec in novis, a Ou-ouang his totque trans fugis, si quaeritur, non una occurrit causa. Vel enim sibi decorum magis censuit princeps solis suis viribus debellare, vel minus tutum non diffidere armis incon ditae forte et raptim collectae a tyranno multitudini. Sunt qui putent turpem hanc desertionem dissimulan ter a Ou-ouang acceptam, nec palam laudatam; quod factum hoc neque honeste probare posset neque utili ter rescindere. Magnum siquidem ex illa defectione a tyranni imperio existebat reipublicae emolumentum, coeptique perficiendi compendium.

ADNOTATIONES.

1) Sarcinas in curribus depónere nihil aliud est nisi redire, ajunt Commentarii typo regio non ita pridem editi ad haec textus verba, quod et aliunde satis patet ex antea re latis, convenitque cum gallica loquendi „formula plier ba gage“, et latina „vasa colligere, convasare“, de homine jam re deunte aut mox redituro, et etiam de militibus circumspicien tibus fugam.

2) Mos tamen fuit imperatoribus antiquis Sinarum, ipsique Ou-ouang, non ita curare de redimendis hostium manibus captivis.

3) Tertia haec linea, ait doctor Ouang-tchin-tse, nec est in medio nec in directo loco, exhibetque virtutem Yn, ubicunque illa sit, natura debilem, simulque virum hominum similitudine sua in debilitate seu pravitate vitiose constantem, similem scilicet illis desertoribus, qui licet jurati a Tcheou tamen defecerant, quod, ajebant, ex metu non ex animi sententia jurassent.

4) Potior est sententia eorum, quibus linea haec seu vis Yn militibus in praelio sine plaga captis, quod dicerent numerum aliquem armatorum juvenum, si honeste mori voluissent, turpiter capi non potuisse. Poenae itaque loco id statutum videtur, ne spe reditus propensio ad ignaram fugam foveri videretur. Interdum tamen secus factum constat ex annalibus, ubi multi adhibiti conatus ad aliquos duces similesque ab hoste recipiendos narrantur. Licet non in medio, vicina tamen cum sit medio seu mediocritati, qua omnia temperantur, videtur innuere cessationem aliquam a malis aeris mutationibus, quibus saepe tanquam a bellis externis terram frugesque vexari supponit in prioribus lineamentis septima haec figura emblematica.

EPIPHONEMA QUARTUM principis TCHEOU-KONG.

In quartum sextum.

Milites ad laeva castra metantur. Nullum est malum.

INTERPRETATIO.

A militibus qui ad occidentem castra posuere nihil est pravi metuendum.

Etiamsi multi e principibus foederatis in eam (etiam vivente principe Ouou-ouang) ivissent sententiam,

non esse exspectanda extrema, sed perniciosis prava aulae consiliis occurrendum; satius esse nihilominu judicavit filius Ou-ouang expectanda sibi mali impe ratoris arma quibus ad pugnandum cogi videretur justa (ut professus fuerat) defensionis causa, tum suae tum imperii salutis. Copiae vero illae ex orientalibus im perii partibus fere collectae castra metatae sunt prope locum Mo-ye, in quo sua jam posuerat Ou-ouang circumducto vallo. Quapropter imperiales milites orientem seu dexteram, foederati contra Tcheou occidentem (ex occidente plerique advecti ut supra diximus) seu sinistram laevamque obsidebant. Is ergo sensus est apologistae Tcheou-kong; quod, licet suae copiae celebritate sua non praeverterint, nihil in hoc fuit peccati; nihil erit in hac cunctatione detrimenti; nihil est inhonesti. Nam illi milites, ait Confucius in comment. Siang hujus loci, non desunt officio suo; eo nempe consistentes loco, qui ipsorum imperatori opportunus videtur, temporique venientes, quae militiae lex est.

ADNOTATIONES.

1) Castra ad laevam posita, juxta interpretes physiologiae amantes exhibere possunt minas ventorum ac tempestatum frugibus male ominosas, et interdum non noxias, vincente omina populi felicitate aut potius opportuno vento qui aut discutit, aut in pluviam vertit —

Pit quoque ut interdum validi vis incita venti
Disrumpat nubem — — — —

2) Doctor Ou-tchi-teng, relatus in comment. reg., censet illud discrimen dextra et laevae significare prius ac posterius, adeoque posse referri ad duplex mappae genus, quorum alteram priori Fo-hi, alteram posteriori Ouen-ouang tribui jam diximus. Verum ne haec quidem explicatio, si ad physicam referatur satisfacere potest ut per se patet. Praeterea quid ad castrorum expositionem facit mutatus situs octo symbolorum in antiqua fundatoris Fo-hi mappa, et in nova prin-

ipis Ouen-ouang aliter dispositorum. Neque enim inter utramque mappam aliud interest, quemadmodum ipsa rei expositione demonstratur. Sed interdum, ut nostris interpretibus, ita Sinis, difficultas quae legendo occurrit, aut intacta penitus, aut adhuc insoluta in illorum prolixo commentario relinquitur. Satius, meo quidem judicio, fuisset nullam hic similitudinem quaerere inter figurae lineamenta et subjectae sententiae verba, ut sapienter fecit Confucius, historico hic contentus sensu. Neque enim opus est, ut comparationes, parabolae, symbola, emblemata, a re expressa nihil omnino discrepent; quae non male adumbrata dicenda est, si ex similitudine praecipuus sensus satis intelligitur.

EPIPHONEMA QUINTUM principis TCHEOU-KONG.

In quintum sextum.

Praeda est in campis, oportet loqui de illa capienda. Nullum est malum natu majoribus committere milites. Natu minores ad sarcinas adhibere, licet solidum, malum est.

INTERPRETATIO.

Cum praeda jam in campum prodierit, hoc unum superest discutiendum, quanam via capi possit ita ut non erretur. Annis ac virtute robustos duces ad pugnam deducere necesse est. Sarcinas vero et reliquam belli suppellectilem juvenibus, et nondum firmis committere, licet statim videatur solidum prudenterque factum, esset tamen periculosum atque damnosum.

Juvenes illi, utpote minus exercitati, licet non minus prompti (explicat Confucius hujus loci commentario) non debuissent mitti, aut ad res momenti aliqu-

jus adhiberi. „Si enim ab imperitis fit pugnandi *ini*
„tium, victoria non acceleratur, sed retardatur. Dubiæ
alea nihil deciditur.“ Quae est etiam sententia *princi*-
pis Tcheou-kong in Chou-king l. v. c. 8. „in
praelio inexercitati milites multum obesse possunt, pa-
rum prodesse.“ Commendat itaque et in hoc loco, nec
immerito Tcheou-kong fratris sui prudentiam, qui
non solum bellatores omni ex numero selectos secum
in aciem duxit, sed etiam sarcinis et instrumentis bel-
licis viros fortes praefecit, neglecta illa multitudine ju-
venum imperitorum aut sibi transfugarum, quos ne
quidem ad necessariae suppellectilis, impedimentorum,
annonaeque custodiam adhibendos esse voluit, magni
eam momenti ratus, ad felicem belli exitum. Nihilo-
minus „omnibus indiscriminatim (ait Chou-king IV)
„parta victoria, distribui jussit communes scilicet *ad*
„bellum congestas in aerario gazas, et collecta suis in
„horreis frumenta, quibus remuneratus est quatuor *ma-*
„rium homines (omnes scilicet suos e toto Sinico im-
„perio) et populi recreati sunt ad submissionem, novo
„nempe imperatori promptius exhibendam.“

Praedam prodire, capere, et ut dicitur Cap. III.
op. 3. cervum persequi, idem sonat, ac hostem, seu im-
peratorem Tcheou oppugnandum venire, quem in-
vadere premereque necesse sit, metaphora ab omnibus
interpretibus agnita, imo apud Sinas satis trita. Cele-
ber doctor Koue-tse sub prima dynastiae quintae initia
florens, hac similitudine praedae et cervi respondit Han-
hao-thou conquerenti, quod exercitus duci Han-
tsing animos ad audendum fecisset, et mortis minas
intentanti: „Familia (quarta) Tsing elabi ut passa
„est e suis manibus imperium, fortissimos quosque ad
„insequendam praedam excitavit, at in insequendo *qui*
„velocissimus est et felicior, cervum capit. Tunc so-

„lum Han-tsing pro viro strenuo noveram, cur i
„ei fecissem spem capiendae praedae; tunc solus p
„eam cucurristi? Qui currebant, erantne soli? Occ
„ergo omnes.“ Ad quae, narrat historia, cum nihil
beret, quae responderet, solvi illum jussit.

ADNOTATIONES.

1) Natu major (inquit interpres Tching-tse) est hoc
loco dux turmarum, est generalis militum magister.

2) Malum in praeda non capienda, est sinice Kiou, c
culpa erratumque proprie significatur, et hunc in sensum su
debet, cum aliud non esse possit malum viro, animal (ut
quitur textus) aut praedam (ut plerique accipiunt interpre
insequenti, quam per errorem non assequi, et capiendi
dum sua culpa non habere.

3) Linea secunda, quae est symbolum principii Ya
licet inferiore in loco sit collocata, est tamen velut dom
totius figurae. Quinto loco, qui aut ad imperium aut sal
ad gradum sublimem pertinet, melius illa conveniret,
„juvenis, nec animosus nec peritus in milites imperium e
„pit, aut etiam in exercitus totius ducem seligitur, cer
„infortunium arcessetur.“ Nam robustis solum et peritis
venit imperare, sicut soli principio Yang dominari. (
deinde exemplis ex historia petitis casuum illustrium bre
probat interpres, et ita per se liquet, ut probandum no
deatur pluribus.

4) Quinta vero haec linea (ait Tchou-tse) exhibe
cetque id quod praecipuum est in ratione utendi mili
sea in disciplina militari, obedientiam scilicet.

„pulum Chang-youen) sequitur tot ducibus et mag
„natibus cinctus, emicans e toto vultu habituque maje
„stas suavitate mixta, imperatorem indicabit vobis. Sa
„pientis enim est imperium adeuntis demonstrare velle
„se esse severum adversus vitium, benignum vero erga
„virtutem.“

ADNOTATIONES.

1) Quae (aiunt vulgares commentarii) est figurae *hujus* ultima linea, eadem est (symbolice) terminus obedientiae militaris. Ad illum ubi pervenitur, debent mercedes praemiaque distribui prout quilibet bene, meliusque meritus est. Cetera, quae prater haec ad moralem referunt disciplinam Sinae interpretes, ita sunt cuivis obvia ut nihil opus sit illa latina facere, praesertim quod meliora attingere saltem nobis necesse sit ad alias figuras, quarum explicationi eadem inserunt. Repetere enim ipsis vitio non vertitur.

2) Monet Confucius in suis ad hoc commentariis, *ideo* dici utendum non esse insipientis opera, quod haud dubie regnum perturbaret, iniqua v. g. distributione. Qua injuria militares animi inprimis offenduntur, quod haec praemia suo constent sanguine.

3) Quaenam remuneratus sit Ou-ouang, longum esset enumerare, de nonnullis fuit eritque dicendi locus. Id solum annotabo, quod merito observant isti scriptores, illum non solum remuneratum esse magnates quorum manu pugnaverat, sed etiam quorum consilio rem totam administraverat. Chang-fou in iis praecipuus, ejusque magister donatus est etiam ditione Yn-kieou, seu Tsi quae nunc est Tsing-tcheou-fou in provincia Chan-tong. Sine viris illis sapientibus, ait Tcheou-kong, nihil perfectum fuisset. Volunt scilicet Sinae litteratos, a sapientia ex suis libris haustos, eximie instructos, suis consiliis monitisque non minus bene mereri de imperio quam bellatores ad pugnam eruditos suis factis praeliisque.

Cum Kao-tsou familiae Han fundator, duces suos titulis ex ditionibus donaret, et litterato Tchin-pin, qui ipsi semper fuerat a consiliis, ditionem Ho-yu offerret, recusavit vir modestus, se nullam dicens habuisse partem in parta victoria.

Imo, ait Imperator, maximam. Duces illi junctis armis me victorem fecerunt; tu solus tuis consiliis. — Post statuta omnibus praemia deliberatum est, cuinam primas in sedendo deferrent magnates. Primas habeat Tsao-tsan, captis oppidis ac vulneribus acceptis bene meritus, dixere plerique. His obstitit Ou-tsien-tsieou. „Nam, inquit, totò in hoc bello, „multos habuimus Tsao-tsan pugnis insignes, at unum Siao-„ho primum ministrum, cujus curis et providentia tum in se„cundis tum in adversis nihil unquam ducibus nostris defuit, „nihil diutius expectandum fuit, nihil hostilium consiliorum „latuit. Labor ducis Tsao-tsan fuit paucorum dierum, la„bor ministri Siao-ho perpetuus; sine quo nihil bene suc„cessisset." His auditis assensus est Imperator. (In Han-che.)

CAPUT OCTAVUM.



EPIGRAPHE principis OUEN-OUANG.

1. *Bonum continuo examina; si magna continuitas sit solida nullum malum.*

2. *Si quis non est pacificus recta venit, postea turbae; hoc pessimum.*

INTERPRETATIO.

1. *Hoc est penitus inspiciendum, an magna concordia solida et constans esse possit.*

2. *Si quis pacis non amans sit, is recta, quo animi impetu fertur, tendere solet, unde existere necesse est perturbationes et ex his calamitates.*

Is sensus est principis Ouen-ouang, suos monentis circa foedus (quod indicat verbum Pi), hoc scilicet quod coalescebat inter filium Ou-ouang et principes, quorum nonnulli (quemadmodum supra observatum est) erant praefervidae indolis, moraeque omnis ita impatientes, ut minime spectarent, quid res ac tempus postularent, sed recta via, aperteque, aulam, quam tyrannidis palam accusabant, continuo armis obsidendam ac primo velut impetu opprimendam censerent.

Hos aegre ferebat princeps Ouen-ouang, pacis quandiu fieri posset studiosissimus, judicans praeterea consilium pro tempore capiendum, non vero intempestive prout irae impetus illos abripiebat, aut sinistris rumoribus excitatae suspiciones illorum animos versabant, ita ad arma convolandum. Nam nullus omnino erat ex his principibus quem non seorsim sumtum Imperator facile suis opibus potuisset opprimere. Principum igitur robur erat in constanti eorum concordia, quam necessariam ad communia negotia docet hoc emblema. In ea proinde fovenda erat inprimis laborandum, cavendumque ne eorum aliquis sua praepostera agendi ratione foederis causam pessumdaret. Quod egregie praestitisse principem Ou-ouang constat ex historia. Nam licet quibus in rebus honeste tutoque potuit ad cujuslibet ingenium se accommodaverit, exploratis prius *singulorum* studiis, ut omnes sibi bonoque publico stabili foedere devinciret, ita tamen omnes continuit, ut quae de bello et ratione gerendi statuerat, nullus transgredi vel leviter ausus sit; ad turbas impediendas continuo instaurata priscorum imperatorum lege, romanae antiquae simili, quae regnante Tcheou fere obsoleverat: militis ab eo qui imperabit, provocatio ne esto; quodcunque is qui bellum gerat, imperassit, justum ratumque esto etc. Quae aliaeque conditiones ubi communi consensu receptae firmataeque sunt, nova inde soliditas statuto foederi accessit, quod jam sine gravi damno nulli turbare liceret. Securitatis enim, aiunt, haec cautio maxima est, ut potentes si nocere velint, non possint.

ADNOTATIONES.

1) Octavum hoc emblema: „aquam, ait Confucius in Siang, supra terram exhibet, et vocatur Pi.“ Quod etiam statim apparet ex utroque symbolo aquae et terrae, quorum illud supe-

rius, hoc inferius pingitur; licet enim tellus et aqua sint ej
nie valde diversae, ita tamen in globo terraqueo conjuncti
sunt, et invicem cohaerent, ut major continuitas vix esse poss

2) Foedera et concordiam istud Pi loquitur: atque ha
est causa (dicitur in opusculo Confuciano T s e-k o u a-t c h i o u e
cur haec octava figura septimam sextamque sequi debeat, qua
dudae nonnisi de litibus seu de bellis tum internis, tum exte
nis loquebantur. Nam, ut pluribus explicant interpretes, i
hac perturbatione nisi adsint, qui inconditam multitudine
regant, nihil pronius est, quam ut vel invicem saeviant, ve
ad perniciosa reipublicae ausa dilabantur. Haec ideo figura P
eo spectat, ut suadeat animos esse conciliandos, et ad constan
solidae concordiae studium esse informandos, opera vel unius
vel plurium virorum, qui sua industria et auctoritate turbas
componere et moderari possint.

3) Haec figura habet unam (quintam) lineam quae virtu
tem Y a n g referat, et quidem positam in medio recteque su
premo loco, quam ceterae velut sequantur, non secus ac unum
virum (nempe imperatorem) sequuntur omnia regna etc. *Ita*
commentarii vulgares, a quibus non abeunt aliorum explica
tiones, in quibus (ut hoc obiter moneam) non reprehendendae
sunt haec voces, omnia regna, similesque. Nam certum est ni
hil aliud intelligendum, nisi regna Sinici imperii, in quae fuit
olim divisum, et ab eo dependentia, nec totius orbis nomine,
nisi imperium Sinicum. Quemadmodum a nostris etiam me
lioribus interpretibus explicantur de imperio romano illa St. Lu
cae: „exiit edictum a Caesare, ut describeretur universus orbis."

4) Quod principii rerum efficacis virtus Y a n g caeteris
hac ratione dominetur, inde est, quod omnino conspirare vi
deantur ad frugum incolumitatem, quas tanto conatu suo *velut*
e sinu eduxit, jam aquarum, quas pictura exhibet, nativos per
alveos irrigatione foecundanda. Nam cum

— exustus ager morientibus aestuat herbis,
Ecce supercilio clivosi tramitis undam
Elicit . . . . . .
. . . Scatebrisque arentia temperat arva.

5) Conjunctio itaque principum cum O u e n-o u a n g ut
duce, foedusque quod verba sententiae loquuntur, exprimitur
duplici similitudine, quae e figura petitur. Una, ex lineis quae
principii dominantis Y a n g concursum cum principio Y n, ad

vrum perfectionem oculis exhibent, desumitur; altera ex tota figura, qua constantem eandem conjunctionem significat, solida continuitate globi terraquei. „Id contingere terrae necesse est (ait Cic. nat. deor. II.) ut omnibus ejus partibus in medium „vergentibus nihil interrumpat. Eadem ratione mare cum su„pra terram sit, in medium tamen terrae conglobatur undique „aequaliter etc.“

EPIPHONEMA PRIMUM principis TCHEOU-KONG.

In primum sextum.

Si ni cum soliditate init foedus, nullum est malum. Habet soliditatem murus plenus, in fide aliud bonum erit.

INTERPRETATIO.

Foedus prudenter initum nulli obnoxium est incommodo. Sicut murus plenus vulgo dicitur bonus murus, utpote solidus, ita dicetur aliud bonum futurum. Scilicet plenam omnium principum consensionem ac foedus consequetur constantia in tuendis coeptis fideque mutua inviolabiliter servanda.

Ex his satis apparet, hanc iterum fuisse agitatam quaestionem, an foedus cum omnibus principibus imperii sine ullo morum et dignitatum discrimine reipublicae expediret? Aliter videbatur nonnullis, qui principi Ou-ouang a consiliis erant, at quorum sententiam non tamen secutus est Ou-ouang, octingentis, ut dicitur, dynastis, varia foederum pactione sibi suaeque familiae devinctis, majore etiam quam patri suo contigerat successu. Tacitis itaque nonnullorum objec-

tionibus et forte querelis malevolorum responsurus p
ceps Tcheou-kong (quod apparet ex sequentil
hoc velut apophtegma in medium profert: cum q
cumque principe fiat foedus, posse his atque aliis c
tionibus solide profiteri, quo minus ulla calamitas c
sequatur. Quod si ita est, et primi in politica prin
pii ad instar, concludit suum fratrem Ou-ouang
minem ex principibus a communi foedere ad bon
imperii excipere debuisse. Nam quamvis sine aliq
rum auxiliis debellando impiae aulae exercitui (qu
bonum primo a foederatis intendebatur) pares copi
haberent, hoc tamen aliud et forte majus emolumentu
ex communi omnium conjunctione oriebatur, ut ad par
tuenda, ipsa facinoris gloria, data fide propriaque ut
litate adstringerentur. Quod confirmat Tcheou-kon
vulgari adagio: murus plenus solidus est. Id eo plu
leporis apud Sinas habet, quod fabris murariis ferm
sit in more positum, parieti, intus aut vacuo, aut mer
terra pleno, albam calcem inducere. Sicut autem opu
hoc licet pulcrum, vel ob id caducum est, quod conti
nenti partium connexione careat, ita etiam nova impe
rii forma, quamvis grata, minime firma solidaque esset
nisi omnium imperii principum foedere contineretur
Si enim, dicit Plato de rep., qui reipublicae praesunt
parti civium consulunt, partem negligunt, rem per
niciosissimam in civitatem inducunt, seditionem atque
discordiam. Neglectus itaque aliquorum dynastarum
multo majori fuisset perniciei, et forte communis resti
tuendi consilium evertisset, successis eorum, quos re
pulisset, odiis, discordia siquidem res maximae dilabun
tur; quod ubique factum est tritum sermone proverbium.

ADNOTATIONES.

1) Foederum mutuorum, inquit doctor Tching-tse, basis
et fundamentum est sincera fides. Sed haec in vero principe

opponitur, et praesertim in imperatore, cujus verba, aiunt, velut totidem decreta esse debent, nec sine effectu. Juxta etiam nostros Stoicos, quia fit quod dictum est, appellata est fides. Quae doctrina Sinarum de sui imperatoris dictis, quae irrita debent non cadere, nec immutari, licet videri posset ex adulatione emanasse, negari non potest conducere ad conciliandam illi reverentiam, et populis faciendam magnam fidem. Nam inde sequi necesse est, quod monebat Isocrates ad Nicoclem: tuus rex efficit, ut suis verbis major sit fides, quam aliorum juramentis.

2) Quonam autem pacto haec epiphonematis verba ad primam picturae lineam Yn referri possint, nec Tchingtse, nec alii in editione regia (ubi erat de his dicendi locus) laudati, exponunt, sed de dictorum et conventorum constantia ac veritate multa philosophantur, quae non magis conveniunt explicationi libri Y-king, quam aliorum.

Si vero tres lineae, quae symbolum inferius (terra) in pictura constituunt, accipiantur, non male (juxta aliquos) foedus, et quidem solidum adumbrant; conjunctas scilicet, et in unum corpus compactas partes ex quibus tellus una et solida extitit, undique ipsa in sese nutibus conglobata, ita ut omnia suo quaeque loco sita aptaque per se, et inter se contineantur.

EPIPHONEMA SECUNDUM
principis T C H E O U - K O N G.

In secundum sextum.

Ex intimis inire foedus, solidum bonum.

INTERPRETATIO.

At quanam ratione, si foedus cum quovis principe sanciatur, potest esse solidum? Si nempe, respondet Tcheou-kong, ex intimo sensu prodeat.

Id vero obtinetur, aiunt, persuasione tum publica tum privata de utilitate. Ubi enim alicui persuasum

id est, ab eo nihil potest impetrari, facileque volenti subduntur ignes ad rem urgendam vel tuendam. Quis enim qui non moveatur aut religione aut spe aut metu? Atque haec tria sunt, quae suis in orationibus relatis in Chou-king imperator Ou-ouang perpetuo inculcat. „Se, scilicet, urgeri coelesti mandato ad exigendas poenas, ab impio Tcheou, qui non colit supremum imperatorem, nec spiritus, qui non parentat suis majoribus. Se magnis praemiis remuneraturum bene prae ceteris meritos, quorum posteritas etiam potitura sit. Se denique occisurum, qui non vires exerent.“ Nihil mirum proinde, si foederati, ita animati pro re promovenda, tanquam pro aris et focis enitendum omnes una censuerint. Idem censuerant fecerantque *olim* foederati contra tyrannum Kie infensi, quos secundae dynastiae fundator Tching-tang [1]) ita alloquitur: „vos tales externo habitu profiteri non sufficit, interior animi habitus accedat necesse est. Neque enim qui testis est Chang-ti, supremus imperator, falli potest.“ Immo foedus, addunt, corde pactum non requirit juramenta, nec obsidia vadesque. Vid. not. 2.

ADNOTATIONES.

1) Doctor Leang-chi-in in commentario suo vult secundam lineam Yn componi cum quinta Yang, adeo ut ex interiore (inferiore scilicet symbolo terra) ad exterius (superius symbolum aqua) conjunctio procedat. Sed tamen sola potest esse basis solidi boni, sicut terra est aquae circumambientis velut sustentaculum. In quibus supponere videtur principium Yn seu materiam terrestrem nihil prorsus efficere, nisi intimam cum principio Yang seu materia coelesti copulationem assequatur, et significare proinde, optimates nihil posse solidi praestare, nisi se imperatori atque aliis potentioribus imperii principibus conjunxerint, quemadmodum factum est

1) Tong-kung-chang.

tempore principis Ou-ouang „qui suos (Chou-king IV) „ait esse unius cordis . . . . . eodem robore conatuque „prosequi virtutem . . . . . eadem virtute prosequi justi- „tiam etc.“

2) Qui sub Ming-tchao scripserunt, laudant approbantque dictum a celebri Tchou-yen-tchang fundatore suo de animi sinceritate prae reliquis conditionibus ad foedus necessaria. Cum enim foedus pacisci volens Fan-koue-tchin non solum litteras tabulasque, sed etiam proprium filium ut obsidem misisset, hunc humanissime exceptum Tchou-youen brevi cum donis remisit, ita admonens: „Cautum est olim con- „tra mendacia juramentis, nec uno sacramenti genere, mox „in eorum locum successere obsides utrinque missi selectique; „at haec omnia sunt tantum ad tollendam mutuam diffidentiam „inducta. Nunc vero cum recto et sincero corde ad foedus „ineundum veniatis, nosque sincero animo accedamus, nihil „opus obsidibus nec juramentis. Satis est, vos et nos in sin- „ceritate perseverare, qua una amoventur omnes suspiciones „dum alius alium ex sui cordis rectitudine metitur.“

EPIPHONEMA TERTIUM principis TCHEOU-KONG.

In tertium sextum.

Si, qui foedus init, est pessimus homo?

INTERPRETATIO.

Quid? si is, cum quo foedus sancitur, sit vir male moratus?

Haec sententia facit cum proxime superius exposita. Foedus si fiat ex vera officii aut utilitatis persuasione, erit solidum ut dictum est §. 2. etiamsi cum quo contrahendum est sit vir pravis moribus, aut libidini aut luxui similibusque vitiis deditus. Quo enim

aliquis plus se amat, eo magis movetur aut utilitate quae in manibus est, aut inprimis metu detrimenti brevi exituri. Mutui metus aequalitas societatem fidelem facit. Plerumque etiam id genus optimates non ita nobilem indolem exuerunt, ut novo publici seu communis foederis honore non ducantur. Id scilicet boni adhuc habent: eo itaque utere ad rempublicam. Praecipit etiam liber canonicus Chou-king l. 6. — Variis momentis in hanc partem impulsos, et jam inclinantes, potentius trahit vincitque superaddita sacramenti religio.

ADNOTATIONES.

1) Homo moribus suis pravus similis est isti tertiae *lineae*, quae nec in medio nec in directo loco jacet; ita regia commentaria. Quod tamen hominum genus, si quod *virtutis* alicujus vel speciem vel studium habeant, non est repellendum. Imo illos patienter ferre est fortitudinis verae, seu (ut dicitur in Confuciano Tchong-jong) fortitudinis australium, qua hominum animos paulatim student rationi subjicere etc. Melius nostri veteres, cur in ejusmodi occasionibus etiam minus probi non sint rejiciendi, explicuere. „Quoniam (ait Tullius) „vivitur non cum perfectis hominibus, sed cum iis in quibus „praeclare agitur, si sint simulacra virtutis etc.“ De etiam hoc foedere intelligendum putatur, neminem esse negligendum, in quo aliqua significatio pietatis appareat etc.

2) Qua jurandi formula et quo sacramento, princeps saltem aliquos sibi ante suspectos in commune foedus *suasque* partes adegerit, non dicitur in commentariis, nec in historia principis Ou-ouang. Certum tamen est, regnante ejus familia, terribile illud sacramentum (mactata simul pecude ejusque cruore vel potato vel in ore foederatorum asperso, cujus annales sequentium familiarum saepe memineruut) antiquitus viguisse. „Nam (ut legitur apud Mencium l. 2. C. 6. et no„tatur ab interpretibus) cum regni Tsi regulus Ou-kong „(6to ante Christum saeculo) principes in loco Houei-kiou „congregasset ad foedus pro tuendo et pacando imperio, *ut* „suggestum subiit, conditiones edicturus, alligavit quidem pe-

„eadem; nec tamen, more antiquo, statim mactavit ad ora foe-„deratorum sanguine oblinenda, sed imposuit super pecudem „vivam scriptum foederis librum, moxque coepit denuntiare „statutas inter leges, gravi poena propositâ violantibus.“ Ad eum ferme modum, quo l. 1. Reg. legitur dixisse Saul, quicunque non exierit et non secutus fuerit, sic fiet bobus ejus.

Tartaros autem constat iisdem ex historiis equum album plerumque occidere ad sancienda pacta, fidemque mutuam ejus velut sanguine obsignandam, cum certis formulis verborum male violatoribus interminantium. Interdum etiam, ruptis sagittis mutuis, malaque apprecantes, foedus pepigere. Refertur ad annum Christi 1201 multas Tartarorum tribus convenisse ad amnem Touloupie ad foedus paciscendum contra Tchingiskhan, et in haec verba jurasse: quicunque pacta aut violaverit aut deseruerit, fiat ut hoc littus quod ab aqua abraditur; fiat ut lignum istarum arborum, quod in frusta caeditur. Quibus dictis in aquam omnes littoris arenam pedibus impulerunt, strictisque ensibus ramos arborum una amputarunt, perinde ac si jam caederent conculcarentque hostiles copias.

EPIPHONEMA QUARTUM principis TCHEOU-KONG.

In quartum sextum.

Ad extra foedus init. Si sit solidum, bonum.

INTERPRETATIO.

Quod cum externis contrahitur foedus debet esse etiam solidum ut sit felix.

Hactenus princeps Tcheou-kong egit de foedere cum iis, qui intra ipsum imperium continebantur, erantque velut reipublicae Sinensis totidem membra; nunc hoc epiphonemate aggreditur ad foedus cum vicinis

principibus in imperii finibus positis. Quo e gene
exempli gratia, hac nostra quoque aetate est Rex C
reae, qui quidem ab imperatore regis titulum et i
signia accipere tenetur, licet patris necessario haer
non tamen in illius aula ipsemet inservire certoq
tempore praesens adesse sicut alii principes, quod clie
telares ideo vocavimus, quod imperatori intra quinq
annos, etiam remotissimi, saltem semel sistere se deb
rent et ditionem suam imperatorum beneficio acceptat
profiterentur. Nam ipsa familia principis Ou-ouan
a principe Heou-tsie repetens originem, antiquam
suam ditionem imperatori et legislatori Chan refere-
bat, a quo ille, utpote bene meritus de re agraria sibi
commendata, fuerat donatus. Hujus (evolutis 17 gene-
rationibus, aiunt annales) nepos Kong-leou relictum
patrimonium auxit tum victis barbaris populo suo in-
festis, tum externis sibi vicinis sincero foedere devinc-
tis, unde suam sedem transtulit in locum tunc dictum
Pin, nunc Pin-tcheou, partem aliquam provinciae
Chen-si, ita concedente imperatore Kie primae fa-
miliae imperatoriae decimo septimo. Ex hac sede ite-
rum secessit Tai-ouaug, avus principis Ouen-ou-
ang, amplificata victoriis sua ditione, ad montem Ki-
Chan et locum Fong, quos jam obtinet urbs Fong-
tsiang-fou jurisdictione sua.

Si itaque cum id genus principibus veris imperii clientibus, sentit princeps Tcheou-kong, debet ita iniri foedus, ut fiat solide, seu ex vera animi persuasione cordeque, multo magis curandum est ut, quod cum externis contrahitur, fiat caute et sincere. Nam tunc reipublicae novoque Imperatori non minus prod-
erit, quam olim profuit principi Kong-leou, aliisque suis majoribus, qui cum externis vicinis magno suo emolumento pacti sunt. Quod tamen non ita intelli-

gendum putant, ut externa subsidia magis juvent, quam domestica, sed quod, si inimica sunt, magis retardent domesticis intentum. Quapropter non immerito gaudensque exclamasse narratur Ou-ouang, ut vidit ad foedus accedere etiam dominos populorum Hoa-hia et Man-me aut Me: „coelum omnino decrevit ruinam domus Yn seu Chang; duo isti se nobis conjungunt, quis non jam sequetur? O spiritus, qui supremo imperatori assistitis, mihi plenius nunc favete, „ut quanto ocius possim tot populos e tot miseriis duraque servitute liberare.“ (Chou-king l. IV.)

ADNOTATIONES.

1) Nescitur qui nunc sint Hoa-hia, Man-me. Videntur fuisse e genere populorum Me, de quibus apud Mencium fit mentio. „Parte boreali exteri populi qui vocantur Me, „nec urbes nec suburbia habent, nec palatia nec parentales „domos, nec visitantium principum mutua munera, nec convivia . . . illorum terra utpote frigida nostra frumenti genera „non gignit, sed tantum infimam tenuioris milii speciem“ etc. erant populi illi ad boream subditi principis Ou-ouang, cujus ditio Tcheou erat in parte septentrionali occidentalis provinciae Chen-si.

2) Quarta haec linea (inquit doctor Tchou-tse) est quidem principii Yn, natura sua debilis, symbolum. Sed cum proxima conjungenda sit principii virtuti Yang, quam quinta linea sequens exprimit, est velut in via ad bonum successum. Addit doctor Tching-tse ex mutua conjunctione existere rectum negotiorum exitum, v. g. inter duo regna, et ex consultatione haberi id quod oportet. Doctor vero Y-chi hoc emblema dividit in sua duo symbola, quorum superius (ait) est emblematis pars exterior, inferius pars interior; unde foedus, in pictura emblematis nihil aliud est quam conjunctio symboli superioris cum inferiori, in significatione est ipsa exterorum cum imperatore concordia, stabili foedere sancita. Alii, in editione regia laudati, non afferunt meliora quibus aut picta figura aut subjecta verba similitudine felicius explicentur. Hoc itaque omittemus.

rius, hoc inferius pingitur; licet enim tellus et aqua sint specie valde diversae, ita tamen in globo terraqueo conjunctae sunt, et invicem cohaerent, ut major continuitas vix esse possit.

2) Foedera et concordiam istud Pi loquitur: atque haec est causa (dicitur in opusculo Confuciano T s e-k o u a-t c h o u e n) cur haec octava figura septimam sextamque sequi debeat, quae illae nonnisi de litibus seu de bellis tam internis, tum externis loquebantur. Nam, ut pluribus explicant interpretes, in hac perturbatione nisi adsint, qui inconditam multitudinem regant, nihil pronius est, quam ut vel invicem saeviant, vel ad perniciosa reipublicae ausa dilabantur. Haec ideo figura Pi eo spectat, ut suadeat animos esse conciliandos, et ad constans solidae concordiae studium esse informandos, opera vel unius vel plurium virorum, qui sua industria et auctoritate turbas componere et moderari possint.

3) Haec figura habet unam (quintam) lineam quae virtutem Y a n g referat, et quidem positam in medio recteque supremo loco, quam ceterae velut sequantur, non secus ac unum virum (nempe imperatorem) sequuntur omnia regna etc. Ita commentarii vulgares, a quibus non abersant aliorum explicationes, in quibus (ut hoc obiter moneam) non reprehendendae sunt haec voces, omnia regna, similesque. Nam certum est nihil aliud intelligendum, nisi regna Sinici imperii, in quae fuit olim divisum, et ab eo dependentia, nec totius orbis nomine, nisi imperium Sinicum. Quemadmodum a nostris etiam melioribus interpretibus explicantur de imperio romano illa St. Lucae: „exiit edictum a Caesare, ut describeretur universus orbis."

4) Quod principii rerum efficacis virtus Y a n g caeteris hac ratione dominetur, inde est, quod omnino conspirare videantur ad frugum incolumitatem, quas tanto conatu suo velut e sinu eduxit, jam aquarum, quas pictura exhibet, nativos per alveos irrigatione foecundanda. Nam cum

— exustus ager morientibus aestuat herbis,
Ecce supercilio clivosi tramitis undam
Elicit . . . . . .
. . . Scatebrisque arentia temperat arva.

5) Conjunctio itaque principum cum O u e n-o u a n g ut duce, foedusque quod verba sententiae loquuntur, exprimitur duplici similitudine, quae e figura petitur. Una, ex lineis quae principii dominantis Y a n g concursum cum principio Y n, ad

rerum perfectionem oculis exhibent, desumitur; altera ex tota figura, qua constantem eandem conjunctionem significat, solida continuitate globi terraquei. „Id contingere terrae necesse est „(ait Cic. nat. deor. II.) ut omnibus ejus partibus in medium „vergentibus nihil interrumpat. Eadem ratione mare cum su„pra terram sit, in medium tamen terrae conglobatur undique „aequaliter etc.“

EPIPHONEMA PRIMUM principis TCHEOU-KONG.

In primum sextum.

Si sit cum soliditate init foedus, nullum est malum. Habet soliditatem murus plenus, in fide aliud bonum erit.

INTERPRETATIO.

Foedus prudenter initum nulli obnoxium est incommodo. Sicut murus plenus vulgo dicitur bonus murus, utpote solidus, ita dicetur aliud bonum futurum. Scilicet plenam omnium principum consensionem ac foedus consequetur constantia in tuendis coeptis fideque mutua inviolabiliter servanda.

Ex his satis apparet, hanc iterum fuisse agitatam quaestionem, an foedus cum omnibus principibus imperii sine ullo morum et dignitatum discrimine reipublicae expediret? Aliter videbatur nonnullis, qui principi Ou-ouang a consiliis erant, at quorum sententiam non tamen secutus est Ou-ouang, octingentis, ut dicitur, dynastis, varia foederum pactione sibi suaeque familiae devinctis, majore etiam quam patri suo contigerat successu. Tacitis itaque nonnullorum objec-

ibidem dicitur natus 15° anno principis Ouen-ouang. „Unde „(ait Hong-in-ta) patet Ou-ouang numerasse annum currentem 85, quando pater mortuus est.“ Si ergo a morte novi imperatoris Ou-ouang (quae 7 annos post victoriam contigit) seu anno 1114, regredimur ad natales annos tum ipsius tum patris, dicendum est Ouen-ouang natum esse anno 1222, [1]) Ou-ouang anno 1207; [2]) Ouen-ouang obiisse anno 1125 currente. Cur vero, (ut relatum est ex Chou-king cap. 3.) Ouen-ouang novem annos ante mortem caput regulorum fuerit, et duas e tribus imperii partibus anno decimo inuncta obtinuerit accepto (ut legitur in Chou-king et in Chi-king) ter quaterve coelesti mandato, inde sequitur initium supremae potestatis domus Tcheou, seu Ouen-ouang mandantis, incidere in annum 1155, qui concurrit cum anno 20 imperatoris Tcheou. Ab anno autem 1135 ad annum 1122 initium imperii Ou-ouang ab octingentis tum Dynastis tum magnatibus in Mong-tsing admissis, sunt tredecim anni; atque ita clare intelligitur quod ex Chou-king relatum supra est: decima tertio habitus est magnus conventus in Mong-tsing; quem ibidem sequitur victoriae narratio. Certe non potest dici hunc annum esse (ut voluere aliqui, quos refellit Kang-in-ta lib. II. pag. 25 et Li-ki imprimis) regni Ou-ouang, cum a morte patris anno 1125, ad conventum non intercesserint ad summum nisi tres anni, imo ad mortem ipsius Ou-ouang non fluxerint decem anni integri. Caeteram, etsi annalistae imperii non numerent imperium familiae Tcheou, nisi anno 1121, quo exstincta est domus Yn, historia tamen familiae Tcheou, qualis est in Chou-king, merito inchoant imperium a Ouen-ouang, anno 88 seu 1135. Idem faciunt historiae domus Yuen-tchao aliarumque, v. g. hodiernae, quorum avi atavique jam fuere potentes, occupata suprema aliqua potestate, quae ad imperii Sinensis fastigium tandem post aliquot annos evasit.

[1]) Qui est imperii Lin-sing quartus completus.

[2]) Anno 1208 exeunte, seu inceunte 1207 qui est Keng-ting tertius.

CAPUT NONUM.

Siao-tcho vel Siao-yu ——— ventus . . . . Suen.
——— coelum . . . . Tien.

EPIGRAPHE.

Penetrat. Nubes densissimae, nec pluit. Ex meo occidente ita est.

INTERPRETATIO.

Haec est omnium veterum Sinarum sententia ex libris antiquis expressa, malos principes publicis calamitatibus a supremo imperatore plerumque puniri et (ut sit liber Chou-king) sui officii admoneri. Imperatorem Kie, familiae regiae Hia ultimum, etiamdemque in pejus ruentem „Supremus Imperator nihi„lominus respiciebat, necdum penitus rejecerat, satis „habens immittere in illum calamitates, et illi prodigia „ostentare, ex quibus ille liquide intelligeret supremum „consilium: et ut quodam fragore perculsus (ita doctor Tsai-chin communis interpres) tandem aliquando pertinesceret ac resipisceret. Hinc mos ille qui adhuc nostra aetate viget et hoc regnante imperatore non semel indicta lex omnibus magistratibus est in repentinis et insolitis temporum variationibus populique miseriis, ut in sua quisque errata inquireret, et quae etiam in publica regni administratione peccari advertissent, ad

se publico libello deferrentur emendanda. Hinc varii coelestis auxilii exempla ad populi laborantis levamen in annalibus sigillatim magnificeque referuntur et posteris inculcantur. Ad hanc itaque veterum sapientum doctrinam alludit epiphonema a principe Ouen-ouang figurae huic nonae subscriptum. Notum siquidem omnibus erat in ipsius magnatum subditorum ditionibus ad regiae aulae et imperatoris patrimonii occidentem positis, incredibilem esse annonae et rerum id genus copiam, dante coelo illis pluvias temporibus suis, quo tempore agri illinc ad orientem longe lateque patentes naturaque licet optimi arescebant, tanta populorum imperatori subditorum inopia, ut ad extrema deventum videretur quod fortunarum discrimen notae principis et imperatoris morum dissimilitudini respondere certo credebatur, eratque proinde magnum indicium populis ita persuasis, principem Ouen-ouang ejusque filium Ou-ouang, virtutibus clarissimos, coelo ubique illis favente, merito ad imperium vocari.

Quapropter proponere palam e coelo nubibus densis dudum obducto nullam decidere pluviam in tam longum terrarum tractum, qui ex occidentali imperii plaga ad aulam usque et ultra versus orientale mare porrigitur, nihil aliud erat, quam peritis omnibus concludendum relinquere, familiam principis Ouen-ouang notas ob virtutes tam esse dignam imperio quam invisa erat imperatoris Tcheou, tunc saevientis, domus licet perantiqua. Uti re ipsa accidisse narravimus ex libris Canonicis, historiisque, quae etiam addunt, tantis terram motibus fuisse concussam hoc anno quo Ouen-ouang ex aula abivit, ut quam plurimi oppressi sint ipso spectante imperatore nec tamen resipiscente, quippe qui ad suorum populorum plagas obduruerat, suis solum amoribus injuriisque commoveri

solitus. Quam diversus et degener a primo illo suae familiae conditore Tching-tang, cujus extat inter alias praeclara ille oratio Tang-kaoc „quod si ego „pro humana imbecillitate crimen aliquod commiserim, „jam nunc supplex obsecro, ne damno sit meis subdi„tis, neque ideo habeantur peccati reae omnes meae „ditiones. Me unum, qui unus in culpa sum, plectat „supremus Imperator; nec recuso poenas ullas ut qui „omnium maxime reus.“ Quae eo plus admirationis offerunt, quo paucidra similis in populum caritatis in tota nationum historia reperiantur exempla, et magnifice etiam a nostris sacrae scripturae expositoribus celebrari soleant haec verba Davidis aulae suae stragem deprecantis: „Ego sum, qui peccavi, ego inique „egi. Isti qui oves sunt, quid fecerunt? Ver„tatur, obsecro, manus tua contra me et con„tra domum patris mei.“ Non itaque nimis laudibus efferuntur huic similes principes a Sinis. „Ah! quam exi„mie sapiebant (ait Tcheou-kong) Tai-pu, Kao„tsong, Tsou-kia et Ouen-ouang, si audiebant a „monitore: sunt de Te populi querelae, imo verba inde„cora, non illi succensebant, sed aiebant: mea culpa id „accidit. Si dicebat aliquis: ideo populus virtutem dese„rit, quia Tu deseris; ita est, ut dicis, respondebant et „renovare se studebant.“ In Chou-king l. 5.

ADNOTATIONES.

1) Figuram hanc nonam vides duo complecti symbola ex illis octo quae Monarchiae Sinicae fundator (ut dictum est parte 1) primus in medium protulit: primum Kien, coelum; secundum Sue,n, ventus.

Exhibet itaque tota imago coelum ventorum ope jam purum, quando excussis nubibus conserenavit, docetque sapientem principem post varias regni jactationes, cum sit ab anxiis curis liber, debere virtuti sua decora restituere. „Haec „figura (ait Confucius in Siang Commentario) ex vento extra

„coelum jam agente vocatur Siao-tcho. Tunc sapientis oper
„virtus venuste reflorescit, ex mutua concordia et pace, se
„(magis ad litteram) ex unione mutuoque auxilio."

2) Figurae Pi octavae nonam hanc Siao-tcho succeder
oportuit, dicitur in Confucii opusculo de ordine figura
rum, quod, postquam Pi figura effictus sit vir ad concilian
dos, et retinendos animos aptissimus, quem caeteri sequ
ament, necesse sit existere brevi aliquam illorum inter se unio
nem, auxiliis commodisque invicem communicatis, atque adeo
aliquod principium boni, ex concordia seu reintegrata seu
recens exorta, quae veram societatem sustentat.

3) Hoc ipsum Confucius in hanc Quen-ouang epigra-
phem commentariis docet. „Ubi quis summae dignitatis sedem
adeptus est, id efficere debet, ut superiores et inferiores *sibi*
mutuo occurrant adsintque beneficiis. id vero est quod Siao-
tcho vel Siao-Yo (diversa est nuncupatio) appellatur, dici-
turque initium verae unionis placidaeque societatis, in qua
summi infimique se invicem praeveniunt officiisque certant,
ubi firmi, seu viribus opibusque potentes obediunt, et qui
miseri licet aegre vivant, non desunt tamen officio, vel (ut
ipsius verbis utar) qui in medio duri sunt intentum
agunt." Quibus verbis suum ita animum expressit Ouen-
ouang ut alios magnates esse tales voluisse videatur, qualis
ipse hactenus fuerat, inter adversa instituendae reipublicae
aeque intentus, quam secundis rebus regio addictus obsequio.

4) Figura Coeli nubium liberi (post multas ventorum
pugnas) per se ipsa loquitur initium aliquod unionis,
concordiae placidaeque societatis tum Sinico huic nomini tum
illis temporibus convenientissimum. Idem liquet (aiunt) ex
elementis figurae in qua quinque ex sex lineis principii ejus-
dem Yang subtilis una sola linea dissimilis crassique princi-
pii Yn intermiscetur; quamvis (aiunt commentarii Regii) Yun
seu nubes sint potissimum ab illo principio Yn et occidens
sit proprius illius locus. Quo mirabilius est pluisse in occi-
dente, dum in oriente nubes quidem diuturnae sunt et densae,
sed minime imbriferae cernerentur toto illo perversae domi-
nationis tempore. Quae omnia fuse ab iis annotata nihil mihi
videntur afferre ad linearum probabilem explicationem, sed
solum ad communem illo tempore sententiam, qua apud Sinas,
uti apud Romanos olim, saeviente malo principe, frugum

quoque egestas et orta ex eo fames in prodigium accipiebatur, ut notat Tacitus histor. 4. 2.

At pluvia potius significare disjunctionem et dissipationem quam conjunctionem et serenitatis initium nostris videbitur. Verum Sinis interpretibus et physiologis una est sententia, pluviam sine aliqua mixtione utriusque principii seu materiae Yn et Yang crassae et subtilis haberi non posse. „Quando (ait Mien-chang philos. l. 27) „Yn et Yang conveniunt seu concordant, est pluvia.“ Tching-tse vero in hujus loci commentario ita loquitur: Yun, nubes est a subtili crassaque materia simul unitis. Si subtilis Yang dominatur, necessario crassa Yn adjungitur atque illi subjacet. Sed si terrestris Yn prius dominetur et abundet, quod ex materia Yang supervenit, non necessario priori subjicitur, unde non potest produci pluvia. Sed de his alias.

Ad figuram pauca haec annotasse tamen necesse fuit, ut intelligatur mens Sinarum, dum mordicus propugnant figuram propositam (quamvis secus aliena videatur) pertinere ad significationem aliqualis unionis jam coalescentis, imo in opusculo Confuciano (ut creditur) Choue-koua-tchouen haec verba, tonitrua et venti se mutuo urgent, ex ipsa textus serie interpretumque sensu sunt intelligenda, non ut se invicem destruant, sed ut ipsa colluctatione alterentur ac permisceantur illae fulminosae exhalationes, quas, sicut nostri veteres, pro siccis et calidis habent, simulque ventosi illi halitus seu vapores tum frigidi tum humidi. Aqua (addit textus) et ignis in natura non ita pugnant ut se destruant. Sed illa hujus ardorem, hic illius frigus ita temperat, ut ex mutua actione mundo emolumentum exsurgat. Sibi succedunt, sibi non obsunt necesque.

5) Denique in hac epigraphe illorum temporum historiam attingi expressis verbis fuse observat commentarius Regius novae editionis ex meo occidente, id est Ouen-ouang loquitur; erat enim et vocabatur regulus occidentis, seu occidentalis plagae provinciae Chen-Si. Princeps itaque Ouen-ouang, cum librum Y-king probare vellet simulque ejus doctrinam mirabilem, spectavit habuitque mentem Hi (ad hunc erat ipsius aula) subjectamque ditionem in occidentali parte imperii, ubi res observare poterat diligenter quo tem-

pore res coalescere incipiunt. Debent enim illae succedere in majore et minore parte occidentalis imperii.

Idem, ad figuram 17, in ipso textu epiphonematis sexti, repetitur, quandoquidem fit expressa mentio montis occidentalis proprio nomine Ki, Chan-ki, montis, ad quem (ait Tching-tse cum libris Chi-king et Chou-king) primus venit Tai-ouang, etavus principis Ou-ouang. Nihil ergo clarius, ita ut nihil ulterius aut scrutandum a mystis aut hariolis Sinis divinandum relinquatur. Ab his longe aberat Confucius. „Vobis, inquiebat, o discipuli, affirmo me nulla vobiscum uti reticentia, nec verborum involutione." Frustra certe fuisset, si a suis reserari nunquam potuisset, et ne quidem a tot posteris unquam detegenda, nisi ei cui verus sententiae sensus, simul tali jactus, feliciter obtigerit. Sed hae ad populum phalerae.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Rursus ex se lex viget quodnam est malum? est bonum.

INTERPRETATIO.

Restituta republica brevi floret legum ratio et consuetudo. Numquid id potius bonum quam malum est?

Neque enim satis est populos ex maximis eripuisse periculis, suaque victoria servare, nisi praeterea eorum securitati ac quieti consulatur, ipsa legum priorum quibus steterat consuetudine ad usum praesentem revocata. „Victor Ou-ouang (ait Confucius) ante omnia ponderа et mensuras ad antiquam normam ac aequitatem revocavit hunc in modum constitutis optime imperii rebus, populus illi ultro et ex animo subditus fuit. Addunt interpretes Sinae, a principe tam aequo legumque amantissimo populum maluisse judicari ac gubernari, quam a quibuscunque aliis praefectis bona licet fama

illustribus, ita ut totum regimen penes illum unum tunc fuisse videatur. Quod deinde Confucius tanquam optimae gubernationis indicium ac argumentum suis discipulis afferebat, suisque commentariis consignatum reliquit. Si viget lex in aliquo regno, tunc absoluta potestas non erit penes magistratus, sed penes regem seu imperatorem, qui omnia perpendens examinansque, imperium per se gubernare dicendus erit.

Mutatio itaque haec tota non in reipublicae malum (sicut jactabatur ab adversariis nonnullis novae familiae Tcheou regiae) ultimumque perniciem, imo potius in bonum ipsius ad antiquarum legum normam recens instauratae. Nam sicut coelum (ex cujus symbolo hic constat figura) nihil habet mirabilius quam motum certum adstrictum legibus in annuam orbis renovationem; ita imperio felicissimum est, legibus in usum revocatis velut reflorescere.

ADNOTATIONES.

Haec in genere de figura dici possunt; at in explicatione hujus primae lineae una est sententia doctorum Tching-tse, Ouang-chi, Kia-tse, aliorumque multorum, quos laudat sequiturque commentarius Regius. Cum haec linea sit velut basis symboli Kien, coeli, seu materiae coelestis Yang, sua natura fertur ad superiorem locum; retardatur tamen ab aliqua particula materiae Yn, quam exhibet linea quarta, quae et ipsa est velut basis superioris symboli Suen, venti, illique correspondet. Ideo Yang, seu materia coelestis, vult rursus ingredi, vel (ut verbis doctoris Tching-tse utar) vult rursus esse in superiore loco; scilicet illius naturae ratio ita fert, seu innata lex. Unde est vox illa textus, ex se lex, illi scilicet innata, quae ubi vi libera est, sese restituit, docetque nos calamitatibus et civilium bellorum sceleribus non opprimi virtutis, doctrinae legumque auctoritatem, sed solum comprimi, ita ut remoto tandem violento hoc velut pondere, ultro et sua quasi sponte statim resurgat. „Quibus

„enim (aiunt) natura data est, eisdem recta ratio data est, ergo „et lex seu ratio jubendi recte atque prohibendi; ergo et vir„tus, quae nihil est quam ratione perfecta natura.“

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Rursus unio, hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Reflorescente cum imperio justitia revirescit civium concordia, et unius cum altero conjunctio, seu (ut vulgo dicitur) unio. Quod est bonum ante omnia reipublicae optandum.

At quaenam imprimis unio? Nempe illa quae illo tempore novae monarchiae non solum opportuna sed prorsus necessaria erat, novi scilicet imperatoris Tcheou cum antiqua Chang seu Yn domo. Obtinuerat haec Sinas sex et amplius saeculis et quidem ingenti virtutis fama populique constanti favore, quem sola tuendae salutis necessitas videbatur extinxisse. Sed enim quam vulgare est plebem, qua nihil mobilius, ex concepto recens odio ad antiquam benevolentiam regredi! Vivebat princeps Ou-keng filius extincti imperatoris, paternae crudelitatis et impietatis minime suspectus, idemque jurium paternorum haeres. Occidi non poterat sine crudelis et injustae dominationis periculosa apud plerosque invidia. In fidem receptus fuerat tum ab optimo imperatore tum a principum victorum coetu. Unum igitur restabat ad discordias eliminandas stabilemque pacem, novam familiam cum antiqua ita copulare, ut in bonum publicum conspirarent. In eam sententiam venerat Ou-ouang qui multos ex antiquis imperatorum

familiis Dynastas fecerat, esse ex republica ipsum Ou-keng ditione aliqua clientelari titulisque honorificis donare, quibus mineretur tum invidia felicitatis alienae, tum dolor ex jactura suae; ita ut animus ipsius, quem minime ferocem expertus erat, inexspectatis beneficiis excitatus ac delinitus dominantis familiae amicitiam expeteret, oblatam societate ac foederibus fovere vellet, atque adeo ab exercendis cum ea inimicitiis velut ultro abhorreret. Itaque rursus unitur, (ita versio Tartarica) nimirum cum Ou-keng, qui solus ad turbandum imperium justitiae nomine a malevolis excitari poterat. Ex qua conjunctione exsurgit unio, concordia, et legum auctoritas rursus vigens. Nec refert quod haec imperatoris in Ou-keng beneficentia a nonnullis interpretum et a plerisque historicis vituperetur. Nam res illi (ut est fere omnium mos) ex eventu metiuntur, nempe ex illius caede a successore Tching-ouang imperata, quod inter alia etiam contra eum multa parum decora in vulgus spargeret. Aequius est sequi alios scriptores, qui affirmant imperatorem Ou-ouang quodcunque in Ou-keng boni contulit, publicae concordiae causa fecisse; cum populis melius et utilius sit occurrere malis, quam deinde mederi. Quod ethicae politicae effatum a nostris sapientibus observatum est. „Nam (inquit Ta„citus) a legibus delicta puniri quanto fore mitius in „ipsos melius socios provideri ne peccetur.“

ADNOTATIONES.

1) Hujus secundae lineae (ait commentarius Regius) sicut et tertiae eadem est ratio. Sed secunda, cum sit vicinior lineis symboli superioris, suique medium occupet, oculis etiam demonstrat eam lineam, junctis cum prima viribus, posse superiorem locum (quem materia coelestis, Yang, exigit) recuperare, licet Yn materia crassa seu terrestris obices praeten-

dat. (Quae nihil aliud significant quam materiam Yang seu ignem non opprimi posse nec telluris ipsius pondere, nec aquarum molibus, multo minus aliquo obice frigoris remissi. Idem docuit Zeno in physicis, ignem scilicet quocunque pervadere nullisque sisti obstaculis; quod primum (inquit Cicero) in natura terrena (quae est Yn juxta Sinas) perspici potest. Nam et lapidum confliqtu atque tritu elici ignem videmus et recenti fossione

terram fumare calentem.

Sed haec ad physiologicam Sinicam, quam interpretationibus suis vel invitam immiscent Sinae.

2) At cujusnam mores et indolem designat illa quarta linea Yn, natura sua quidem infimâ, debilis et imperfecta, sed jam firmis et perfectis sese immiscere incipiens, etiamsi illae contra eam nitantur? nullum certe alium principem designare possunt, quam Ou-keng quem tum temporis solum reperimus in historiis ruina patris Tcheou ad gradum infimum dejectum et novi imperatoris beneficentia ipsis novae monarchiae principibus et primatibus jam adaequatum, imo conjunctum; qui tamen a non paucis, quibus suspectus erat, non obscure variis querelis apud Ou-ouang fere petebatur. Nec tamen caruisse ille unionis seu conjunctionis dulci fructu omnino dicendus est. Nam et omni ex parte quietus et intentus stabiliendae (quod temporis moram postulabat) suae dominationi vixit aliquot annos. Caeterum de superstitibus victae domus regiae nepotibus severa est admodum lex Sinarum; quod observent, cum hoc hominum genere principi Ou-keng simili nihil aliud plerumque effici beneficiis, quam ut magis et magis ab eis expetatur benefaciendi potentia.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Rotae axis ruptus est. Sponsus et sponsa retortis oculis se respiciunt.

INTERPRETATIO.

Conjunctionis vincula sunt jam remissa, nec jam sponsus sponsaque aequis inter se agere animis videntur.

Amor et fides erant vincula initae ad bonum commune conventionis, quam inter suam et antiquam familiam regiam inducere suis beneficiis tentaverat primis regni annis imperator Ou-ouang; sed postremis discordiae apertae indicia babebantur vel in ipso principis Ou-keng conjugio cum uxore novae domui et regiae addictissima et forte ad id selecta, ut marito praeter spem reguli ditione donato propius invigilaret, quam duo illi Ou-ouang fratres reguli, quorum meminit Chou-king, in vicinia constituti harum regionum Dynastae. Sed enim quae potest esse animorum consensio constans et individua, ubi in diversa studia scinduntur? Ou-keng ipsa imperatoris beneficentia, ut potentior ita et audacior jam factus, cum pertinacioribus domus paternae asseclis clandestina concilia habebat. Nam (ait Mencius) inter eos ipsos qui Ou-ouang in Imperatorem acclamaverant, erant quidam qui olim partibus Tcheou tyranni imprimis addicti, a novo imperatore se minoris fieri arbitrabantur. Unde necesse erat existere voces animi indices, quae ab uxore monarchiae novae studiosa sine fastidio et forte sine suspicione non audiebantur. Nihil proinde mirum, si vel ex oculis habituque conjugum emicaret nascens jam in corde abalienatio, ita ut rumor esset in hac reguli aula

EPIPHONEMA QUARTUM.

Est hoc solidum. Effusum sanguinem condon
Ex sollicitudine et vigilantia exit. Nullum est malu

INTERPRETATIO.

Id solidi boni consecuti sumus, ut illis qui tantum sanguinis effuderunt, non sit irato animo, sed jam ignoscat. Licet itaque aliquid ex nostra hac sollicitudine, et ex intentis hactenus animi curis remittere, quin malum seu damnum patiatur respublica.

Ita illo tempore sentire debuit imperator Ou-ouang. Nam discordiae omnis extinguendae, bellique civilis oblitterandi cupidissimus docet victos, si cives esse velint, debere suas injurias reipublicae gratificari. Horum autem ita pertinacium dux credebatur Ou-keng occisi tyranni filius. Qui tamen tam recentibus et tam inexspectatis beneficiis auctus jam se profitebatur devinctum tum imperatori tum reliquae familiae regiae, a quibus tanta suorum strages fuerat facta. Nihil itaque tunc videbatur impendere mali vel periculosae discordiae quod intentissimam illam aulae et magistratus curam, qua hactenus in perpetua velut steterant vigilia, deinceps postularet. Imo Ou-ouang videns partis adversae reliquias sibi submissas, multiplicique foedere ac beneficio officiisque conjunctas, existimabat non solum esse debellatum, sed bellica etiam instrumenta populo posse certo eripi, ac (ut legitur in Chou-king lib. 4) recludi, „vel ex ipso successu alioquin „certus, se supremo Imperatori mandanti domus Yn „punitionem satisfecisse.“ „Ex sollicitudine (notat Confucius in Siang)“ et vigilantia exit, hoc est, mentem

assecutus est Superioris, nimirum Supremi Imperatoris;“ de cujus voluntate cum nihil jam dubii habeat, liberiori animo est. Ob eandem certe causam successor Tching-ouang, occiso denique eodem postea rebelli, ait: se hac clade implevisse mandatum coeleste de perdenda domo impii Tcheou, et suos jam securo animo esse.

ADNOTATIONES.

Quarta haec linea (ait interpres) est Yn naturae pravae; bene. Quod habet duas superiores Yang, a quibus velut continetur in obsequio, est itaque hominis iram premantis et remittentis aliquid de sua mala voluntate, imago. Cujusne? nisi cujus meminit historia. Res itaque tam clara est, quam fert stylus et scopus libri.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Est solidum. Veluti castigatus, seu manibus pedibusque captus, in divitiis utitur vicino.

INTERPRETATIO.

Hoc solidum. Quemadmodum viro diviti qui opum occupationibus totus detinetur, utendum est bono vicino, ita et boni vasalli opera juvare se debet quicunque summo cum imperio praeest.

Is scilicet est sensus Imperatoris hodierni, in ipsis hujus sententiae, et totius libri Y-king, commentariis regio sumptu et auctoritate recens editis. Nam post relatas variorum, et quidem praecipuorum scriptorum interpretationes ita pronuntiat: „istius lineae sensus a „nullo fuit elucidatus et intellectus. Hunc tamen jam

cesserat calamitates, incredibilem imprimis annonae caritatem, coelo non pluente. At ubi satisfactum est coelo de illius pravitate poenas exigenti, Ou-ouang omnes perfecti imperatoris partes adimplente, illico pluvia caeteraque ad fovendum populum opportuna e coelo adfuerunt. Nunquam (aiunt) major soli ubertas, frugum copia, aurae temperies, quam regnante illo absolutissimae virtutis principe. „Quando (aiunt „etiam nunc philosophi ethici Sinae) illi qui praesunt, „sunt virtutibus eximii, seu sancti, nulla cadit grando, „vel, si cadit, non nocet populis.“ Tantum scilicet tribuunt sincerae probitati ac virtuti omnis regiae dignitatis officia implentis. „Vetus (ait Chou-king) „Rex Hia, id est imperator Yn familiae primae Hia „Conditor, cum virtutem coleret, tunc nulla descende„bat calamitas e coelo.“ Infinitus essem si omnia ad hoc pertinentia prosequi velim. Conclusionis ad instar sit illud verbum ex eodem libro: ex unius hominis summa probitate omnia regna (scilicet imperii tributaria) ad solidam rectitudinem revocantur. Qua obtenta obtinetur coeleste ad subsidia auxilium. Unus homo, (ait glossa communis) est Tien-tse, coeli filius: imperator scilicet, significatione in toto imperio omnibusque saeculis usurpata, et quidem a remotissima antiquitate. Nam tempore imperatoris Tchong-kang, [1]) anno ante Christum 2155 regnantis (qua epocha Sinici libri nihil habent certius) ipsius exercitus dux Yn iisdem verbis alloquitur suos milites, quibus nunc solent de imperatore: „eia! omnes „conjunctim exerite vires, ut summa observantia et „cura faciamus mandata filii coeli.“ In qua loquendi formula nihil plus latet mysterii quam (cum aliqua

1) Chou-king lib. II. cap. Yn-tching.

nalogia) in nostris de rege aliisque principibus, quorum potestas a Deo est, quos Dei vicarios, ministros, coadjutores ex ipsis sacris scripturis dicimus. „Omnes (perorat in Chou-king imperator „Ou-ouang ad principes) istos populos quos in medio procreat coelum, nec per se docere nec per se „regere vult, sed dat illis reges qui doceant et regant. „Ipsi sunt coadjutores supremi imperatoris, Chang-ti.“ Quid nostri doctrinae similius afferri potest? quin et verba nostris similia habent antiquissimi gentis libri. ita in Hia-chou, imperator Ti-ki primae familiae secundus, hortans suos ad pugnam contra rebelles, ait: „Coelum, cujus locum teneo, jubet ut puniam; vos „itaque pro coelesti mandato pugnare recogitate.“

Cap. Kan-tche. — Ita in Chang-chou minister Y-ing, ut secundum secundae familiae imperatorem (Tai-kia), ad indefessam imperii curam excitet, utitur hac ratione: illum sustinere vices coeli. Sed heu quam difficile est tenere coeli locum! Ita in Tcheou-chou dicitur etiam de malo imperatore Tcheou: Chang-ti supremus Imperator eum selegerat, ut suum locum teneret tanquam filius primogenitus, seu, (ut alibi legitur Cap. Chao-kao) dilectus, sed ob sua crimina rejectus est. Imperium datum est imperatori Ou-ouang. Ipsius filius Tching-ouang est quidem juvenis, nihilominus est filius Coeli, tenetque locum Supremi Imperatoris. Quocunque autem sensu (quem hic expendere inutile esset, atque adeo omitto) veteres Sinae Tien et Chang-ti intellexisse dicantur, semper verum erit similia nostrisque analoga dixisse de origine regiae potestatis.

Caeterum virtutis praestantis aut etiam perfectae in obtinendo vim comparat Tcheou-kong efficacitati

unius matronae cujus ob reverentiam ipsi debitam non possunt non audiri preces et vota, quae sua tandem constantia in urgendo, licet aliunde nihil firmi afferat, postulata obtinet. Eo forte intendit hoc in ephiphonemate princeps quo in Chou-king nepotem suum imperatorem conatur inducere ad virtutem non brevi tempori excolendam, sed nihil unquam remittendum ex praeceptis a patre Ou-ouang traditis. Nam (ait) virtus tandem omnia obtinet.

ADNOTATIONES.

1) Quae interpretes varii afferunt ad sextae hujus lineae explicationem, paucis complectitur communis commentarius. Jam (ait) inter principia Yn et Yang convenire supponitur. Ex hoc mutuo et amico concursu existit pluvia. Virtus Yn licet debilis, creacendo tamen invalescit fitque rerum efficax. Existimant siquidem philosophi Sinae, ut multi nostrorum antiquorum, a superiore frigore (quod est Yn) addensari nubes, easque velut proprio pondere infra ruere, ipso motu discissas tenues in particulas. De pluvia enim ita disseritur in philosophia Sinica l. 27: „pluvia fit ad eum modum quo coquitur oriza in „olla operculum habente, in qua vapor aqueus attollitur ac „supra addensatur, mox infra guttatim defluit.“

Quae doctrina est ea ipsa quam Aristoteles mutatis verbis lib. I. Meteor. et quam inter alios eximius interpres Cabeus explicat experientia communis alambici, in quo ascendit spiritus vegetabilium qui calore separatur et sursum fertur, donec offendat tegmen alambici a cujus frigiditate concrescit ac descendit in aquae specie.

2. Sinae in serendo et plantando similibusque, lunae tempora non minus observant quam nostri agricolae, quod opinentur eorum philosophi in res terrestres majorem aut minorem esse vim lunae crescentis plenaeque, quam novae aut decrescentis. Unde patet cur dicatur in textu: „luna fere est plena,“ et in quo sit similitudo cum sapientia principis magna quidem at non perfecta.

CAPUT DECIMUM.

Li coelum . . . . . Tien.

aqua seu lacus . . . Toui-tse.

EPIGRAPHE.

Licet supra caudam tigridis saltet, illa tamen hunc hominem non mordet. Debet esse penetratio.

INTERPRETATIO.

Sagaci solertia opus est illi qui tigridis caudam insiliens pericula lacessit, evaditque tamen incolumis et ab ejus morsibus intactus.

His princeps Ou-ouang exemplis et rationibus remorari conabatur (uti supra animadversum est) nimios foederatorum regulorum impetus ad caedem imperatoris Tcheou, tigridibus ipsis (si Sinis credimus) truculentioris. Superioribus sententiis non semel exposuit molitiones, difficultates, inopportunitatem, pericula, damna aliaque id genus. Huc jam devenit ut magistratibus insinuare velit vix sine singularis peritiae prodigio ullum impune posse cominus aggredi imperatorem potentia sua adhuc integra promptoque ingenio praeferocem. Nam narrant illum fuisse tanto animi corporisque robore, ut feras quantumvis immanes suis ipse manibus discerperet, unde forte nata est allusio textus supra caudam tigridis. Minores enim tigrides a majoribus iratis interdum la-

cerari dicuntur. Et haec quidem principis Ouen-ouang sententia eo spectasse mihi videtur, ut filio suo Ou ouang, spectatae miraeque peritiae principi, quae parabatur molitio omnino committeretur, sicut deinde factum est. Is certe ubi negotium suscepit contra crudelem Tcheou, tot moras et cautiones adhibuit ut multis timidior videretur, atque in eum cadere non immerito possent haec verba ex libro Tcheou-chou [1]): „accedens ad imperium non minus timeo quam timeri „solet ab instante tigride;“ at dum agendum fuit spes ipsas patris omniumque longe superavit, insiliens tigridi (aiunt) eamque ita atterens, ut eam calcandam dederit populis, celebri scilicet illa victoria, qua factus est Sinici imperii dominus, quemadmodum non semel diximus; prorsus ut nullis opus sit ad hujus textus sensum argutiis, sed sola rei gestae expositione ex annalibus petita.

Clarior est etiam quam solet Confuciana hujus loci commentatio, dicta Toen. „Licet, inquit, supra tigri„dis caudam saltet, hominem non mordet, hoc est, sal„tando supra thronum imperatoris, nullum est malum, „quin imo splendescens illuminat“; ob gloriam nimirum victori Ou-ouang toto orbe comparatam et respublicam mox optime institutam. Hac scilicet eximia imperii vitiis fere omnibus expurgati forma, maculam, quaecunque fuerit (ait unus interpretum) sol ille imprimis delevit, uti apud Romanos Augustus, licet a populis ad imperium non vocatus, dictus tamen postea est ob bonum regimen: optime Romuleae gentis custos; maxime principum etc. nempe

Et ordinem
Rectum evaganti fraena licentiae
Injecit amovitque culpas,
Et veteres revocavit artes.

1) Chou-king l. VI. cap. Kun-yu.

ADNOTATIONES.

1) Figuram hanc decimam vides compositam ex duobus trium linearum symbolis, quorum alio Tien, Coelum, alio Toui, aqua montium lacum efformans designari supponitur ex prima conditoris Fo-hi institutione servantque debitum naturae ordinem, cum pars superior coelo auraeque coelesti tribuatur, aquae vero terrestri humiliora petenti pars figurae inferior conveniat. Ita interpretes, nullo sententiarum discrimine, verbis tamen paulo diversis.

2) Cur haec figura succedat praecedenti, indicatur quidem in opusculo Confuciano de ordine mutuo figurarum, sed haud paulo clarius in Regiis Commentariis, in haec ferme verba: Juxta ordinem istarum figurarum, cum jam sit unio et colligatio (Tcho in praecedenti) mutua, inde existit exercitatio rituum officiorumque. Sed in ipsa numerosa conjunctione sunt parvi et magni distinguendi, sunt superioris et inferioris ordinis, sunt probi et improbi separandi, ut habeatur ipsa officiorum lex. Nomen siquidem istius figurae recidit quoque ad sensum alterius litterae Li, quae significat officiorum virtutem, civilitatem, id quod oportet, quod decet ab homine aliis exhiberi juxta cujusque ordinem gradumque.

Hac in figura coelum pingitur superius, lacus inferius, quod discrimen notat aequitatem in distinctione hominum honestorum vilumque quam fieri oportet. Illud enim oportet est principium officiorum, ac rituum vera causa et origo. Quod recte fit, ipsum est Li, at quod faciendum est, ipsa ratio ac doctrina. Nomen hoc etiam Li vel Lu sonat quoque pedem imponere, firme inniti, constanter incedere. Sed heu! quam multi sunt quibus non placeat perpetua et constans ratio qua duci nolunt etc. Putant se tantum peccare contra ritus, peccant contra rationem etc.

3. Confucii hujus loci explicatio in Siang Commentario est huic similis. „Supra coelum, infra lacus, vocatur Li. Sapiens inferiora et superiora distinguendo populorum multitudinem coercet.“ Docent enim Sinae sapientes populum, haec conditionum et officiorum discrimina esse a coelo. Imo (aiunt apud Li-sse-tching-song-tien) distinctio magnatum et minorum totque diversae artes ac diversa in imperio vitae instituta, nihil aliud sunt

quam effectus consiliorum Coeli erga populum benevoli. Illum igitur ita persuasum regere observatione ordinis sapientis est, aut saltem coercere. Ita Confucius hoc in loco ad litteram redditus. Nec mirum suis in illis ad Y-king notis ita sentire, qui in libro sententiarum praecipit: qui aliis praeest cum potestate, siquidem rituum seu officiorum debitam contemperationem vigere vult, discrimen aequum faciat inter imos et summos, tunc populos facile reget etc.

4) Quod autem interpretum notae atque explicationes imprimis et ultimo recidant (ut patet ex dictis) ad moralia praecepta, formandis populi moribus rectoque regendo imperio aut necessaria aut saltem utilia; vel inde cuilibet constare debet hunc esse libri Y-king scopum, nec alium habere sensum. Nam exoticus et paradoxo similis ab illis necessario habendus est quicunque alius excogitari poterit. Convenit siquidem is [illegible]lus cum Confucii antiquissimis commentariis, cum pri[illegible] omnes aetates litteratorum interpretationibus eorum[illegible]s, cum moribus et animo auctoris sententiarum Ouen [illegible]ang ad reformationem imperii intenti. Fo-hi etiam suis in figuris tradendis, spectasse institutionem populi dicunt passim Sinae maximi nominis, quorum aliquos supra retulimus. Imo nec desunt celebres scriptores, qui censeant fabulas de dracone et testudine afferente mappas Ho-tou et Lo-chou (vid. part. 1.) ex quibus figurae Koua originem habere dicuntur, ideo antiquissimo illo tempore aut consulto vulgatas fuisse aut in rude vulgus manare permissas, primum a Fo-hi nationis legislatore, deinde ab Yn, primae familiae regiae fundatore; ut suis documentis velut e prodigioso monumento erutis majorem auctoritatem conciliaret. Quibus adjungi potest ex annalibus celeberrimus Tou-hao. Interrogatus siquidem ab imperatore, an mappa Ho-tou e croceo fluvio, Lo-chou ex rivo Lo-ho, ut refertur, statim emersissent, respondit: emersisse nescitur. Hoc scitur, his usos fuisse antiquum Fo-hi et posteriorem Yn tanquam idoneis inventis artibusque suae de officiis doctrinae populo rudi inculcandae. Ita ut utraque vel inde mira merito dici possit mappa, quod non minus profuerit, quam si quae fuisset e coelo delapsa aut prodigio vero efficta. Ouang-

chi, et aliqui alii, ratiocinantur de causis auctoritatis harum mapparum apud nationem Sinensem, ab antiquo ad posteros propagatae, imprimis per librum Y-king, cujus exemplaria ferme omnia illas habent.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Determinate agit. Si eat, nullum est malum.

INTERPRETATIO.

Agenda definit sui jam consilii arbiter. Vae illis contra quos prodierit in aciem.

Post ultimam de ultimo secundae familiae regis imperatoris victoriam, princeps Ou-ouang non caput comitiorum regulorumque ac magnatum, [illegible]es, sed illorum dominus, a populis omnisque ordinis magistratibus ita colebatur, ut omnia jam penderent ex illius nutu ac voluntate, ipsique ideo integrum esset, rebus a se expensis definire quid agendum, non consulta principum multitudine, saepe olim ipsi molesta, uti supra observatum est, aliis alias in sententias abeuntibus. Si nihilominus tam felix fuit in molitione contra Tcheou, quam alieno consilio moderari in non paucis debuit, quid (significat textus) non metuendum reliquis perturbatoribus, si eundem jam imperii totius dominum cogant ad resumenda arma, quae recludi pacis amans mandat, ut contra eos procedat.

Fuisse autem clam id genus homines ultimis regni annis, et quidem nulla nisi imperatoris arma reformidantes, omnino constat ex libro Chou-king l. 4 et 5 et ex annalibus imperii. Docent enim nos sub successore filio Tching-ouang patruos Cho-sien et

Cho-tsou, licet ab imperatore Ou-ouang ditione reguli titulo donatos, rebellionem movisse, quorum alter morte affectus est, alter in ordinem plebeium reductus a tutore et administro Tcheou-kong, qui forte cum haec scriberet terrere voluit quos occulta suspicabatur insidiari suo fratri Ou-ouang. At post ipsius mortem, quae brevi secuta est, eosdem jam aperte machinantes continuo debellandos ac severe puniendos suscepit. Cum secum prudenter animo reputaret eo periculosiorem esse eorum molitionem, quo plures malevolos regii sanguinis splendore et auctoritate amplissimae dignitatis percellere poterant, tutique erant a gubernatoribus provinciarum; atque ab omnibus id genus magnatibus in eo nihil certo ausuris, soli quippe imperatoris potestati erant obnoxii. Quod non mirum est: nam et caeteri Dynastae imperii variis titulis insignes, et (ut vocamus) Vassalli, licet non essent e regio sanguine, sub familia Tcheou a solo imperatore pendebant, sed in certis casibus non solum rebellionis, sed etiam omissi vel neglecti obsequii statuta a Ououang lege mulctandi, ut dicetur alibi.

Sentiebat scilicet Tcheou-kong omnia debere pendere ab imperatore, et, ut deinde Confucius in libro Lun-yu alibique docebat, potestatem determinandi absolutam et decretoriam non debere esse penes ministros et consiliarios, quantumvis perspicaces, quantoque munere potentes, sed penes ipsum imperatorem, ad quem omnia imperii negotia, post examen primum a tribunalibus vel ministris factum, denique referantur regio judicio decidenda, promulgata per imperium sententia. Quae opinio Sinarum non videtur multo differre a sensu multorum Romanorum, qui apud Tacitum aiebant, eam esse conditionem imperandi, ut non alia ratio constet quam si uni reddatur. Con-

fucius etiam suis in commentariis ad haec verba determinatur vel determinate agit, hanc notam addit unicam: proprium judicium sequitur; perinde ac si alienum alienaque instituta antea Ou-ouang sequi cogeretur. Sensus itaque hujus textus videtur ita manifestus ut his nihil opus sit superaddere, nullumque aliis conjecturis locum relinquat.

ADNOTATIONES.

1) Hujus lineae duplex est interpretatio apud Sinas scriptores. Prima, physica; est (ait commentarius communis) haec infimo in loco quo designatur initium agendi seu operandi in rerum naturalium annua revolutione. Nec tamen subita est mutatio ab ipsa materia coelesti Yang, cujus ista linea symbolum est, cum motus aliis materiis terrae crassioribus, ex quibus res constant, inditus nonnisi sensim crescat fiatque rerum efficax. Operatio (ait Chi-king) supremi coeli fons rerum nec sonat nec sentitur, nempe statim et sub initium, sed solum dum invalescens prodit foras.

2) Secunda explicatio interpretum est moralis: esse cuique suo in gradu standum, nec leviter ascensum ad superiora tentandum. „Es (inquit Tching-sse) in loco „inferiore, vis ulterius promoveri, saltem te eripere ex hujus „loci angustiis; sed ubi obtinueris pedemque alibi fixeris, fies „superbus ac ferox.“ Quo fiet ut ita procedenti calamitas occurrat. Qui est in alto loco collocatus, alios audire debet, et, quod sui arbiter ob suam potestatem sit, si suo arbitrio omnia definiat, nihil propius est quam infeliciter succedant suscepta consilia. Dignitate itaque sic aliis excellat, ut communione consiliorum illis par esse videatur.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Via in qua incedit, est plana. Si reconditus homo soliditatem habet, bonum.

INTERPRETATIO.

Expedita jam facilisque est quam insistit via ad intentum finem. Si abditus intimusque animi sensus sit sincerus ac solidus, bene erunt omnia.

Homini enim non probo, qui non sit vera solidaque virtute instructus, cuinam usui sunt officia exteriora atque externae omnis generis caerimoniae, aiunt Confuciani interpretes libri classici Lun-yu: qui etiam observant nihil saepius a suo magistro inculcari, quam a sincero intimoque virtutis studio proficisci externam propriae personae compositionem, quam regibus imprimis praescribit. Si praeest exemplo ad id omne quod rectum et honestum est, ecquis suorum audebit non esse rectus? Sed addit Confucius hanc animi rectitudinem, ex qua externa profluunt, obtineri non posse non domitis cordis motibus. Nam (ut paucis ejus verba sensumque reddam) si animus ira abripi se sinat longius, si immodice timet, si immoderate laetatur, si plus aequo moeret, profecto nondum suam obtinuit rectitudinem: quam ob causam liber Carminum seu Odarum principes Ouen-ouang et Ou-ouang laudaturus, utriusque praeclara facta, quod ex interiore ac sincera probitate existerent, mirum in modum, ne dicam hyperbolicum extollit. In ode Hoang-y libri Ta-ya supremus imperator inducitur principem alloquens:

„Ego excellentem tuam virtutem nec verborum copia, „nec externae speciei seu externi ornamenti decore mul„tiplici, tua in persona se prodentem, amo sincere cor„deque foveo.“ Et in Ode Ouen-ouang ait virtutem principis esse simillimam operationi ipsi supremi coeli quae voce et odore caret. Sensus scilicet humanos fugit, occulta et interna est. Itaque in hunc sensum Confucius propositum textum interpretatur. Haec verba: reconditus homo soliditatem habet, significant illum non pati seu non permittere intus turbationes dominari.

ADNOTATIONES.

„Cum secunda haec linea sit in medio (ait doctor Leang-chi-in) facile est sequi viam et quidem planam et expeditam ad finem suum.“ Nempe ad naturalem rerum productionem seu generationem, quae non succedit rite, si plus minusve materiae ejusve virtutis activae, quam requirit naturae ratio, illuc concurrat. Eadem pingitur in medio firmi; ita esse vir debet, qui in officiis sustinendis sua sponte non durat, nihil obtinet. E contra, quisquis est solida mente, seu intus solidus, feliciter consequitur id quod intendit.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Strabones videre possunt. Claudi possunt incedere. Saltans supra tigridis caudam ab ea mordetur; pessimum. Gregarius miles fieri potest rex magnus.

INTERPRETATIO.

Accidit, ut e militum numero aliquis eligatur in regem ab infima et inutili plebis faece, quem sequan-

tur multi perversi, tum caligantibus utentes oculis, tum inaequalibus vel varicantibus incedentes cruribus. At ubi tigridis caudam premere ceperit, statim mordebitur perniciemque accerset sibi et suis utpote imbecillis.

Non in eo emicat novi imperatoris virtus, quod ad solium vocatus sit, id enim vel gregariis militibus non semel contigit, imo non uno in loco ultimis his annis, rebellantibus contra crudelem Tcheou populis, praefixo sibi quolibet duce ex bellatoribus. Sed in eo laudabilis et encomiis celebranda, tum quod imperator electus fuerit communi comitiorum consessu, optimis quibusque animi generis nobilitate clarissimis ad hanc electionem concurrentibus, tum quod ea sagacitate ac fortitudine rem ita aggressus sit, ita executus, ut nec ipsius domus nec adjutorum plebs nec Sinica respublica funditus pessumdata vel in partes lacerata fuerit, imo stet quam antea firmior et in dies felicius efflorescat.

Caeterum strabones illi claudique, qualia dici possunt adjumenta in seditiosa etiam electione? Strabo est (inquit Confucius ad hunc locum) qui caligantia habet lumina. Videt quidem, sed non clare id facere potest. Qui claudi sunt aut cruribus varicant, incedunt quidem, sed non diu, ut explicat Tching-tse in Commentario Regio. Mordetur, quod malum aut pessimum est, nempe dignitatis sedem non est adeptus, obnoxiusque proinde jam omnibus poenis ac calamitatibus quae manent affectantes infeliciter viam ad solium. Verum quisnam potest sperari prosper exitus? Si ministri et asseclae sint velut strabones et claudi, nihil videntes clari, perspicui, obtusa ubique oculorum mentisque acie, nullis fere valentes viribus, debiles,

lapsu non securi. Imo ipsi (in iisdem commentariis) si progrediantur ulteriusque promoveantur, diu non subsistunt. Si miles aliquis auctoritatis aliquid obtinet, fit illico ferox ut firmus fortisque videatur; ita non potest diu esse in loco. Excidit itaque ficta virtus,

astuta ingenuum vulpes imitata leonem.

ADNOTATIONES.

Eadem doctrina exponitur istis figurae proposita commentariis. Nam quemadmodum principium, cujus haec linea symbolum est, licet natura sua sit debile, infirmum, hic tamen suos ob nisus vult haberi perinde ac principium Yang, potens, forte. Ex hac naturae inordinatione sequi necesse est nocumenta, damna, aliaque etiam majora, si nimia vel diuturna ferret. Ita et illi falso fortes et ficte ad grandia quaeque idonei sunt potius ut qui detorta vel obtusa oculorum acie intuentes nunquam clare vident; sunt ut claudi, pedibusque debiles; sunt, sed non longe, eorum peritia non sufficit. Nunquam in medio seu in aurea mediocritate manent, nunquam euntque recti etc. Paucis concludunt iidem scriptores, virtutibus veris ad honores nitendum, non ambitione, non populari studio auraque. Noli naaerere (aiebat Confucius suo discipulo) quod careas magistratu publicaque dignitate. De hoc angaris, quod iis careas virtutibus ob quas evehi dignus sis ad publicum munus reipublicae cui inservire debes. Volebat enim suos discipulos esse imperio utiles, increpabatque sectas Yang et Me dogmata contraria spargentes, quae apud Mencium etiam fusius refelluntur. l. 2. cap. 6.

EPHIPHONEMA QUARTUM.

Saltat supra caudam tigridis. Fremit, fremit. In fine bonum.

INTERPRETATIO.

Insiliisse in tigridem fuit quidem res periculi horrorisque plena, sed est ea tamen, quam consecuta est felicitas publica.

Quae quanta fuerit rebus toto in imperio Sinarum a victore Ou-ouang constitutis, nullis (si credimus Sinis) verbis satis exprimi potest. Huc certe totus ferme pertinet liber canonicus Chi-king, seu odarum, judicio aliquot interpretum variis aetatibus scribentium. Nam prima libri illius pars (juxta Ouan-yen) factas virtute Ouen-ouang et Ou-ouang in imperio rerum et morum conversiones decantat: secunda ad coelos usque extollit eximium gubernandi modum et instituti regiminis formam; tertia canitur Ouen-ouang et Ou-ouang totum imperium e supremo Imperatore accipientis potentia ac felicitas: quarta referuntur ritus imperatorii, et mutua officia ad aeternum posterorum bonum praescripta.

ADNOTATIONES.

1) Haec quarta linea (ait glossa) non est in medio aliarum loco nec directe in proprio, sed tamen sua natura firma, utpote generis materiae coelestis Yang. Infimus locus non illius est proprius sed materiae terrestris Yn. Ideo quam diu ita est, habet sibi metuenda, cauteque operetur necesse est, ut possit assequi quod intendit bonum. Nempe operationis frugiferae initia quae parit calor seu Yang sunt obnoxia periculis a frigore nondum tunc longo depulso.

2) Eadem linea est imago viri fortis animo, qui in loco periculoso pravoque constitutus debet ipse sibi temperare, ne rem perdat, malumque accersat.

3) Quod de Chi-king dicit Ouan-yen non ita accipiendum est ut nihil aliud canat nisi Ouen-ouang et Ou-ouang ejusque domum. Nam prima pars libri constat ex cantilenis regnorum in quae divisum tunc erat imperium, in quibus nihil est de illis principibus; et reliquo operi insertae sunt odae ad priores imperatores pertinentes. Vid. dissert. ultimam partis 1. Praecipua tamen et meliora spectant Ouen-ouang ejusque familiam; quod satis est ad laudem hanc ipsi tribuendam a Ouan-yen.

EPHIPHONEMA QUINTUM.

Intre pide saltat. Si sit soliditas, periculosum est.

INTERPRETATIO.

Omissa tota illa praecavendi atque omni circumspiciendi cura repente saltare supra caudam tigridis, nihil profecto aliud est, si solidis integrisque sit illa viribus, quam in pericula certa ultro irruere.

Ita suadebant nonnulli magnates, qui ut fuerant (dictum est supra) patris Ouen-ouang cunctationum impatientes, ita et filium Ou-ouang in praecavendo et molitione instruenda esse nimium conquerebantur, arbitrantes repentina et audaci selectorum bellatorum congressione inopinantem tyrannum opprimi posse, imo ne quidem dandum tempus ad deliberandum, ne e praesidiis regiis educantur (quod facile) statim variae cohortes nonnisi multo postea sanguine debellandae. Sed hos principes seu consiliarios oulpant acriterque repre-

hendunt Sinae, quod maluerint cito agere quam secure. At hoc commune est juniorum vitium, quales illi fuisse plerique dicuntur. Apud nostros etiam praeceps animus (notat Tacitus) multos e bonis pessumdedit, qui spretis quae tarda cum securitate praematura vel cum exitio properant. Ab hoc consilio ita abhorrebat Ou-ouang, ut mallet videri dicique nimium timidus quam parum prudens, aequo animo ferens haec vituperationis genera omniaque rejectis eorum consiliis meditans, parans et praevidens, ut una opportuna dimicatione negotium absolverit, unaque ira (ut utar verbis Confucii et Mencii) orbem pacaverit. Hoc itaque epiphonemate occurrit istis querelis Tcheou-kong, fratris sui apologista perpetuus, idque propugnat quod in patris gratiam antea asseruerat, non fuisse properandum, et rationem negotii absolvendi a Ou-ouang initam fuisse longe meliorem illa quae proposita fuerat, utpote tantum non temeraria, summis saltem periculis obnoxia.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Videns quod saltaverit. Ex eo velut praesagio expendit an redeat magna felicitas.

INTERPRETATIO.

Ipso aggrediendi seu irrumpendi modo initioque facilis nec dubia fit conjectura ad totius rei exitum, qui felix faustusque est futurus.

Faciunt haec quoque ad laudem principis Ou-ouang cujus curae et sollicitudines de ordiendo feliciter bello notissimae erant. Nam ut male ponun-

ur initia, sic caetera sequuntur. Consultationibus itaque, admonitionibus, consiliisque gaudebat eo bellandi tempore, quo unanimitas desiderari sine damno non poterat, sicut colligitur ex relatis in libro Chouking orationibus tum ad suos tum ad totius imperii principes, antequam fluvium Croceum ultimo trajiceret, atque adeo se aulae regiae hostem profiteretur. Sapientis (aiunt Sinae) est longe in posterum prospicere, et omnibus utrimque expensis definire quid agendum; juxta illud axioma doctrinae Confucianae Ta-hio: negotia habent suum principium suumque finem. Si itaque ordinem rerum certo noveris, quae scilicet praeponendae quae postponendae, tunc enimvero de te ipso et de populo optime statues; a qua doctrina ne hilo quidem aberrare videtur nostra. Juxta Tullium, magni ingenii est percipere cogitatione futura et aliquanto ante constituere quid accidere possit in utramque partem, et quid agendum sit cum quid evenerit; nec committere aliquod ut aliquando dicendum sit: non putaram. Imo illius est, si sit virtute eximius, praevidere futura. Si quando tamen felicitas proxime instet, non attendit ad prognostica quae fausta aut infausta habet vulgus, sed ex dispositione proborum praesentit prospera, sicut ex improborum habitu praevie infert imminere adversa; nihil igitur vulgi auguriis ac prognosticis. Ita Confucius ejusque interpretes, juxta quos praevisio futurorum sapientioribus attributa nihil habet quod superet vires ingenii, eo longius praevidentis quo longius fertur ejus perspicacia, cordisque hominum (cum quibus agendum est) notitia peritior.

CAPUT UNDECIMUM.



EPIGRAPHE.

Tai. *Parvulus vadit. Magnus venit. Est bona penetratio.*

INTERPRETATIO.

Efficere ut angusto pravoque animo viles homines abeant, qui vero sunt amplo rectoque, veniant, opus est utilis providentiae ac perspicaciae seu penetrationis bonae.

Magni viri, seu magnorum virorum (utrumque enim numerum pluralem et singularem aeque admittit textus ac linguae Sinicae syntaxis) forma ac velut character fuse ac clare exprimitur in Sinarum libris, praesertim in duobus Confucianis Ta-hio et Tchang-yong, ex quibus facile est speciem animo informare viri parvi seu virorum parvorum, quos liber Y-king magnis opponit ad imperii populorumque regimen haec per praecepta merito promovendis. Vir magnus ille est ex doctrina veterum sapientum quisquis acri ingenio propensaque voluntate eximius est, praeter vulga-

1) Koen esse scribendum non dubito. J. M.

rem modum perspicax, ad omnia indefesse attentus, principium rerum ac finem (seu radicem, Pen, et Mo, ramos) ita sedulo excutiens ut illius exspectationem ac vota non fallant eventus. Nihil illi cordi est potius quam sinceritas, seria animi soliditas, veritas sine fuco, ut vere sit qualis videri vult, sine qua inutilis fit ipsa personae compositio, quamvis aliunde necessaria ad populi morum mutationem, quam felix universorum conversio consequitur. Populos vir ille magnus filiorum instar diligit, nec minus quam pater materque illorum miseriis movetur. Excordes igitur et subdolos sua virtute cohibet, ne fraudes possint praetexere et plebi nocere; veros beneque animatos tuetur ac promovet, utpote cui unicum reipublicae bonum sit cordi; denique, ut paucis in Lun-yu Confucius definit, est ille vir universalis, non particularis; quadam nimirum animi benigni omnibusque aequi amplitudine. Contra, parvus, seu pravus et vilis abjectique animi homo est particularis, privatis studens commodis, propriis animi motibus ducitur; artibus sibi uni prodest occultis; indigna versans consilia in verum populorum incommodum; amorem tamen levioris plebeculae inani boni spe foenerans, suos qualescunque labores magno pretio divendens; multumque abest ut sit universalis. Videt et ille quidem res, at nullam clare, caligantibus velut oculis. Potest et aliquam viam inire, sed non recta incedere, claudicanti similis etc.

Hoc autem hominum genere tribunalia fere omnia redundasse, regnante Tcheou, imo ipsius regiam aulam nihil aliud fuisse quam vitiorum sentinam, jam ex ipso libro authentico Chou-king supra demonstravimus, quos utique expellere necesse fuit novo imperatori Ou-ouang, si imperium bene constitutum salvumque

vellet, substitutis in horum loca sapientibus et ob suam insignem probitatem maximo quoque magistratu dignis.

Quam mutationem ad bonum commune magni imprimis momenti tum ipse Ouen-ouang suis in praeceptis, tum ipse Confucius in libris inculcare non cessat. Ipsius discipulus Tsing-tse principibus vertit crimini, si in hoc segniores se exhibeant. „Videre seu „nosse aliquem vere probum et sapientem et non illum „velle evehere, vel evehere quidem sed tardius, est in„juriam facere reipublicae. Sed contra, videre impro„bum et tamen nolle eum a dignitate removere, vel „removere quidem sed non longe, crimen est.“ Quapropter hac in re diligentissimus fuit Ouen-ouang, auctor epigraphes. Dum vixit, fuisse narratur sapientum acer investigator, et in illis promovendis ad munera, quae erant in ipsius potestate, spretis etiam potentiorum precibus, tyranni minis, invicto animo generosus; commendans eandem curam optimo filio Ououang, a quo tandem effectum est, ut omnes pravi magistratu abirent, succederentque sapientes vereque magni, suusque proinde cuique restitueretur ordo, ne qui vere sapiens, insipienti; optimus, pessimo; fortis, ignavo; magnus, parvo, magna imperii subversione, parere cogeretur. Monstro siquidem simile est, juxta Confucium hujus loci interpretem, ut qui intus sapiens, rectus fortisque est, exterius agere insipienter, prave ignaveque (coactus scilicet a superiori potestate) videatur, intus Yang, extra Yn, intus resistens, extra cedens, intus sapiens, extra desipiens. Quanto satius est confusionem tollere, efficiendo ut lex sapientis magnique floreat, lex parvi seu insipientis deperdatur. Nihil ergo apertius sensu epiphonematis, parvum vadere, magnum venire, est bona penetratio. Inde populi ad bonam frugem conversio paxque imperii summa

exhibit. Hoc itaque principis opus nonne merito dicitur penetrantis seu potius (ut utar Tullianis verbis) animi excelsi et prudentiae consilioque fidentis opus.

ADNOTATIONES.

1) Figuram hanc undecimam constituunt symbola coeli et terrae, seu utriusque principii Yn et Yang, aut materiae tum coelestis tum terrestris ad rerum naturalium foetus una concurrentis, unde (ut ait Confucius in suis ad epigraphem hanc notis) coelum et terra unita penetrant omnia, sua scilicet operatione, vel mutuo proprioque virtutis suae influxu. Ultima luna, iuquit glossa, principium Yn est foris, principium Yang est intus. Contra, principium Yang etc. quae certe nihil aliud significant, quam, vigente hieme, frigus Yn exterius dominari, et calorem Yang intus latere.

2) Addit doctor Tching-tse (quem sequuntur alii in Regiis Commentariis laudati) nomine magni imprimis intelligi principem eximium; et quae dicuntur de parvo et magno seu de parvis et magnis potissimum spectare publicam regni administrationem, et ante alios regem quidem, sed mox ipsos magistratus et administros, qui licet sint sua conditione statuque plerumque parvi, si tamen commissum sibi publicum munus bene sincereque impleverint, exhaustis ad perfecte serviendum viribus, tunc magni nomine non indigni erunt; tunc etiam dici vere poterit, superiores et inferiores esse intime conjunctos, et velut compenetratos ad eum fere modum quo principia Yn et Yang sponte coaluerunt certoque ad generandam frugum ac plantarum copiam. Morale cum physico conjungit Confucius in suo commentario Toen. „Coelum et terra unita penetrant omnia.“ Superiorum et inferiorum unita mens est, cum in omnibus jam sit probitas, sit et sinceritas, depulsis a se parvi et angusti animi vitiis, ut in epigraphe indicatur: parvus cadit.

3) Cum in duabus figuris, nona et decima, unio et collatio, initio quidem tenuis et exigua, mox officiis legibusque firmata, exprimatur, haec undecima exhibet amplitudinem quandam pacis atque concordiae sed probitate sincera innixae.

Quae est causa cur, utramque priorem subsequatur ista quae expendenda hoc articulo proponitur, quaeque T a i dicitur.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Si herbae et radices in unum colligantur, ejusdem speciei reliqua sequuntur. Si eat, optimum.

INTERPRETATIO.

Ubi aliquis noxias herbas et radices eradicare, et in fasces colligere coeperit, quae ejusdem speciei sunt reliquae non diu superesse eas permittit; ad hoc ire, utilissimum est.

Imperatoris Ou-ouang haec fuit in ore frequens admonitio: non momento temporis ad maxima mala perveniri, sed quae perniciem afferunt reipublicae ex levibus oriri initiis, quibus statim occurrere constitutos a se magistratus jubet. Quae autem suis in orationibus verbis minime dubiis commendata videmus, eadem paulo obscurius hic proponuntur metaphora agricolae sapientis, qui noxias herbas, quae simul plerumque pullulant, esse in suo horto non patitur, imo ne minimam earum radicem, ne ea deinde fiat ferax quamplurium nihilo meliorum. Stolidum nempe esset eradicare magnam partem, et parcere ejusdem speciei reliquis. Evellendi etiam sunt mores reipublicae perniciosi vitiaque in publicum erumpentia. Dissimulatione, conatu, casu, aliquo tentamine, improbitas irritatur, non extinguitur. Si iniquitas a peccante noscitur, quamprimum ab illo corrigenda est; ad quid in annum differre? ait Mencius l. I, cap. 6. Eum mali propositi tenacem plu-

res ejusdem generis seu speciei homines turmatim simulque sequentur. Imo in his curis principi (querelis forte et fastidiis fatigato) non esse cessandum docent libri canonici. Celeberrimus certe imperii administer Y-king in suis ad imperatorem admonitionibus olim aiebant: etiam si nunc virtus non te deficiat, etiam si vim tibi aliquando inferat, si tamen solum ad breve tempus perseverat illa, scias te a coelo esse repellendum. Juxta quam doctrinam concludunt interpretes et philosophi, magistratus et principes si sint eximii, debere esse in longa velut vigilia, nec populi curationem licet longam unquam abjicere. Ad quod adducit Confucius tritum apud meridionales proverbium: „homo qui non habet constantiam seu patientiam, non potest exercere artem medicam.“

ADNOTATIONES.

1) Figura infra exhibet tres lineas similes invicem sese consequentes. Sunt hae ut herbae ejusdem speciei mutuo connexae. Ita glossa. Doctor vero Tching-tse quaerit, cur istae tres lineae (quae principium Yang robustum efficaxque exhibent) inferiori loco pingantur? Verum quidem est bonos cum bonis convenire, sequo mutuo sequi, quemadmodum inferius Yang symbolum sequentes exhibet tres; malos pariter conjungi malis, quod superius symbolum ex lineis Yn constans repraesentat. Sed id semper manet inquirendum, cur proborum imago in parte figurae infima spectetur? Causam affert Tching-tse, quod sapientes virique vere recti superiora respuant, ad inferiorem miserumque locum propensi. Hinc est quod ab ultima antiquitate, quando veri sapientes habuere auctoritatem, semper fuere inter subditos sapientes illis non absimiles. E contra, parvi seu abjecto animo viles homines, quo tempore valuere potestate, aliquos etiam promoverunt, sed cum subsecuto populi vel imperii damno.

Addit celeber doctor Leang-chi his exemplum clarissimum. Familiae, inquit, Chang (secundae regiae) eximius imperator

Tching-tang usus est administro supremo Y-ing; is omnes qui non erant (jin) aequanimes jubebat esse longe, e omnes rectos ac sapientes ad se venire volebat. Narrant enim historiae, et Confucius refert, tanta aequitatis fama illum ministrum valuisse, ut mali omnes fugerint seque ita continuerint ut nihil opus fuerit illum uti solitis suppliciis.

2) Licet haec comparatio petita ex herbis ejusdem speciei invicem implexis intelligi possit tam de noxiis quam de utilibus, nihilominus patet multo melius convenire noxiis. Nam cum textus parvnm vadere seu pravos abigi expellique dicat, herbae quibus comparantur esse ejusmodi supponuntur, ut eradicandae colligendaeque in fasces sint. Eadem metaphora Horatius ait:

Male rectum defendis et haeres
Nequicquam coeno cupiens evellere plantam.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Perfecte indulget, flamen vado trajicit, remotos non deserit. Non habet socium, potuit obtinere ut ageret medium.

INTERPRETATIO.

Indulgenter habet immoererentes (?) Facilem illis reddit viam, quaesito ad fluvium trajiciendum vado, seu explicatis difficultatibus. Sua quoque opera adest remotis. Etiam sine adjutore seu sine muneris socio praeclare obtinuit ut medio iretur, seu aurea mediocritas servaretur.

Cum ad firmam imperii quietem extrema quoque ex aequo vitanda sint, ubi §. proximo actum est de bono ex justitia in publicam rem certo redundaturo, hic jam docentur magistratus benignitatem munere il-

rum dignam, quos scilicet princeps Tcheou-kong fuit animum intendere ad errantes et vitiosos melius instituendos. Nomine severitatis, sub praedecessore Tcheou inaudita crudelitas in omnia tribunalia et imprimis in suprema irrepserat. Non solum cujusque culpae reis, sed etiam aulae suspectis non parcebatur, nisi quos aut quaesita criminibus gratia aut extorta a populis pecunia absolverat. Novae quotidie ferebantur leges, et quidem poenis in dies crudelioribus ac inauditis sancitae, adeo ut sicut antea regnante patre Ti-ý, mitissimo imperatore, flagitiis, ita nunc sub filio legibus ac terroribus laboraretur.

Prima itaque cura principis Ou-ouang, postquam adeptus est imperium, fuit, supplicia hactenus apud suos insolita et ad aulae arbitrium statuta omnibus tollere, eaque ex antiquis legibus moderari. Exstant in canonico libro Chou-king de gestis tertiae familiae Tcheou praeclara et distincta de poenis criminum praecepta, sane praeclara, quae huc in locum non referenda sunt ne digredi longius videamur. Probant autem principem Ouen-ouang, qui ibidem populorum rex et magister, nec non pater, mater, vocatur, utriusque nominis mensuram adimplevisse, mixta benignitati ita severitate, ut haec malos terreret ac contineret, illa bonos alliceret securosque faceret. „Gubernator reipublicae (ait Confucius) seu regni seu imperii debet esse gravis et severus, non asper et truculentus, cum idem sit magister populorum. Debet docere populos accurate quaecunque sunt juris publici, officii singulorum, et non interim si forte deliquerint in aliquo, illico punire miseros, imo inclementer occidere. Hoc enim vero dicitur tyrannidem exercere, qualem scilicet exercuit imperator Tcheou a novo imperatore Ou-ouang e solio deturbatus.“ Veri pruden-

EPIPHONEMA TERTIUM.

Pacificum nullum est gaudium quod non obtineat. Si est, nullus est, qui non sequatur. Tristitia si sit solida, nullum est malum. De ipsius protectione ne sis sollicitus. In comedendo felicitatem habet. (*Ita versio Tartarica.*)

INTERPRETATIO.

Nullum ex pace bonum est quod non facile jam assequatur. Quam difficilem in locum incidat, a nullo deseretur. Res tristes et arduae nihil mali afferunt, si solidus sit inter has animus. Nec timendum sub ipsius solida protectione. Meruisse sub illo stipendia, felicitas hactenus fuit.

Ad felicitatem quae celebrem sui fratris victoriam consecuta est, et novis in dies toto imperio institutis firmabatur, digitum intendere principem Tcheoukong, nullus est (opinor) qui ex dictis non intelligat. Constat etiam ex historia et novo reipublicae statu necesse tunc temporis fuisse, more antiquo, exemploque conditoris monarchiae Chun, lustrare imperium, ut malorum ipse testis certo statuer et quibus remediis utendum. Nempe inter tot diversos indole moribusque populos, in tanta animorum ob mutatum imperium varietate, non paucis in locis deesse non poterant molestiae tristitiaeque causae principi, ad omnium animos in suae familiae obsequio securius retinendos, pacem ubique stabilem aeternamque imprimis volenti. Opus proinde illi fuit non solum solertia sed etiam patientia, solidaque mente, ut non semper juberet, sed ut ad haec illaque admittenda saepe induceret, praesidio futurus obsequentibus, exitio clam detrectantibus. Obsequio itaque

no regiam demereri quisque poterat protectionem, eque cura ac sollicitudine si quae incesserat, sequando xsolvere, justa animo concepta securitatis spe, cum am fortunam principi Ou-ouang hactenus favisse constaret, et illos secutos bellatores principesque magnis donis auctos palam esset.

Ad hunc porro textum, seu potius (ut accuratius loquar) occasione textus hujus, illorum etiam judicio difficilis, excurrunt Sinae, quod facilius est, in laudes aequanimitatis, quae nec difficultate negotiorum dejiciatur, nec successu efferatur, ut videre est non solum in his commentariis, sed etiam in libro Confuciano Tchong-jong, et apud auctores libri Ji-kiang in opusculum Ta-hio, ubi tota personae compositio sita dicitur in illa attemperatione, quam pluribus prosequuntur, nec tamen plus ferme dicunt, quam noster Horatius tribus versiculis:

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Laetitia, morituro Deli.

„Nullus (inquit Tchin-tchouen, liber ante alios in „regiis commentariis vulgo laudatus) est qui non me„riatur reliquatque sua aliquando dissipanda. Ex ultima „antiquitate fuere qui opes coacervarent, ita ut illis „affluerent. Nulli tamen datum est a communi omnium „via discedere. Qui virtuti insistit, ille pace vere gau„det, illiusque felicitas est diuturna. Si qualibet die „virtutem augeat ac velut accumulet sibi, etiam illius „felicitas cum bonis augescit; et licet aliquando futu„rum sit ut abundet, nunquam tamen implebitur, etc. „In difficultatibus molestiisque opus est mente constante, „aequa solidaque, quae quietem animi foveat, nec se „nimium dejici, tristari et fluctuare patiatur. Nulla

„quies est sempiterna, nec ea qua frueris habenda est „nisi pro pace ad tempus concessa. Non semper ulla „rius itur (seu quis ad majora promovetur) ita ut alii „quando redeundum non sit. Viae planae et aequabiles „succedit inaequalis, abitui reditus. Non ita est de hu„gotiis humanis, ut de ordine coelesti rerum naturae„lium. Suum cuique est cessandi operandique tempus. „Non audent deesse; naturalis nimirum ordo habet certas vices.“ Tres istae lineae (quae sunt infra) principii dicti Yang, seu coelestis materiae indices, debent ascendere, et tres (quae sunt prius supra) lineae principii Yn seu terrestris materiae, vicissim descendent. Hoc tempus mutuae communicationis, qua plantae caeteraeque id genus res existunt, vocatur a Confucio in suis ad hunc textum commentariis coeli et terrae tempus et reipsa ad physiologiam refertur, ex cujus effectibus physicis velut totidem imaginibus moralia decerpere praecepta veterum mos fuit. At hoc loco interpretum recentiorum ductor nihil de physico, nihil de litterali sensu fere affert, ad moralem sua in explicatione unice intentus.

„Nihil est tam planum“ (pergit) „quod non in„aequale aliquando fieri possit. Nullus est itus sine „reditu. Esse in arduis solide constantem nihil est „mali. Ne cesses esse providus et sollicitus. Ita bona „comedere (seu vivere) poteris tranquillus nulliusque „rei egens ob bona acquisita, atque adeo tam felix quam „licet mortali“ etc. Quam explicationem servata etiam styli Sinici quantum licuit brevitate, ideo huc totam fere attuli ut specimen habeatur novum Sinicae de his disserendi rationis.

Horum omnium sensus eo pertinet ut nullam sibi pacem ac felicitatem putent boni reges adfore stabilem sine vigiliis, curis, cautionibus, quas maximas tunc ad-

nibebat Ou-ouang, ut sibi suaeque domui fortunam relut devinciret, suos admonens, nihil esse tam felix ac stabile, quod mutationibus etiam miserrimis non sit obnoxium, nullamque pacem tam solide constitutam quae aliquando non labefactaretur. Quae ergo ab interpretibus istis proferuntur axiomata, ea ab eis putem dicta ad posteritatis erudiendae memoriam, occasione rerum illo tempore gestarum: ad eum ferme modum, quo v. g. Tacitus narrata Germanici ruina posteros admonet, cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus sis, tanto magis esse in lubrico. etc.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Volat, volat. Utitur vicino non divite. Licet in se non vigilet, facit ut conveniat.

INTERPRETATIO.

Celerrime fertur. Adest ei vicinus seu socius, alienae opis indigus avidusque. Cum nulla jam sit invigilandi cura, accidet, ut utrique aeque sit.

Novis in Commentariis, volente imperatore regio typo nuper editis, post relatas auctorum interpretationes breviter deciditur, hujus loci sensum spectare ad reditum descensumque parvi hominis, seu vilis pravique, qui non potest subsistere quo avolavit, adeoque brevi decidens (ait Tching-tse) infra, non alius erit quam vicinus ille non dives et alieni avidus qui illum adjuvabat et sequebatur ob emolumenta quae percipiebat, ut plerique quemlibet magnatem divitias assecutum, lucrandi animo am-

biunt comitari, sequi, omnique officii genere c lere. Sed ubi dives esse desinit, simul eode passu eunt; tunc vero possunt habere verus animum mutuae conjunctionis, cum jam a quales sint et ad suum quisque ordinem reduct Verus siquidem amor inter inaequales vix coalescit, e pares aut invenit aut facit.

Ab id genus sociis seu adjutoribus, non minu virtutis quam opum indigis, perniciem instare magistra tibus docet Tcheou-kong. Fiet enim ex mutua nimiaque confidentia, ut mala consilia ineant aequeque simul ruant conveniente utrique et scelere e poena.

Quam itaque princeps Tcheou-kong superiore §. commendabat imperatoribus sollicitudinem et indefessam solertemque in praecavendo curam, ne ipsos scilicet decipiat tranquilla in speciem rerum facies (quae uno interdum momento vertitur) eandem hoc loco praecipit quibuscunque reipublicae administris, eorumque adjutoribus ac amicis consiliariis, ne fortuna opibusque tumidi desinant continere sese et sibi suisque invigilare, illorum facto discrimine, qui ex miseria eorum praesidio emergere conantes eorum opibus inhiant potius, quam famae bonoque publico student. Hoc genus assentatorum, quos parvos homines seu vilia capita vocat, celerrime et quam primum abigendum vult auctor Tcheou-kong; quemadmodum fere ad incendium, a quo aliquae scintillae emicant, extinguendum non tam itur quam evolatur.

ADNOTATIONES.

Nihil aliud juxta interpretes istae lineae demonstrant *nisi* ita constitutam esse naturam ut nihil in lucem prodeat sine mutuo concursu principiorum Yn et Yang, seu coeli et

rrae, quorum symbola in hanc figuram conjuncta utrius-
se operationes designant. „Inter coelum et terram si non
sit communicatio ac veluti commercium mutuum, nihil utile
fiet. Nubes, vapores aliique rerum subtiliores spiritus
in coelum deferuntur ut in imbres roresque
te soluti terrae refundantur. Dicerēs eos Sinicis
rbis expressisse Senecam ad Lucilium. Generatim igitur
concludunt: quae sunt infra necesse est ascendere,
t quae supra sunt vicissim descendere etc. Non
interruptis unquam vicibus, sed continenti perpetuaque suc-
cessione, qua, aiunt, nihil omnino stabile mutationi-
que non obnoxium esse in negotiorum et fortu-
nae suae cursu, mortales docentur. Ad quem sen-
sum Horatius noster lib. 4 odarum:

Immortalia ne speres, monet annus et almum
Quae rapit hora diem.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Ti-y. Sororem suam dat in uxorem.
Magna felicitas, summum bonum.

INTERPRETATIO.

Imperator Ti-y sororis suae collocatione princi-
pem Ouen-ouang sibi devinxit. Quam feliciter id
contigit ad pristinum bonum reipublicae recuperandum!

Nec mirum imperatorem Ti-y [1] eam collocasse
principi Ouen-ouang cum hujus pater Ouang-ki
jam duxisset eximiam illam ex familia Yn foeminam
Tai-jin, cujus celebrandae nullus finis in libris clas-
sicis et posterorum commentariis. De ea ode antiquis-
sima Ta-ming libro Chi-king canitur: „Ex domo

1) Nondum fuit imperator, sed dicimus imperatorem, quod postea
imperaverit, dinque, nempe 57 annos.

„Yn seu Chang venerat et nupserat in fam „liam Tcheou; Quang-ki erat intentus e „rcendae virtuti. Tai-jin concepit et p „perit Quen-quang.“ Illum autem imperatoris di nitate dignum demonstrant historiae, ex quibus co stat sub Tai-ting patre imperatoris Pi-y rebellan tes, aut, ut volunt alli, barbaros regni Yen, in pr vincia Pekinensi siti, multis victoriis domuisse. Quod id beneficii etiam concessum fuisset filio Ouen-ouang post patrem etiam victori virtutisque fama celeberrim Hujus uxoris meminit eadem ode, dum scilicet post de cantatum felicem illius ortum ad caetera principis Ou en-ouang decora dilabitur. Vocat eam Tai-ss virtutis incorruptae puraeque fuisse, et soro rem imperatoris celebrat. Nempe quemadmodum Tien tse coeli filius ab omnibus Sinis intelligitur imperator, ita Tien-mei, coeli soror in libris canonicis classi cisque imperatoris soror vocanda fuit. Haec si quis reprehendat ut hyperbolica, nihil moror, etiamsi nihil in nostris monumentis reperiretur simile, quod falsum est. Mater orbis etc. imperatrix in antiquis nummis dicitur: hoc satis superque est ad horum nominum significationem admittendam, quod apud Sinas, quibus nimia non videntur, sicut apud quosvis populos verborum arbiter usus.

Hujus porro usus causam aliquam verosimilem afferunt etymologistae et magni dictionarii Sinici auctor. Volunt enim litteram Tien sua velut origine significare primum magnum (J et Ta) ex quo sequitur in rebus creatis coelum utpote omnium maximum recte vocari Sinice Tien. Primos etiam urbium mandarinos Tien vocari a populo saepe audivimus, quod scilicet nihil sit apud illos majus. Idem de patre dominoque familiae ab ipsis etiam filiis dicitur. Quid pro-

inde mirum, praesertim si dictionaria ista quotidiano doctorum usu trita sequimur, easdem formulas apud veteres reperiri, nam haec ab illis excerptae sunt, ut per se patet. Et vero, quid absurdius excogitari posset versione v. g. istius loci de Ouen-ouang in eodem libro Chi-king: Ouen, Ouei, Tien princeps Ouen-ouang est Coelum. Quod ne vilissimae plebeculae in mentem veniat, licet imperatorem et quoscunque qui sibi praesunt Tien vocare solitae. Liquet itaque ex hoc a Sinis explodendo paradoxo, accipiendos similes textus aliosque non tam ad litteram quam ad gentis usum, et, quod maximi momenti est, ad libri sensum, qui ex variis locis collectus haberi certo plerumque potest. Hic vero, in ode non solus pater Ouen-ouang dicitur esse Tien, sed filius quoque Ou-ouang. Quid ergo geminum coelum agnosces? Vel Ou-ouang cum Ouen-ouang confusum dabis? quos tamen tota olim antiquitas, tota etiam nunc natio ita distinguit, ut nullos magis.

At, inquiet forte aliquis, in Chi-king secundae familiae regiae fundator Tching-tang appellatur Ou-ouang et ipse Ouen-ouang dicitur Ou. Cur vero, nisi quia princeps Ouen-ouang nomine ac virtute pacificus debellatis borealibus barbaris habuit quoque bellici victoris Ou-kong-je merita et agnomen hoc honorificum. En tibi ex libri hujus subsequentibus textibus solutionem quae facile transfertur ad Tching-tang, qui victoriis de tyranno Kie relatis dignissimus etiam fuit cognomine bellatoris eximii Ou. Confluxerant domi forisque spectatae virtutes in Tai-sse, sororem imperatoris Ti-y, cujus velut sociae maxima quaeque negotia secundo omnium plausu tunc temporis consiliis administrabantur. Expetebat, ait Confucius, eximiam illam Tai-sse in uxorem

sibi Ouen-ouang, sic tamen, ut licet illius desiderio teneretur, nihil ageret diceretve utroque minus dignum. Imo ubi nuptiarum dies affulsit, quamvis aula festo musicorum concentu resonaret, adeo tamen nihil erat, ita ille mandaverat sponsae suaeque probitatis memor, quod verecundas aures offenderet, ut e contra petulantiores animorum motus coercerent eximia quae illis carminibus tradebantur documenta, inspersa nimirum, juxta interpretes plerosque, epithalamio in laudem sororis imperatoris.

Nec quod in principis domum Ouen-ouang transiisset Tai-Sse, ideo minus particeps facta est consiliorum. Nam princeps jam gener tanta sapientiae ubique fama, tanta in aula valebat gratia, ut nihil a suis attentari vellet imperator, quod non solum sibi ac sorori, sed etiam genero sapienti velut perito rerum publicarum comprobaretur. Inde factum est, ut sensim sine sensu sub filio Tcheou brevi omnibus odioso, maxima imperii pars illi adhaeserit, itaque illi ferme obsequi consueverit, ut in libris classicis canonicisque dicatur dominus, imperator etc. cum principes fere omnes et clientelares imprimis sapientia quidem, sed tamen suo nutu regeret.

Tantum autem consiliis et administrationi suae uxoris Tai-sse ipse tribuebat, ut ei felicitatem suam magna ex parte adscribendam palam praedicaret, et historici Sinae illi acceptam inprimis referant praeclaram illam institutionem filii Ou-ouang publicae felicitatis instauratoris, praetereaque successus rerum maxime secundos, quales celebrat historia. Felix itaque, ut hujus textus est sententia, casus, vel si mavis, o fortunatum matrimonium, ex quo extitit prima felicitas reipublicae. Perspicuus itaque est tex-

us, nec ullis opus est allegoriis mysticisque conjecturis. Ut enim intelligatur satis est loco librorum authenticorum ad idem facientia non indiligenter conferre eoque inclinare animo quo trahunt. At jam conjecturibus et hariolis divinare non liceret. O iniquitas temporum! o damnum! erit fortasse qui quaerat quid causae sit principi Tcheou-kong rerum sub imperatore Ti-y praeteritarum hoc loco recordari, exemplumque hoc fere obsoletum velut alligasse ad istam figuram Tai tranquillae pacis ac quietis indicem. Etiamsi nostrae interpretationi satis utique est cohaerere eam obvio sensui et libris Canonicis historicisque; huic tamen difficultati respondere non pigebit. Est enim illius solutio facillima, cum toto hoc capite agatur de quiete toto imperio aeternum statuenda et de eradicandis belli seminibus, sicut patet ex proxime dictis de cura imperatori non remittenda, de pravis ad magistratum non evehendis, de vigilantia eaque perpetua ab omnibus praefectis exigenda, a quorum neglectu sub imperatore Tcheou turbae quam plurimae ipsique tandem exitiosae profectae erant: necesse utique fuit digitum intendere ad praecipuam perversae hujus administrationis causam, nempe ad reginam Ta-ki, de qua toties dictum ad praecedentes figuras, quae a Tcheou-kong odiosior profecto fiebat, revocatis contra in omnium memoriam egregiis suae matris Tai-sse virtutibus utilissimisque administrationi publicae consiliis, tum imperatori Ti-y fratri, tum marito Ouen-jouang palam privatimque datis.

Foeminisne (aiet aliquis) tantum datum est illo tempore, quo foemineum regimen necessario fuit summe invisum saeviente regina Ta-ki? Cur non ita? nonne ex hujus coeca crudelitate eo magis elucebat sapientia et moderatio uxoris Tai-sse principis Ouen-

ouang imperatori Tcheou tam velut rivalis? numquid et illius nurus filiique Ou-ouang uxor Ye-kiang ita ex ejus praeceptis exemplisque profecisse memoratur, ut ab historicis omnibus eam eximiis imperii administris annumeratam legamus, imo a Confucio in libro classico Lun-ju quod veteri proverbio dicitur: „magnae dotes difficile et raro habentur, nonne hoc verum est? solum fere regimen sub Tang et Yn, „priusque sub Yao, Chan cum nostrae familiae regias quae successit regimine id commune habuit, floruisse praeclaris administris, hoc nostrum tamen felicius fuit, quod omnino decem hactenus numerarit. Inter quos decem recensetur una mulier, regina scilicet „Ye-kiang imperatoris Ou-ouang uxor; adeoque novem duntaxat viri numerandi sunt et non amplius. „Verissimum itaque est vetus illud adagium, magnas „dotes obtentu difficiles et raras esse.“ Erat autem et ipsa Ye-kiang velut aemula truculentae pellicis Takij; tam haud dubie illi infensa quam maritus Ou-ouang post mortem patris Ouen-ouang hostis publicus ac debellator tyranni Tcheou. Res est igitur omni a parte aperta et perspicua, nedum, sicuti praetendebatur, densis involuta tenebris, quibus obtegi possint arcana quaedam mysteria ab acutioribus mythologis aut hariolis tandem aliquando reseranda.

ADNOTATIONES.

1) Locus quintus, aiunt vulgo interpretes, est maxime nobilis et imperatori proprius, secundus potius subdito designando convenit, quem tamen hoc in emblemate occupat linea principii Yang firmi, coelestisque materiae symbolum, quo tempore quinto loco insidet linea interrupta, index principii Yn debilis seu materiae terrestris, et adjicitur inscriptio ad Imperatoris sororis nomen pertinens. Quid inde, aiunt, concludendum? Id certe, quod imperio toti praesit licet puellae regiae soror seu filia, Fei tamen publicae proderit

sietque satis populis, ai adjuvetur, ac velut fulciatur opera eius subditi rerum administri aeque fortis ac sapientis, illaque velit, illius consiliis obsequi; quamadmodum principium [illegible], etiam dum supra est, nihilominus nititur viribus principii. Yang, et ab illo in omnibus ferme pendet, metumque sequitur, ut fati deinde felix naturae prognosio. Nempe volunt Sinae philosophi, ut diximus, motum et quo existunt res, quae in lucem quotannis prodeunt, proficisci a materia coelesti, et terrestri certo gradu communicari. Unde sequitur hanc causam, cum maxime vigeat et valeat dominatur, totum quantum est id quod operatur illi potissimum debere.

2) Interpretes aliqui volunt nomine Ti-y intelligi ipsum Tching-tang secundae familiae regiae conditorem, quod in libris antiquis semel iterumque nominetur Tien-y. Hanc sententiam proponit doctor Siang-che-Gan repetens a Tching-tang officia dein praescripta regiis puellis erga suos sponsos licet patris vasallos. At mox omissa nominis similitudine se ipse castigat cognoscitque ipsemet suae conjecturae levitatem, et quidem merito. Sit ita. Tching-tang sit interdum appellatus Tien-Y, nullibi tamen constat eum appellari Ti-y. Unum nomen componere ex nomine communi imperatoribus Ti et ex secunda littera Y, nominis illi aut alteri proprii, quid aliud quaeso est quam sine exemplo, sine auctore inaudita loqui, et duos principes longo tot saeculorum intervallo distinctos temere confundere, ne conjectura ex nomine nimis absurda videatur? Haec sola itaque interpretatio probanda est, quae nihil habet ad sensum violente torquendum, estque ejusmodi ut conveniat et tempori et rebus et personis actoribusque, ut ita loquar, tragoediae, quae tunc dabatur et in historiis Sinarum omnibus refertur, quemadmodum satis superque exposuimus.

3) Quod autem venit non nemini in mentem, agi in hoc loco de abjectiore quadam persona ad honoris et potestatis fastigium evecta, quod quinta linea adumbrat, ex infimo vilique loco qui est secundae lineae, id totum prorsus nullo nititur fundamento. Nam ex dictis hic agitur de virgine regia, quae e domo imperatoris patris transfertur, seu, quod est verbum praecipui interpretis, descendit nubendo in familiam sua utique minorem. Non ergo attollitur, sed demittitur. Ecquod illi honoris et potestatis culmen accidere solet apud Sinas ex

matrimonio sororis vel filiae imperatoris cum aliquo ex ma natibus vel principibus sibi subditis? Nulla certe, vel si to revolvatur historia, invenire est. Sed neque in sola figur Tai quinta linea est Yn, symbolum principii Yn infirmi d bilisque, cui infra respondeat secunda linea Yang. Qui igitur in quarta, septima, decima quarta, aliisque id genus sumquid erit agnoscenda conditionis vilis in supremam ma tatio? quod certe falsissimum est, ut patebit attendenti.

4) Ideo itaque hujus figurae 11 quinta linea haec lic genere suo Yn vilior prae caeteris attenditur, quod inscri ptione ipsi subjecta mentionem faciat sororis imperatoris Ti-y et praecipuum totius symboli sensum complectatur, ita, ut ni hil fiat, nisi hoc primum enodetur; et quod reipsa princeps ista Tai-sse, quae hac linea quinta adumbrari supponitur, et genere suo scilicet foemineo Yn fuerit quidem debilis vi lisque, et virilem tamen Yang locum, ipsis imperatoribus dignum, sua virtute rerumque peritia obtinuerit, publicorum consiliorum et administrationis particeps facta tum a fratre imperatore Ti-y, tum a marito Ouen-ouang, quibus ta men quidquid gloriae habuit ac potestatis haud dubie debebat. Quod enim est in hoc linearum situ observandum, genus li neae et locus: ibi genus pertinet ad Yn, locus pertinet ad Yang utrumque observamus. Nihil ergo differt sensus histo ricus et moralis ab ordine physico figurae. Ad haec quid desideretur ulterius non mihi occurrit. Ita explicandi sunt textus nonnulli interpretum et ipsius Y-hoe aientis secun dam lineam maxime velut aestimare et venerari quin tam, hanc vero refundere quod habet decoris in secundam. Nihil enim amotis verborum ambagibus am plius significat quam id quod narravimus de Tai-sse, quam Ti-y et Ouen-ouang imprimis coluere habuereque consi liorum participem ac velut in administratione socium, ita ta men, ut haec vicissim potestatem et gloriam suam utrique ac ceptam referret.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Murus redit ad fossam; ne utaris multitudine. Ipsemet mandatum urbi promulgat, licet sit solidum, est locus poenitendi.

INTERPRETATIO.

Accidet ut murus quem struxeris in ipsam fossam ruat, si utaris multitudine ineptâ; et licet deinde mandatis tuo nomine promulgatis non male restauratum sit damnum, tibi tamen erubescendum erit.

Occurrit hoc epiphonemate princeps Tcheou-kong culpantibus nimiam fratris Ou-ouang ac superfluam omnino curam in praecavendis, quae tunc nunquam futurae videbantur, turbarum causis, accersendisque undique ministris pluribus populique praesidibus suas ad regulas exigendis.

„Debet (interpres) prius fossa tundendo aequari ac „durescere, ut solide disponi possit congesta materia, „et ex ea murus efficiatur. Idem prorsus est in arte „gubernandi ad quietem stabilem populo obtinendam. „Si secus fiat mutetur que haec agendi ratio, accidet ut „muro urbis, qui sensim facit (ut in mobili) rimas et „per partes labitur, dum totus tandem in fossam recidat. Nam ubi perventum est ad summum quietis, „vulgo exsurgunt homines pravi vilesque, quos linea „haec sexta exhibet, tortas et turbulentas vias incedere „incipiunt.“ Non est itaque utendum quacunque militum aut plebeiorum multitudine, sed sapiens qui praeest nec etiam potest utique carere aliquo hominum numero, ergo utatur viris lectissimis ejusdem secum affectionis et eodem corde obsequen-

tibus, sicut accidit sub initium gubernationis imperi a Ou-ouang susceptae. Tunc illius duces unum erant cor. Brevi pervenitur ita ad ultimum quietis terminum. Si deseritur via qua pacata tunc sunt omnia, si superiores et inferiores diverso pravoque sint animo, si cor populi sit in varia dissidia distractum, non obsequens superioribus, cuinam potest esse usui nisi turbis certo excitandis, vulgique auxilio rei restituendae aut firmandae magis ac magis inutili reddendo. Esto. Adhibeantur jam consanguinei aliique propinqui ad adjuvandum et admonendum, ad mandata promulganda, fac ut obtineant tandem suis curis populos subditos in rectam viam redire, nihilominus ruborem et pudorem tibi afferet haec agendi ratio, causa turbarum quas sine alio componere non potuisti. Sapientis quippe proprium est, nihil quod poenitere possit facere. Hoc igitur epiphonema ex similitudine muri solide fundati et provida cura nisi ruinam velis ab ipsis rimis omnique labecula defendendi, expressum est ab auctore Tcheou-kong, velut corollarium politicae doctrinae, quam sequebatur Ou-ouang, et ut necessariam suis imprimis commendabat circa vigilantiam; ad quam ut se ipse excitaret, jusserat inscriptiones columnis aulae regiae affigi varias, at in eundem sensum: „Ne dicas: haec decidere „omnino non potest. Ita sentire, est casui causam dare. „Ne dicas: illa non potest corruendo ulli nocere; id „enim est amare damni periculum. Ne dicas: ista non „potest cariem contrahere; hinc exit prima mali labes, „quae te et domum praecipitem aget.“ Quidni ergo Tcheou-kong ad sensum fratris hac muri similitudine non inculcaret, qua cura ad res publicas servan-

s intendendum sit; quam necessaria sit cautio animi-
ie provisio etiam inter res imperii prosperas et in
sa pace.

Sperat infaustis, metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum
Pectus,

Nec satis est, juxta Confucium, non dejici adversis nec efferri secundis, nisi animus ita curis ac perturbatione sit liber, ut possit de venturis ac juxta temporis circumstantias consecuturis judicium ferre prudenter certum, quo scilicet longe ante praevideantur, quantum fieri potest, praevertenda. Non eminus, ait in Lun-yu, ac longe negotia praemeditans, procul dubio habebit moerorem seu moerendi causas. Qui autem non ita ingenio valet, ut possit longius respicere, idem consequitur, si nunquam cessat attendere. Princeps, dixit Tcheou-kong fratri Ou-ouang, qui ad minima attendit, populi quietem fovet et suae familiae imperium asserit.

ADNOTATIONES.

1) Textus, aiunt interpretes, non dicit, negligenti omnes id genus curas obventurum infortunium quo statim funditusque pereat, sed (Lin) rubore et pudore eum esse suffundendum, cum sera eum poenitentia subeat, turbis jam motis, turpeque sit imperatori regique ab aliis sibi subditis emendari fieri quae male cepere. Totidem ferme verbis idem nostri observant veteres politici ut Tacitus monet: principi indecorum attrectare quae non obtinerentur.

2) Id superesset requirendum ab his interpretibus quid epigraphe faciat ad figurae oblatae philosophiam? Nam haec juxta illos tota versatur in conjunctione seu cooperatione principiorum Yn et Yang. Yn scilicet materiae terrestris agitur coelestis materiae motibus foecundaque fit verno aestivoque tempore. Ideo, ait glossa, hic linea sexta est terminus illius felicis status, ultra quem est mutatio in frugibus plantisque ac tota natura.

tamen sine exemplis, quae referunt. Satis sit illud a Confucio allatum, Principem scilicet ditionis Ouei narrat petenti regulo Tsi regni, an lapides pretiosos suo in thesauro haberet, respondisse, gemmarum ad instar sibi esse quatuor ditionum suarum administres eximios non solum huic parvo regno, sed longe majori administrando pares.

Maximam porro exigi curam in iis quaerendis, internoscendis, et neglecta multorum ambitione, amotisque partium studiis, debito in loco collocandis, multis Sinae explicant nostrae ethicae non absimilibus. Confucius vero etiam eo progreditur, ut clare doceat solum pium et vere amantem populi principem, esse ejus virtutis, ut quem ejusmodi ministrum deprehendat suo munere indignum, eundem quam primum proscribat longeque exterminet a regno usque ad quatuor barbarorum plagas, ne quidem illum permittens habitare in medio regno, nempe Sinico. Severitas enim tota principis in eum exerenda est qui omnibus nocet. Nihil modici aiunt in publicum peccari. Efficiendum ut caeteri paveant. Poenam unius in omnium bonum cedere etc. Sed haec praecepta potius ad doctrinae moralis ac politicae suae ostentationem dicta putaverim, quam ad sensum epigraphes, quem satis leviter perstringunt, quod forte censeant, et quidem merito, eum elucescere quoque ex dictis ad figuram undecimam, cui haec duodecima velut ex adverso posita est. Notant tamen aliqui, hanc doctrinam tradi a Tcheou-kong imperatori Tching-ouang: ne utaris parvis vilibusque nempe abjecti animi hominibus.

ADNOTATIONES.

1) Duodecima haec figura est undecimae inversio, ut oculis patet docetque felicitatem quae, ut mortalis, sua natura caduca est, continenter excipere aliqua calamitatis initia. Res,

ait Tching-tse progrediuntur et regrediuntur, ubi perventum est ad limites felicitatis, tunc mutatio incipit. Unde est quod haec figura exhibet coelum supra, terram infra, velut ab invicem separata sine ulla actionum communione. In antecessum scilicet repraesentat naturae statum jam cessantis septima, ait glossa, luna, ita ut hoc emblema dici possit emblema septimae lunae, quo tempore coelum et terra velut claudi et obstrui videntur, sicut et significat vox Sinica Pi. Horrida itaque atque, ut ita dicam, nulla fieri incipit agrorum species faciesque terrae.

2) Hac figura in commentario Confucii significatur coelum et terram non uniri nec res invicem penetrare, mutua scilicet ad rerum generationem necessaria. Quando autem inter superius et inferius non convenit, nullum est regnum. Non minus siquidem horrescit quam tellus coeli fluxibus destituta.

Ex hoc porro superiorum et inferiorum mutuo neglectu existit quod additur: lex sapientis deperditur floretque lex insipientis, suum ex turbato ordine incrementum accipere soliti, populis spe meliorum ad turbandum inductis; ex eo scilicet hominum genere a quibus boni publici nomen obtenditur, et qui, ut utar verbis Taciti, privatim degeneres in publicum exitiosi, nihil spei nisi per discordias habent. Hos internoscere quam necessarium est, tam arduum esse clare docet Mencius non uno in loco. Monet tamen in genere hic Confucius, non pro sapientibus statim habendos esse qui tales videri volunt, aut etiam a vili plebecula praedicantur. Multitudo, ait, aversatur quempiam, omnino examinetur; gaudet de quopiam, omnino examinetur. Fieri enim potest, ut sit hypocrita populoque malis artibus commendatus, et, ut utar verbis commentarii, Yn intus et Yang exterius, intus insipiens, exterius sapiens etc. Patet itaque sensum Confucii eundem esse atque caeterorum interpretum totumque spectare ad politicam imperii regnique recte gubernandi rationem, quae carere non potest sapientibus probisque magistratibus. Frustra hic aliud mysterium aut arcanum quaeras, quod ad futuros aliquos eventus referatur, ut patebit ad dicta attendenti.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Si herbae et radices in unum colligantur ejusdem speciei reliqua sequuntur. Solida bona, penetratio est.

INTERPRETATIO.

Qui salubres herbas et radices colligit ad usum, ad ejusdem speciei atque utilitatis herbas, si iis iterum indiget, redire solidae felicisque perspicaciae est.

Ex undecimae figurae epiphonemate primo quis sit istius sensus et quo spectet facillime intelligitur, scilicet ad parvi et magni discrimen. Parvum seu animo pravum et sibi morum similitudine amicitiaque conjunctos, aiunt interpretes aliqui, figurae Pi pars inferior designat tribus suis lineis Yn, debilis principii symbolis. At tribus aliis superioris partis Yang lineis exprimit magnum virum animo excelsum rectumque, atque probos ipsi non minus addictos, qui sequi gaudeant. Virtus, inquit Confucius in Lun-yu, non est solitaria nec desertae terrae ad instar. Omnino habet vicinos, nempe suos cultores et sectatores, ut explicat vulgus interpretum. Tunc illi, ait Tching-tse, comparantur herbis collectis similitudine speciei soloque illis opportuno velut invicem conjunctis. Sed enim noxias eradicandas esse docuere haec undecimae figurae verba: parvus vadit. Salubres itaque retinendas aut etiam in usum revocandas docet epigraphe duodecima huic epiphonemati praemissa. Magnum vadere non ferens, sed contra sapientis soliditatem esse viroque

rincipe indignum pronuntians verbis minime ambiuis, si cum prioribus conferantur. Porro ad partam mperio quietem diu retinendam parvis qui magistratus liquo munere ad rempublicam sunt aggressi, non esse arcendum, imo nec sociis eorum de vitiorum communione vulgo colligatis, significant herbae simul eradicatae quae a sapiente Tcheou-kong in exemplum afferuntur. Cum vero quieti plerumque, ut fert mortalis conditio, succedat turbandi causa, parvis seu pravis vilibusque animo civibus qui audacia tunc magis ac magis in publicam rem irrumpere conantur, haec sit oportet gubernatorum vigilum cura obsistere his eorum initiis, ne malum crescat, et magnus seu probus sapiensque malis fictisque artibus ne abigatur, vel etiam opprimatur, cum e contra is studiose omninoque retinendus sit a principe qui ad eum eo saepius recurrere debet, quo periculosius respublica laborat. Quo loco non solum alluditur ad salubres herbas, ad quas toties recurritur, quoties opus est, sicut in textu subindicatur, sed etiam ad contrariam his praeceptis agendi rationem expulsi Imperatoris Tcheou, qui a sapientibus, quales erant principes Pi-kan, Ki-tse patrui et magnates, Ouen-ouang etc. consilia non solum non petebat, sed etiam illis inviso obtrusis induci videbatur ad pejora audenda, opprimens et opprimi sinens a malis aulicis, ut narratum est supra, eximios illos et vere magnos primates.

Quae ab interpretibus et philosophis caetera referuntur, non ita pertinent ad textus propositi explicationem, quam ad arguendam hypocrisin parvi qui, ut, aiunt, videt res mutatas, diversam illico, sicut illius interest, agendi rationem init. Et admodum impediendum quo minus hac falsas pecie se tueatur. Sed hoc ementitum probitatis nomen, diu im-

ponere silentium non posse viris ad ejus dicta factaque attentis notant iidem, quod diu eos latere sua non sinat cupiditas, brevique sit cladis causa.

Itaque quod Confucius ait probum assidue provehi vere sursumque, insipientem improbum que assiduo deorsum vere labi, ita intelligendum est ut probitas magis ac magis augescat reddatque virum provehi digniorem; improbitas quo magis crescit eo propior ruinae fiat. Hic improbus insipiensque, ait interpres Tchang-ko-lao, est similis fodienti puteum; quo longius progressum se putat, eo humiliorem in locum se devenisse tandem videt.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Cum obedientia indulget. Parvus bene, magnus male. Est penetratio.

INTERPRETATIO.

Obsequendo favent parvus seu vilis pravusque suo cum bono, magnus seu nobilis rectusque suo cum malo; perspicacia ei opus est.

Ubi nimirum in regno turbatur, illico vel populus in seditionem versus vel dux auctorque molitionis novae multa non tam petit quam imperat. Exigui animi pravique homines, si aequo animo haec complectantur, si illis quam primum obedientiam praestent, videbuntur sibi sapientes, viaque illis erit aperta ad fortunandas res suas. Id circo textus dicit parvum obedire cum bono suo; addit Tching-tse glossae relatae auctor

precando scilicet a se adversitatem suaeque privatae ersonae utilitatem, quaerendo. Ea nempe est felitas parvi. Magnus e contra erecto excelsoque imo perfert exortam adversitatem, eadem, qua bene oepit, insistens via. Quid vellet jam per devios ircuitus incedere? et adulatorie obsequi superioibus ita constitutis? „qua est animi fortitudine aeque „perfert adversa; patitur ipsius corpus, sed agendi ra„tio perseverat intacta a sordibus privati amoris boni„que. Mentis perspicacia in his novorum motuum dif„ficultatibus minime ambigua est, vero intento falsa„que virtutis bonique specie decipi nescia.“ Licet subjacere coactus a publico abstinere velit et vitandae turbationis majoris causa domi sese contineat, ejus tamen virtus nec metu nec labore frangitur, ita ut interrogatus ad diverticula verborum et involutos de bono publico sermones nunquam recurrat, etiamsi sit in aliena potestate, suis moribus referens qualem utrumque principem Ouen-ouang et Ou-ouang dominante tyranno Tcheou fuisse narrant historici Sinae, quod ex superius relatis cum jam constet, novo testimonio nihil opus est confirmare.

ADNOTATIONES.

Haec linea principii, debilis Yn symbolum, ait glossa, equidem est hic vere in medio, estque, addit Tching-tse, tamen tota facta ad exprimendos sensus veri parvi. Hunc graphice pingit doctor Yang-chi in regiis commentariis laudatus. Parvus servit ultro cuicunque, qui supra sit. Quaecunque indigna, ita fert et concoquit, ut nequidem emanare sinat in publicum. Dura ita recipit ut non audeat quicquam contra agere, timens, sed sibi, audens, sed pro se, patiens, sed pro suo commodo. Inde ejus fortuna seu bonum, ut loquitur textus, parvi cuicunque cum obedientiae indulgentis. Inde etiam dolor

et luctus magni, qui bonum publicum fasque desertum videt, nec esse inter eos magistratus quibus cesșit et qui posse aliquid parum videntur, ullum reperiri, qui libera posset Verba animi proferre et vitam impendere vera.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Ignominiam patienter sustinet, verecundatur.

INTERPRETATIO.

Ille parvus improbusque sive sit perturbator audax omnia movere, sive putidus perturbatoris assentator; alter quod cum ea conditione animique facultate natus sit, ut inferiore in loco consisteret, ad superiora ascenderit ausu erubescendo; — ita doctor You-chi-tse in commentariis regiis toties a nobis adductis, quod omnium ferme interpretum sensus et saepe ipsissima verba contineant — alter ita est comparatus ut blandientis specie noçere nec parum velit, nec tamen potest quaecunque vult apud morosos plerumque ac suspiciosos mirum in modum usurpatores. Quidni igitur ejus color pudoris signum indicet? Est ille, ait glossa, imago hominis verecundati, cui per pudorem non licet foras prodire, sed domi latere suaque probra quantum potest occultare solet. Ita interpretes passim.

ADNOTATIONES.

1) Huic epiphonemati de parvo non apponitur, sicut in aliis, quod hunc consequatur (Ling) dedecus, (Hiong) infortunium, (Kiou) error. Quid in hoc causae subest? vulgo respondent interpretes pudorem esse ad instar omnium incommodorum quae casteros afficiunt, nec parvam poenam

esse viro, si vir sit, ita verecundari. Placet et quod a nonnullis observatur de natura illius hypocrisis, quae parvo in his textibus adscribitur. Cum ita illius improbi animus esse supponatur, ut foras prodire non audeat ideo nec infortunia incurrere dici potest.

2) Notant quoque id genus homines pravi abjectique animi, sive ipsi turbas, a quibus extollantur, excitari incipiant, sive caeci adulatores nutum omnem usurpatoris sequantur, plerumque carere successu firmo, semper resistentibus illorum conatui cuicunque scilicet magnis et sapientibus, quam, vis illi nec ingenio nec viribus careant et reipsa sint tales non raro. (Juvenal. Sat. 3.)

Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit fortuna jocari;

patienter ignominiam sustinet, hoc est, ait Confucius in hunc locum, dignitatis sedem non obtinuit.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Est mandatum; nullum est malum. Eidem naturae inniti est felicitas.

INTERPRETATIO.

Lex naturalis nondum est in illis extincta; malum itaque non est extremum. Quod haec insit intusque vigeat adhuc, felix subsidium est ad illos ad officium revocandos.

Mandati nomine, ait commentarius communis, intelligitur coeli mandatum. Hoc verum in libris canonicis classicisque esse naturam interpretibus et philosophis pro comperto est, quae dum velut recens est et intacta, unumquemque officii intus admonet continuo arguitque sollicite eorum omnium quae contra rationem fiunt aut attentantur. Haec vocatur a

Sinis Leang-sing, Leang-Chi etc. (vid. Mencium Cap. 5. l. 1.) bonitas naturalis, rectitudo ingenita, ita ut totum quod ratione et conscientia docemur, sit coeli mandatum ab improbis violatum, a probis observatum.

Ex ea rectitudine cordi humano ingenita superesse aliquid articulus hic quartus supponit in iis parvis, qui non sunt republica, quam attingere datum est, aperte et omni ex parte indigni a vero principe judicati; atque adeo qui suscitata, si ita loqui fas est, praeceptis et admonitionibus, quae superstes est, primitiva naturae a coelo infusae bonitate, e malo emergere possunt, et dare initium restituendae tranquillitati, redeuntis materiae coelestis Yang symbolo hic expressae. Malum non itaque est summum, non desperata cordis probitate tunc ad bonam frugem officiumque illi revocari possunt tanitendo ipsa natura, quae nihil aliud est, ait Tchou-hi, quam quidam ingenitus pietatis et aequitatis rectus sensus, qui sicut a passionibus inordinatis vitiatur, ita exerit sese ac velut perficitur ab ipsis, si temperentur juxta rationem. Hujus clare expositae auxilio uti ad multos a turbis avertendos, utile felixque est, quod experientia successuque prospero principum Ouen-ouang et Ou-ouang paucos ante annos fuerat compertum, quorum adhortatione ac consiliis plerique tyranni Tcheou assectatores ad rempublicam in melius statumque pristinum restituendam adducti tandem fuerant. Id ex emblemate intelligi posse volunt interpretes. „Quarta, ait Tching-tse, linea indicat principium Yang, natura sua efficax et firmum. Quarto hoc in loco prope abest a quinta linea imperatoris sedem exhibente, valetque satis ad re-

tituenda quae inversa ac perturbata sunt. Tempus perturbationis est tempus utendi doctrina sapientis, qua efficitur ut improbi desinant deinceps bene mereri. Ubi haec vigere incipit, ejusdem naturae homines ab ingenita bonitate excitati quam plurimi simul prodeunt et ipsi accurrunt ad comprimendas turbas, qua ex concursione et reversione existit felicitas seu prima boni publici redintegratio. Si sint ejusdem naturae geniique, cum eodem contendant et nitantur, facilius feliciusque succedet. Si diversae, major est in conversione labor, utique erit imo insanis, si nullum est mandatum seu lex naturalis jam in eorum animis nulla est.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Infortunium repellit. Magni felicitas. Mortuum est. Moris addensatis alligatur.

INTERPRETATIO.

Infelices regni turbas componere, magnatum seu sapientum bona fortuna est. Extinctae sunt, extinctae sunt, o bene! si non sunt, sicut res alligatae dumeto ex moris, multiplici simul radice.

Nec satis est rempublicam, compressis perturbatoribus, malo praesenti liberare, quod, inquit glossa, est negotium officiumque magni seu magnatum ac sapientum imperium cum principe administrantium. Debetur et alia imperio cura, nempe providendi longius in futurum. Magni viri opera, ait Tchìng-tse, cessant turbationes et infortunia imperii.

Quocunque eat vir ille vere magnus, abigitur calamitas, redit tandem felix tranquillitas brevique pervadit omnes imperii partes, eas etiam quas, nondum depulsis turbis, pace non fuerant adhuc compositae. Sed ne tunc quidem qui reipublicae praest, sit animo tranquillus cessetque, sibi ipsi adulans, perinde ac si hoc perturbationis malum sit omnino debellatum, mortuum radicitusque mortuum ac velut excissum; imo profundius perscrutetur, longius attendat, quo minus iterum redeat turbulentum hoc malum seu infortunium. Ne redeat, non facile temereque dicendum mortuum est, mortuum est, sed omissa jactatione adulatorumque plausu existimandum est cuicunque vigili gubernatori aliqua ex parte superesse clamque inhaerere esseque velut alligatum dumeto ex moris multiplici simul radice.

Haec scilicet dicuntur, ait Tching-tse, quod in his insit vera ratio regni pacandi seu habendi pacati, similis modo recuperandi ea quae implexu e moris dumeto colligantur. Mori sunt res id genus ut non sint firmae nisi cum radices altas egere simulque conjunctim succrevere; tunc vero firmo retinent quae alligata habent, nec elabi patiuntur, si unam vel alteram obiter solveris vel secueris. Hinc est quod vir excellens seu eximius princeps vel minister hac ex similitudine proficiens, omnia profunde perscrutari non cessat. Dynastiae Han quintae primus minister Ouang-jun, dynastiae Tang decimae tertiae minister Li-te-ju cum nescirent ita longe providere seu singula alte introspicere, arcessiverunt suis infelicitatem qua subversi sunt. Confucius in appendice Hi-sse ait, quod timuisti malum fe-

ciat, ut tuae personae vel dignitati caveas. Morte alterius fiat adjuvandi conservandique peritior. Ex turbato aliquando regno quemadmodum regendum sit intellige. Ideoque sapiens, licet quiete fruatur, non tamen ponit metum curasque, nec obliviscitur praeteriti mali etc. Doctor Tchou-sse: per verba haec: mortuum est, mortuum est, moris addensatis alligatur, indicatur minister vel princeps qui est provide sollicitus et corde pavido revolvit praeterita, qui potest a se obtinere, ut sit semper ad singula attentus et anxius curis. Illi rerum momenta singula profecto e rebus etiam in speciem levibus sunt expendenda. Absit ut ab eo dicatur mortuum, mortuum est, et simul non addatur: alligatur dumeto ex moris, ista conjungenda sunt, cum sententiae sensus, si clare loqui volumus, sit, turbationem ortam concidisse, sed quae est animorum humanorum conditio, manere tamen adhuc turbandi causas seu radices et quidem altas; quae licet sint seorsim debiles, conjunctim tamen imperium possunt subvertere. Non est itaque locus desidiae sapienti reipublicae administratori. Ne putet quisque ille est, avulsa una alterave radice vel arbuscula ex toto dumeto, nihil deinceps implicati solvique difficilis exoriturum. Avulsis brevi accrescunt aliae multaeque adhuc supersunt, siquidem dumetum est etc. Quae omnia remotis his metaphoris duntaxat pertinent ad vigilantiam, praevisionem et sollicitam de populi quiete ac publica pace, principibus et magistratibus commendandam; quod enixe a novo imperatore Ou-ouang postulatum atque posteris suis inculcatum jam ad superiores figuras non semel annotavimus. Hujus tamen loci, aiunt, propria cura est,

non solum vigilanter attendere ad belli ac dissidii initia sed etiam ad horum semina, dum dispersa sunt et obtecta, seu, ut loquitur Chou-king, dum non apparent. Neque enim semper apparent, et tunc imprimis sunt metuenda, quando scilicet administris male contentus merito populus alienationes animi induere incipit. At quaesivit aliquando imperator Ching-tsong ab uno e primis imperii administris doctissimoque Fan-chun-jin, quid illud est in Chou-king, non apparere? juxta interpretem Tou-mou respondit Fan-Chun-jin: est populum audere corde intusque irasci et non audere palam loqui.

ADNOTATIONES.

1) Quinta haec linea principii Yang symbolica, cum medium ac directum occupet locum, refert sedem nobiliorem. nempe illius qui turbidis temporibus potest res componere, nempe magni aut sapientis tunc gubernantis vel totum imperium vel aliquam imperii partem, uti patet ex commentariis auctorum qui diversis aetatibus floruere et quorum explicationes simul collectae Tsi-choue referuntur in nova regiaque editione libri Y-king ac notarum facto inter varias sententias justo discrimine, quod indicat vel ipse titulus Tchetchong. Unde liquet hic non agi de aliquo sapiente solum philosopho aut scholae magistro aut patrefamilias, sed de sapiente ad reipublicae gubernacula admoto, illa pro parte sua tractante et potestate ab imperatore accepta subnixo; prorsus ut nihil sit ab interpretum hujusque textus sensu magis alienum quam omissa magistratus vel principis sapientis persona officioque, ad cujus perfectionem tota haec refertur doctrina Sinica, ad privatam personam quamcunque, ad ejus gesta et ad quaevis alia interpretando recurrere.

2) Manifestum est quoque hic agi de imperio Sinico quod figura undecima quietum, duodecima haec turbis aliquibus agitatum, sed mox pacandum symbolis textibusque proponit; ad excitandam ministrorum vigilantiam perpetuasque curas, tum in fovenda non negligenter praesenti illa regni quiete, tum in his turbis cito componendis, quarum non una sit

causa, nempe ea, quae ut erupit statim extincta est seu mortua, sed multiplex in populi depravatione pravorumque ambitione existat; non minori ferme numero, quam densum ex moris dumetum suis tot radicibus implexisque arbustis ac ramis invalescit.

Hoc loco itaque petitur a moris addensatis comparatio contra quoscunque imperii turbandi cupidos utilissima, doctrinae politicae consentanea et a nostris sapientibus probanda. Interpretes omnes addunt textui Sinico vocabulum Y o u, sicut, v e l u t, similesque, quae comparationem aperte loquuntur. Nihil itaque historici facti inesse potest in illis verbis a l l i g a t u r d u m e t o e x m o r i s, quae ad rem similitudine explicandam a politico T c h e o u - k o n g referuntur, sicut observatur in editis libris hactenus. Unde fit ut in illis nullatenus inquiratur de quo hoc dictum sit, quod certe non omitteretur, si alicujus vel aliquem eventum his verbis designari vel leviter suspicarentur doctores Sinae. Haec fuerit circulatorum libri verba abscissa ad vilis plebeculae ad varias sortes detorquentium solemnis methodus; in his velut totidem prognosticis si consulantur ab aliquo, quem scelerum reum audierint, decretam reperiant homini poenam, suspendendum dicant ex ferali arbore, quod textus verti possit: p e n d e t e x d u m e t o, e x m o r i s a u t e x m o r i s a d d e n s a t i s, aliaque pro more divinent ab honestis viris palam explosa. Non ideo licet ulli litterato Sinae, multominus Europaeo, nisi velit hariolus haberi, obvio textus interpretumque hactenus omnium sensui conjecturas ab eo omnino abhorrentes audacter substituere. At inquiet forte aliquis: ita sit; non indicetur hoc loco malus homo seu: qui non est vir, cujus meminit epigraphe; sed quandoquidem in hoc quinto epiphonemate expressa fit mentio de magno viro, seu de sapiente, numquid tempore principum O u e n - o u a n g et O u - o u a n g floruere nonnulli a tyranno T c h e o u variis suppliciis publice enecati? Quidni ad unum ex illis vel ad omnes boni publici victimas attendatur? Fateor quidem diris illis temporibus viros eximios sapientia animique robore nec paucos excelluisse, qualem jam supra retulimus v. g. principem P i - k a n crudeliter interemptum ob monita aulae improbae ingrata, et ministrum imperii K i s o - k e, memorat lib. 1. cap. 3. Mencius, sapientia et virtute praestantem nec ipsis principibus P i - k a n, K i - t s e,

Ouei-tse etc. vario poenae genere afflictis sua inferiorem.

Sed quid haec ad textum nec tragoedias illas narrantem, nec tempori quo scriptus est convenientem, quo Ou-ouang novi imperii possessor juxta libros canonicos Chou-king et Li-ki nihil nisi populi gaudia, nisi festivos ludos, *nisi* pacem plebisque Sinicae felicitatem tunc vigere vellet? quae ipsius eximia voluntas vel ex ipsis libri hujus canonici Y-king sententiis duarum instar figurarum clarissime patet, cum eae spectent omnes ad fovendam populorum quietem, ad extinguenda mala etiam in speciem non ita periculosa, ad praecavenda longius forte impendentia, rimandasque publicae discordiae causas, nec ab inquisitione cessandum etc.

Caeterum nostra haec responsio quae est scriptorum Sinarum vel potius textus ipsius, non quidquam detrahit fortitudini famaeque sapientum, qui illa aetate extitere. Satis enim est, ait Confucius, ut sapiens vel vir excellens, sanctus, *eximius*, ad alios quoque perficiendos sit intentus, continenter operetur et nunquam cesset, pro bono publico ab injustis patienter ferat, sitque, ne desit populo officioque, ad majora quaecunque toleranda paratus, licet reipsa vel fracta iniquorum auctoritate vel mutatis in melius consiliis salvus incolumisque supersit.

Quod etiam observatum est a Platone, lib. 2. de republica, dum perfectum civem reique publicae praesidem informat justo illi, ait, qui sic animo comparatus erit, verbera imponentur, injicientur vincula, oculi eruentur, idem postremo omnia perpessus agetur in crucem etc. quod totum sane non quia factum est, nec quia postea est certo futurum, ab illo politicorum magistro philosopho proponitur, sed ut magistratus, quos suis hic praeceptis effingit, praestet ita constantes et fortes contra omnem eventum et injustitiam, ut dulce ipsis sit, certumque pro republica et patria mori, vel illi vel minimum nocere.

Et id quidem plane heroicum est in bono cive, in magistratu et politica virtute forte majus; sed imprimis advertendum est Platonem perfecti magistratus justi, sicut fecit post eum Cicero perfecti oratoris, et ante utrumque Confucius, perfecti sapientis speciem formamque adumbrare, in quam unusquisque perfecti magistratus laudum studiosus, animo semper

intueatur, et ad ejus eximiam similitudinem quam potest propius accedat, nunquam tamen assecuturus. Non igitur quaeritur quis jam sit, aut quis olim fuerit, aut aliquando sit futurus, sed qualem eum esse oporteat, qui perfectus supponitur. Ita ut quemadmodum civibus suis magistratum Plato, oratórem Romae Cicero, illis libris informare ac velut suis lineamentis expressum dare toti posteritati internoscendum voluerunt, ita et Confucio placuerit, ac sine erroris nota licuerit, Sinis suis sapientem omnibus dotibus perfectum graphice exprimere, etiamsi nullum similem virum extitisse ultro fateatur; nam ubi sapientis sui scientiam mirum in modum exaggeravit physiologiam ad omnium rerum naturalium augmenta et productiones noscendas, extulitque ad ipsum coelum ac omnes ejus affectiones, ethicam ejusdem ita copiosam descripsit, ut singulas vitae humanae actiones attingat, ut omnes digerat, trecentas illas honestatis et ter mille urbanitatitis leges quae in Li-ki continentur; fatetur tamen in extrema operis parte, talem sapientem quem delineavit nunquam extitisse. Ut ergo, ait, tota haec perfectio in praxim possit redigi, expectandus ille vir quem summa excellentia absolutum descripsit, Frustra igitur? inquies. Minime vero. Interea qui sapiens esse vult, ut (ait Confucius) hanc tantam perfectionem consequi possit, tum naturalem rectae rationis coelitus infusae facultatem excolit, tum praelucentem acquisitae scientiae ductum sequitur etc. Idne inutile dici potest? quod ad sapientiae studium non minus Sinas excitat, quam Platonica vel Tulliana descriptio animos stimulat ad laudes perfecti seu oratoris seu magistratus. Nihil itaque opus est in Confucio plus ingenii (ad futurum praevidendum) agnoscere. quam in Platone Tullioque, quandoquidem illorum trium mens non ultra speciem seu ideam perfecti seu oratoris, seu magistratus, seu sapientis exsurrit, nec ad temporum discrimina referri potest, sed potius ad personas, si nempe aliquis forte exsurgat, perfecto illi non multum absimilis. Unde factum est, ut discipuli Confuciani eadem elogia hyperbolica, quae Confucius [1]) tribuit suo perfecto sapienti, seu, ut nonnulli vertere, sancto, ipsi

[1]) In Tchong-jong, in Lun-ju, in Chou-king l. IV.

in iisdem libris authenticis aliisque arrogaverint, illius virtutem et intelligentiam comparantes vel aequantes coeli terraeque magnitudini, quin et Confucius et liber Y-king eadem dicunt de Ou-ouang, quae de perfecto illo seu sancto. Coelo et terrae virtute aequalis vel similis est. Non minus lucis habet quam sol et luna. Alia omitto quod haec sufficiant ad textus illos ex sensu totius gentis explicandos.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Infortunia invertit. Prius patitur. Deinde gaudet.

INTERPRETATIO.

Adversa mutat in prospera. Ex prioribus angor, ex posterioribus laetitia.

Orbis seu imperii conversiones sola facit virtus sapientis, sola obtinet imperium, ait Confucius, et tota ferme praecipua parte Chi-king odarum nihil saepius decantatur in laudem principis Ouen-ouang; licet mutatio ipsa publici luctus sub tyranno Tcheou in laetam populo felicitatem filio ejus Ou-ouang ab omnibus historicis tribuatur. Quorsum id? quaerit, respondetque Ouang-yen, etiamsi Ou-ouang unus perfecerit incepta, nihilominus Ouen-ouang pater, qui coepit, dici potest perfecisse. Ita ille ad mentem ipsius Ou-ouang qui in Chou-king suis dicit: si res bene successerit, scitote mihi non attribuendam, sed patri meo omnis culpae puro, cujus tutelam coelum suscepit. Quando, ait Tcheou-kong in eodem Chou-king, supremus Imperator voluit punire familiam regiam Chang ad unius Ouen-ouang virtutem spe-

ctavit, et quamvis tempore Ou-ouang id absolutum iit, initia tamen posita sunt a Ouen-ouang. Non immerito itaque patri tribuitur filii gloria, aiunt, rectequ veterum carminibus in Chi-king simul quidem, sed imprimis decantata sunt.

ADNOTATIONES.

1) In commentariis nihil aliud omnino legere est, nisi ultimam lineam esse velut limitem adversitatis figura hac expressae, quam proinde decrescere ac velut inverti necesse sit, cum is sit ordo mortalium, ut malis bona succedant. Quod variis modis ad nauseam usque ab his scriptoribus repetitur, eo forte consilio ut animus adversis ferendis inculcata spe mutationis fiat paratior, violentisque inter prospera sibi a futuro metuat.

Pendens
Inter spem curamque, timores inter et iras,
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.
Grata superveniet quae non sperabitur hora.

2) Melior est observatio doctoris Ouang-chi-tsong: in textu, ait, dicitur immutare seu invertere infortunium, non autem immutari se ipso infortunium, ut unusquisque intelligat magna opus fuisse virium contentione, multa virtute ad calamitates quibus turbatio causam dedit, a populis propulsandas. Non casu, non fortuito, imperium illa obtinet, inquit Confucius in eo commentario.

CAPUT DECIMUM TERTIUM. TONG-JIN.



EPIGRAPHE.

Tong-jin id est Hominum conjunctio in deserto. Est penetratio. Oportet transire magnum fluvium. Oportet ut sit in soliditate sapientis.

INTERPRETATIO.

Reipublicae causa qui conjunguntur homines sint perinde atque incolae deserti, qui personas non norunt. Tunc opportune ac utiliter superabitur magnum flumen croceum et quaecunque difficultas alia. Sed in his imprimis soliditas animi quae decet sapientem et principem necessaria est.

Confucius laudata principum Ouen-ouang et Ou-ouang administratione ita concludit: quapropter ut quis princeps rectam hanc gubernandi illorum heroum rationem tenere possit, sapientes in ministros eligat oportet, a quibus scilicet res tractandae sunt, prorsus ut si nunc tales, quales tunc temporis ab utroque principe accersiti sunt, reperire essset, nullo fere negotio praeclara illa gubernandi ars

revi reviviscaret. Nascitur illa imprimisque paret 1°. ex principis naturali cordis pietate Jin ejusque ingenita rectitudine erga omnes velut universali, eorum non vultus, non color, non genus, sed virtus propria sed utilitas publica respiciatur, uti loquuntur interpretes; 2°. ex regis animi magnitudine, qua difficultates vincere valeat, neque enim ipsi bonum regimen molienti possunt non occurrere, aut a malis praeteritorum defensoribus, aut a novae laudis invidia obstacula perrumpenda, alti fluminis latique aquis non minus periculosa. Qua similitudine ante ipsius Ouen-ouang tempora, in Chou-king usus est Kao-tsong alloquens ministrum coelitus datum Fou-joue: Sis mihi bonam gubernationem meditanti tanquam nauta et navarchus qui magnas fluvii aquas transire coactos industria sua salvos traducit. Ipse Tcheou-kong factus imperatoris tutor, cum imposiți muneris difficultatem dividere in alios vellet, ait, se non posse unum omnia sustinere, seque esse similem homini, cui magnus fluvius trajiciendus est; ex quibus, ut omittam alia prorsus similia, apparet similitudine seu metaphora magni fluvii, quod est arduum et periculosae difficultatis in politicis praesertim adumbrari exprimique, in Tcheou-Chou seu lib. 5 Chou-king, sicut in Tcheou-y seu hodierno Y-king.

Quales autem suo illo tempore voluerit Ouen-ouang qui ad turbas componendas, ad pacem fovendam (dictum de his est artic. super.) et ad bonum publicum simul cum principe promovendum se ligerentur, ex hac epigraphe summatim intelligi potest. Sint illi (docet) Tong-jin unanimes inter se et cum principe, et ideo unanimes quod unum illis propositum esse oporteat bonum populorum. Sint ut

incolae deserterum qui scilicet si ad aliquam item vocarentur propria nativa prudentia decidendam, cum nec personas norint, nec rebus sibi alienis capiantur, quod docet natura rectum id unum statuerent. Positi enim, ait glossa, in regione vacua et remota essent sine proprio et privato affectu illorum proinde agendi ratio esset perspicua et probata. Ob eam itaque causam observat toties laudatus interpres Tchiug-tse: textus desumitur ab exemplo aequitatis unius hominis externi et remoti a terris locisque in quibus causa data est. Et quidem ut perfecta sit unanimitas et conjunctio in imperio nihil aliud requiritur, nisi cor aequum dignum viris eximie sapientibus. Cor aequum est via certa ad regni conjunctionem perfectam. Nec id negabat princeps Ouen-ouang sed potius variis modis persuadere nitebatur omnibus, ut posito privati commodi affectu, in id quod aequitati bonoque imperii conducere poterat uno animo consentirent. Tunc enim posse sapienter solideque rem suscipi, seu, ut optabatur, opportune utiliterque transiri magnum flumen croceum, et quemvis alium difficiliorem, cum nihil ita arduum sit quod ab unanimibus optimatibus facile superari non possit. Verum cum necdum illo tempore perfectus ille principum consensus haberetur, essentque, licet paucióres, partim illius partibus addicti, partim inter haec studia ambipites, judicavit Ouen-ouang vocantibus abnuendum nec comitia ab illis extra flumen croceum instituta sibi tunc adeunda, quemadmodum supra fusius exposuimus. Vir sapiens, ait Confucius, ex convenientia cujusque rei statuit fundamentum. Inopportunum tunc credebat transire magnum fluvium Ouen-ouang, satis

se ratus rem quae ad imperii bonum proponebatur, liquatenus inchoare, quae uno omnium fere consensu; deoque facillime parvo damno perfici posset a filio Ou-ouang, qui deinde, ut ex libro canonico Chou-king retuli, bellatores selectos congregavit omnes unius cordis viros, unius sensus, in loco ad borealem plagam crocei fluminis qui dicitur Mo-ye a pascuis desertis, ita ut, quod textus dicit de unanimitate hominum in desertis accurate observatum sit, sive ita Ou-ouang filius nec hoc sibi negligendum putaverit, sive ob locorum et animorum situm, vel etiam casu ita contigerit, mira est certe historiae cum textu concordia.

ADNOTATIONES.

1) Ordinis nexusque istius figurae cum praecedenti causa una tum in opusculo Confuciano, tum in regiis commentariis adfertur: quod duodecimae calamitatem ex turbis exponenti succedere debeat ea quae finem huic malo fieri, nempe conjunctione et unanimitate hominum, suis lineis et sententiis designat, qualis est decima tertia appellata Tong-jin ab unanimitate.

2) Constat hoc emblema duobus symbolis coeli et ignis quod patet oculis; exhibetque, ait commentarius, veram agendi rationem sapiente dignam tum principe tum vassallo. Ignis semper fertur eodem modo ad coelum, et ideo refert eandem semper conjunctionem hominum, scilicet subditi quantumvis illustris cum suo principe sive interius, nempe ab ingenio, sive exterius, nempe a potentia, firmus non minus sit quam secunda linea, quae est quidem Yn, naturaque sua debilis, sed tamen hoc loco potens, utpote cincta duabus lineis Yang firmitatem afferentibus. Nam in igne, docet physiologia Sinica, Yang materia coelestis valens efficaxque dominatur. Sed de hoc fusius dicendi locus erit ad figuram 30 *Li*, quae tota est de igne. Cor sapientis itaque subditi quocunque in loco sit, debet propendere suum ad supremum principem non minus constanter quam superius coelum ignis petit. Liber odarum Chi-king qualem illum esse oporteat

paucis exprimit: quamvis procul a latere regis remotus subinde existat, eum tamen semper in corde foret; quandonam sane ejus oblivisci potest? in hac vera mutuaque benevolentia, quam rex et ministri seu magnates inter sese fovent, posita est juxta Confucianos discipulos vera pro bono publico conjunctio, veraque unanimitas Tong-jin.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Esse ad januam simul cum homine, nullum est malum.

INTERPRETATIO.

Conjunctio cum aliquo inita etiam ad domus portam non est culpanda.

Conjunctionis verae et reipublicae utilis initium debet esse, ait glossa, non a privato affectu erga hunc vel illum, aut ab amore proprio eo quem Graeci φιλαυτίαν vocant, sed a virtute, quae non solum nos nostri seu privati, sed publici boni amantes facit. Sit illa oportet, aiunt interpretes, aequitatis purae, ideoque dicitur ad portam inita, velut extra domus conclave, non clanculum perinde ac si occultanda esset. Inita vero extra profecto non erit affectu vili animoque iniquo, ne pudori, ne exitio sit ita agenti palam. Nam juxta effatum Confuciani discipuli Tseng-tse, quod decem oculi vident et quod decem manus indigitant, ab eo quam timendum ac cavendum est! atqui id palam fieri communi quoque proverbio Sinarum dicitur quod fit ad domus portam.

Quid enim vero esset, addunt iidem, in ea conjunctione mali seu culpae (vox sinica Kiou etiam

culpam, errorem significat) imperio periclitanti ad succurrendum, quærendi sunt viri qui suæ opera prodesse possint. Inquirere itaque incipiendum est, et vel ad portam illi adeundi, ubi rumor de illorum virtute audiri potest. Ita illi decentes cum nostris antiquis a natura quidem gigni sensum diligendi et benevolentiæ caritatem. Sed tamen prius significatione virtutis, ne cæco cimirum impetu extitisse videatur.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Cum hominibus ad ævos est pœnitendi locus.

INTERPRETATIO.

Unanimitas cum turba etiam ejusdem domus vel ejusdem generis habet pœnitendi locum.

Nunquam scilicet erit perfecta constansque, nec, ait glossa, potest esse, cum ille amor privati commodi a tot abesse nequeat saltem erga suam domum genusque; atque adeo propensione qua turba vulgo ducitur in contraria sensim studia trahenda sit. Quemadmodum dici solet de amicitia, non posse esse talem cum vulgo aut cum aliqua multitudine, licet bonitas etiam ad multitudinem pertineat. Non enim est, ait Tullius, inhumana virtus nec superba, nec a vulgi caritate abhorret; sed aliud est bene habere omnes, in quo excellere Ouen-ouang et Ou-ouang; aliud est amicitiæ consiliorumque conjunctione foederari; quo in negotio opus fuit cautionibus principi Ou-ouang, ut solum nonnullis ita conjungi vellet, et quidem restituendi imperii splendorem populumque vere amantibus, quales erant principes Pi-kan, Ki-tse, Ouei-tse

selecti ex antiqua familia In, quae tunc ex libris Censoriis scitur plus quam centum millia numerasse, imo fuisse innumerabilis. Nam Ou-ouang jamjam aggressurus hostes ita peroratc quamvis Tcheou immensa consanguineorum multitudine stipatus incedat, paucos tamen inter eos vere probos atque fidos reperiri cogitate, etc. His addit non paucos etiam e principibus, ut dixi, quos amor patriae populique caritas in partes imperatoris Ou-ouang adduxerat postpositis bono publico suae domus detrimentis. Quanta hinc turba? delectum itaque faciendum in foederibus et id genus conjunctionibus, nec ad has turbam invitandam, nec ad eros domumque respiciendum in his ineundis, sed paucos, sed delectos, sed propria virtute meritisque suis illustres ad consiliorum tanti momenti amicitiaeque ita arctae communionem admittendos docet suo epiphonemate Tcheou-kong, et quidem breviter cum satis tunc esset haec omnibus apprime sigillatimque cognita paucis verbis indicare, tam recenti actorum memoria. Quemadmodum etiam sat est dicere homines ad axos ut intelligatur hic agi de multitudine aliqua. Nam aliunde Sinis notum est, quando in imperialis familiae conditoris nula parentandum erat solemni ritu, veteres sollicite curasse omnes nepotes cum principibus et praefectis congregari, ex quo certe conventu qui etiam minori quidem ritu, sed tamen statuto tempore fiebat, necesse utique erat existere turbam, nec tamen tunc de vera illa sua conjunctione ac confoederatione agi aliliter posse, licet opportuna haberetur occasio, princeps Ouen-ouang arbitrabatur.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Miles in palude, est in insidiis; in monticulos ascendit; intra tres annos non assurget.

INTERPRETATIO.

Si sunt similes militibus insidiantibus qui mox latebant in herbosa palude, mox colliculos subibant exploraturi, nec per tres annos prodire ausi, cum id genus hominibus de conjunctione Tong-jin ne quidem agenduni est.

Nam ea, quae toto hoc capite a Tcheou-kong exponitur conjunctio, inita fuit contra tyrannum Tcheou, duntaxat inter fratrem ejus Ou-ouang et inter plerosque imperii principes sola boni publici causa foederatos. E caeteris erant partium Tcheou acerrimi defensores, et in decretorio proelio ad internecionem delecti. Erant et qui neutri parti volebant videri addicti, sed ut jam narratum est superius, summa imaque montium munitis faucibus occupaverant, velut exploraturi quam in partem victoria quam tardam sperabant, inclinatura esset. Sed opinione celerius ea venit. Nam si a morte patris Ouen-ouang votis principum annuere nolentis ad aditam a filio Ou-ouang stabiliter possessionem, quo tempore ab armis ubique discessum est et oblitterata sunt belli vestigia, tres solum anni effluxisse comperientur ex historiis genti maxime probatis, ex quibus belli hujus civilis finem supra retulimus. Monet itaque expertus Tcheou-kong, ubi agitur de conjunctione ad imperii auxilium ac quietem ineunda, repellendos ex ea esse insidiosos, ambiguos, suspiciosos, aliis diffidentes, sui ingenii fiducia ad quodvis audendum promtos, ad sua commoda

ita propensos, ut ab aliorum damnis nisi metu deterreantur, viribus suis ita tumidos ut non nisi majore vi contineri in officio possint. His nempe lineamentis id hominum genus describunt interpretes in explicatione tertiae hujus lineae. Est illa, inquit Tching-tse, quidem firma, cum sit Yang principii symbolica. Sed tamen est extra medium. Est velut homo firmus, fortis, sed, quod excedat, ferox et crudelis, sibi uni conjunctus, nocendi et turbandi cupidus. Sed cum id fieri vere non liceat, nec oportere intelligat, sibi talia volventi timet sollicite. Suo tempore ascendit colles, sibi cauturus aspiciendo; nec tamen audet libere prodire, ne quidem intra tres annos. Cum talis sit, ait Hou-ping-ouen in textu non dicitur Tong-jin seu de conjunctione cum illo hominum genere ineunda. Quid autem illi non minetur textus, ut saepe hactenus aliis tum improbis tum imprudentibus, vel infortunatum exitum vel dolorem atque infelicitatem, causa est ipsius dissimulatio: quod ille, notat commentarius, improbus non audeat prodire et in lucem proferre perversitatem suam adeoque nondum accersivisse supponatur mala quae meretur. In hoc autem foedere quo imperii in bonum instaurandi opus moliebatur Ou-ouang ne unum quidem ex hoc hominum genere pati debebat. Num vitiosa unius agendi ratio in magno publicoque negotio, ait Tcheou-keng ad Ou-ouang, non minus nocet quam imperitia unius opificis operi, quod non nisi a decem simul laborantibus perfici potest; opus totum inutile aut deforme ab eo redditur. Chou-king l. IV. c. Lou-gao.

ANNOTATIONES.

1) Quae de tertia linea in textus interpretatione dicta sunt etiam pertinent ad figurae explicationem juxta eosdem interpretes. Volunt enim illum superbum, nunc ferocientem, nunc inter paludes latitantem, genio indoleque insidiosum non male exprimi, quamquam velut sub aenigmate hac tertia linea quae complet symbolum ignis natura sua inquieti, periculosi etiam dum latet, exitiosi, ut erumpit, victorque vagatur. Verum haec aliaque id generis quam viribus principii Yang summe in igne dominantis Sinae physici tribuunt parum vel nihil afferrent lucis textui, nisi primum sciretur ex historiis et Confucianae seu antiquae ethicae praeceptis, quid illo tempore actum esset, quid agendum. Paludes, colles, velut scenae tunc tragicae locum bello civili ardente, nobis sub oculos ponunt; mores illorum hominum saltem non paucorum exprimunt quae memorantur insidiae, latebrae ascensus; unde iterum apparet quod prima parte asserui, nihil absurdius ad habendum Y-king hujus sensum excogitari posse, quam ex lineamentis tabulae Fohianae eorumque combinatione, quae nihil sane per se significant, uti per se patet, velle aliquid vel theoricum vel practicum (nisi sit pure numericum aut geometricum) divinare, velleque insuper sententias lineis mille post annos affixas interpretari non habita ratione eorum, quae in imperio Sinico gesta sunt, quando illa scribebantur a principibus Ouen-ouang et Tcheou-kong certis illarum auctoribus rerumque actoribus.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Supra ejus muros ascendentes non possunt pugnare. Hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Si sunt similes militibus muros ascendentibus ad oppugnandum, quorum felicitas fuit non potuisse, neque cum his agendum de conjunctione.

Quae enim potest vera societas cum hominibus aperte improbis, utpote palam huic publico infensis perniciemque parantibus, qui a malo non abstinent nisi quando (quod fortunato eveniat coelesti interdum favore) mala facere non possunt aut metu aut potentia majori prohibiti, quorum perinde benignitas vel abstinentia non sinceae virtuti, sed casui ac fortunae potius tribuenda est. Hoc etiamsi possemus effugiemusque, non esse recipiendos docet epiphonema, time forte scriptum, cum amicitiam principis Ou-ouang ambirent non pauci ex magnatibus et praefectis, antea partium principis Ou-ouang potis oppugnatoribus inclinare ad principem incipiente fortuna. At ubi abest fides sincera verusque probitas, quae, ait ait Confucius, debent ante omnia esse cordi eorum qui conjunguntur, conjunctio non solum nulla est, sed ne quidem debet esse conjunctio licet reipublicae nomine quaesita. Est enim potius improborum consensio omni potius supplicio vindicanda. Quemadmodum factum etiam est ab ipso Tcheou-kong qui ne suis quidem fratribus peperit, Chosien et Cho-chou junctis perniciosa imperio jam pacato consensione cum Ou keng, tyranni filio, et nonnullis aliis antiquis domus suae oppugnatoribus, quos non patriae liberandae amor, sed rerum suarum necessitas cum nihil se posse experirentur contra victoram Ou-ouang, ad submissionem et concordiam tandem adduxerat; mox post ipsius mortem abscindendam, unde majora quam unquam extitissent mala, nisi reipublicae laborare periculose rursus incipienti praesidio fuisset victor seditionum Tcheou-kong, sicut ex historiis Sinicis supra sigillatim relatum est.

ADNOTATIONES.

1) Quarta haec linea, sit glossa, nec etiam est in medio. Propendet ad secundam quo ferretur, nisi impediretur a tertia quae inter utramque intercedit. Est similis illa homini ad muros annitenti ad oppugnandum. Sed cum sit in hujus symboli Kien infimo loco, qui adhuc non ita firmus est, potest eadem quoque comparari homini, qui non valet oppugnare, consilioque mutato factum tamen emendare potest, unde bonum aliquod atque emolumentum in rempublicam redundat, subita illa ab armis discessione, quae eadem a Tching-tse, Tchou-tse, aliisque in commentarium regium collectis, verbis diversis, nec tamen mutato sensu, exponuntur.

2) Omissa itaque fastidiosa repetitione, quo vitio hi Sinarum libri ferme laborant, satius erit referre quid de tota figura inspectis aliorum sententiis judicet imperator. Quae, ait in fine explicationis, ad tertiam et quartam lineam afferuntur, habent dimicationis et contentionis speciem. Intelligimus inde scilicet ita res humanas esse, ut ubi unanimitas ad summum venerit, succedat animorum variatio, et vicissim, ubi primum regni compositio fuerit perfecta, rursus fiat inordinatum. Ea nimirum est mutationum (Y-king liber est liber mutationum) ratio seriesque revolutionum quae in rebus mortalibus observantur. Pars figurae inferior, est ipsi velut interna, habetque quae conjunctionem et disjunctionem significant, conjungi ad portam, conjungi ad avos ad duas priores lineas dicitur secundam et primam. Sed ubi venitur ad tertiam, affertur similitudo militis insidiose latentis. Nonne huic subest animorum diversitas et distinctio? pariter accidit in superiore figurae parte velut ipsi interna. Ad quartam lineam sermo est de ascendente murum, ad quintam de magno exercitu. Pervenitur deinde ad junctionem cum hominibus in deserto etc. Quid inde colligitur? figuram Tong-jin non esse, uti aliqui interpretes opinati sunt, totam ad significandum stabilis et perfectae conjunctionis statum, qui haberi inconcussus purusque omnis similitudinis possit solo principis exemplo sine armis, sine peri-

culis, ut docent alii, et quidem pluribus, sed per multos interpositos labores et varios successus retinentur. Itur in mediorius commentariis nec male disseritur.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Cum hominibus se jungens prius amare lacrymatur, deinde ridet. Magnus exercitus post victoriam mutuo se adunat.

INTERPRETATIO.

Contigit ut conjunctio non fiat sine dolore et luctu, quem mox laetitiae sensus excipit; imo non nisi post victoriam coitur amice.

Multo stat interdum conjunctio ad bonum publicum expetita. Deserendi fere sunt ad quos tote animo propendes, nonnunquam suscipiendae simultates cum potentibus. Utrumque hoc emblemate juxta interpretes expressum habetur. Quinta haec linea in medio (symboli Kien superioris) posita propendet in secundam (symboli Li inferioris) quantumvis Yn debilem sed cum interjectis lineis tertia et quarta impediatur; hinc aestus, hinc anxietas, seu erumpens luctus qui tandem cessat, ubi superatis obicibus velut hostibus coiri potest, praevalentibus quintae viribus ornatui utriusque tertiae et quartae. Hae junctae etiam Yang referunt magnum exercitum Ta-che, illa Kw victrix exhibet personam principis seu generalis ducis, seu dissidia habentis cum nonnullis suorum licet potentium, quod sane molestum et luctuosum est. At quanto graviores et difficiliores plerisque videntur dolorum et calamitatum societates ex sinceris verisque conjunctionibus

oriri interdum solitae? Hoc expertus olim erat Ouen-ouang pater principis Tcheou-kong qui etiam ex quo a tyranno Tcheou tandem detentus est, sensit se deseri a multis foedus ipsius appetentibus. Nec in minoribus saepe angustiis nuper versatus erat frater Ou-ouang dum in unanimitate omnium fere principum ac magnatum ad bonum publicum conflanda desudat, fovetque conflatam multiplici molestia; quibus omnibus finem attulit victoria laeta populis, utpote causa exoptatae a durissimo jugo libertatis justaeque gubernationis, quae tunc eo firmior fuit, quod tunc ex factis potius quam ex verbis apparuerit, quibusnam tuto fidendum, ideoque negotia ac consilia tanquam veris foederatis committi possent. Nam fundamentum stabilitatis constantiaeque tam in hujus generis conjunctione quam in amicitia quaeritur. Ita Sinae et nostri philosophi iisdem fere verbis: quia fiat quod dictum est dicitur fides.

ADNOTATIONES.

Licet clarum sit ex textu agi de Ou-ouang foederato, victore, regente, notabo tamen haec Confuciani commentarii verba in hunc locum: loquitur de victoria reportata.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Jungere se cum hominibus ad deserta. Nullus est poenitendi locus.

INTERPRETATIO.

Conjunctio quae initur cum hominibus qui velut in ora, licet nondum in penetralibus, desertorum versantur, nec ipsa poenitenda est.

illi scilicet non multum absunt ab incolis desertorum abditiorum quos principis Ouen-ouang epigraphe omni privato affectu supponit liberos, atque adeo solius causae non personae rationem habentes; sed quod paucos admodum reperire est ut nostro illi et illo filii Ou-ouang tempore; cui tamen pugnaturo plurium principum et magnatum exercitus necessarii erant. Remittendum itaque aliquid ex severiore illi principis Quen-ouang doctrina judicavit Ou-ouang, satis esse arbitratus, si a virtute et populi amore quatuor vel quinque principum, quos velut heroes merito praedicant libri authentici Chou-king et Chi-king, novi socii non ita longe abscederent, caeteriquè palam saltem, sed omnes in ipso castrorum loco Mo-ye profiterentur se pro bono reipublicae populorumque imperii pugnare, ad exemplum ipsius principis coelestia mandata gentisque salutem suae molitioni suis habita oratione obtendentis.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Ta-you { ignis . . . . . Li.
coelum . . . . . Kien.

EPIGRAPHE.

Magna penetratio.

INTERPRETATIO.

Cuique abundat. Id magnae providentiae, animique longe perspicacis opus est.

Unanimitate mutuaque hominum conjunctione de qua cap. sup. dictum est, vulgo fit ut nulli desint quae ad salutem vitamque tuendam a nullo non expetuntur; contra vero populi indigentia efficit fere ut in tumultus et in seditiosa dissidia regnum scindatur, quod observant scriptores Sinae et quidem merito, edocti scilicet jam diu plusquam viginti familiarum regiarum mutationibus. Harum enim si initium ex annalibus Sinicis repetatur, vix unam aut alteram reperire est, quae a rerum penuria populique indigentis motibus non profecta sit. Indigentia, aiunt, parit habendi cupiditatem, dum vitae fovendae necessitatem imponit. Est autem, juxta Confucium, latrocinii magistra cupiditas. Latrones cupiditate conjunguntur, armantur etc. et saepe

selecti ex antiqua familia In, quae tunc ex libris Canonicis scitur plus quam centum millia numerasse, imo fuisse innumerabilis. Nam Ou-ouang jamjam aggressurus hostes ita perorat: quamvis Tcheou innumera consanguineorum multitudine stipatus incedat, paucos tamen inter eos vere probos atque fidos reperiri cogitate etc. His adde non paucos etiam e principibus, ut dixi, quos amor patriae populique caritas in partes imperatoris Ou-ouang adduxerat postpositis bono publico suae domus detrimentis. Quanta hinc turba? delectum itaque faciendum in foederibus et id genus conjunctionibus, nec ad has turbam invitandam, nec ad avos domumque respiciendum in his ineundis, sed paucos, sed delectos, sed propria virtute meritisque suis illustres ad consiliorum tanti momenti amicitiaeque ita arctae communionem admittendos docet suo epiphonemate Tcheou-kong, et quidem breviter cum satis tunc esset haec omnibus apprime sigillatimque cognita paucis verbis indicare, tam recenti actorum memoria. Quemadmodum etiam sat est dicere homines ad avos ut intelligatur hic agi de multitudine aliqua. Nam aliunde Sinis notum est, quando in imperialis familiae conditoris aula parentandum erat solemni ritu, veteres sollicite curasse omnes nepotes cum principibus et praefectis congregari, ex quo certe conventu qui etiam minori quidem ritu, sed tamen statuto tempore fiebat, necesse utique erat existere turbam, nec tamen tunc de vera illa sua conjunctione ac confoederatione agi utiliter posse, licet opportuna haberetur occasio, princeps Ouen-ouang arbitrabatur.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Miles in palude, est in insidiis; in monticulos ascendit; intra tres annos non assurget.

INTERPRETATIO.

Si sunt similes militibus insidiantibus qui mox latebant in herbosa palude, mox colliculos subibant exploraturi, nec per tres annos prodire ausi; cum id genus hominibus de conjunctione Tong-jin ne quidem agendum est.

Nam ea, quæ toto hoc capite a Tcheou-kong expenditur conjunctio, inita fuit contra tyrannum Tcheou, duntaxat inter fratrem ejus Ou-ouang et inter plerosque imperii principes, sola boni publici causa foederatos. E cæteris erant partium Tcheou acerrimi defensores, et in decreterio proelio ad internecionem delecti. Erant et qui neutri parti volebant videri addicti, sed ut jam narratum est superius, summas imasque montium munitis faucibus occupaverunt, velut exploraturi quam in partem victoria quam tardissime spectarent, inclinatura esset. Sed opinione celerius ea venit. Nam si a morte patris Ouen-ouang motis principium annuere nolentis ad aditam a filio Ou-ouang stabiliter possessionem, quo tempore ab armis ubique discessum est et obliteratæ sunt belli vestigia, tres solum anni effluxisse comperientur ex historiis genti maxime probatis, ex quibus belli hujus civilis finem supra retulimus. Monet itaque expertus Tcheou-kong, ubi agitur de conjunctione ad imperii auxilium, ac quietem ineunda, repellendos ex ea esse insidiosos, ambiguos, suspiciosos, aliis diffidentes, sui ingenii fiducia ad quodvis audendum promtos, ad sua commoda

tim populus erigebatur et instar cultae segetis succrescebat, id ipsum Confucius tribuebat ipsi Ou-ouang quem imitari suo in munere velle profitebatur. Imo illius gubernandi rationem populis tam acceptam, quae sine magnis illorum laboribus tacita ipsius providentia constitit, ingeniose comparat ipsius coeli, quod pars haec inferior figurae exhibet, virtuti, quae cum plurima in terris perficiat, secretissima est.

Verum sicut coeli haec virtus licet sit ita efficax et constans, accidit tamen interdum ut labori eventus non respondeat: ita similiter nec culpandus, aiunt, est semper qui reipublicae praeest, si quid praeter ipsius opinionem animique provisionem aliquando secus contingat. Oportet tamen ut dum fruitur cum populo praesenti felicitate, cogitet ventura sciatque difficilia tempora. Culpandum imprimis addunt illud hominum genus, qui ubi primum rerum copia affluere coeperunt nequidem cogitare possunt timendas sibi aliquando rerum difficultates. Debet porro juxta illos provideri accumulanda paulatim annona, ne festinatione infimae pauperique plebeculae noceatur. Nec tamen ulla urbs esse debet in qua non sint horrea publica frugibus annuatim collectis plena, difficilibus temporibus a magistratibus aperienda, ut indigentiae populi nimium laborantis occurratur. Et haec alia similiaque praeclare. Sed enim saepe per sordidam illorum avaritiam non licet populis communi hoc beneficio frui, exhaustis inopportune maleque illis abundantiae horreis. Quam vero in hoc etiam genere illi absint ab antiqua consuetudine, intelligi potest ex Mencio de eximia veterum imperatorum ac principum cura rei agrariae et in domo

Ouen-ouang et Ou-ouang a conditore Heoutsie imprimis commendata. „Autumnali tempore ibant „examinaturi rusticorum fruges et messem, quodque „illis ad victum non suppetebat, ex publicis horreis „extrahebant ad sublevandam eorum inopiam. Hinc „extitit proverbium dominante prima familia Hia: si „noster imperator non venerit in campos deambulatu„rus, unde nos misella plebs subsidium pro re agraria „accipiemus?"

EPIPHONEMA SECUNDUM.

In magno curru apponit. Est quo eat. Nullam est malum.

INTERPRETATIO.

Cum sit currus capax et a viribus firmus ad vehendum quemcunque in locum ire par est. Si eatur, nihil mali est.

Ideo currus rebus vehendis par, ait glossa, velut similitudo aliqua hujus secundae lineae affertur, quod hoc loco supponatur producta jam esse non pauca, quae colligi ad annonam populi debent. Currus etiam, inquit Tching-tse, supponitur firmus et validus qui ferre potest quaecunque gravia, viaque longa non frangendus. Habet itaque ille currus quo eat sine malo. Sed abundantia et fertilitas sua habent tempora; videndum itaque an conveniat ire an non conveniat etc. Magnam siquidem frumenti et oryzae copiam intempestive colligere damnosum est; neque enim quovis anno implenda herrea, sed aliquid ex

singulis terrae sativae jugeribus plus minusve conferendum. In hac collatione positam esse docet schola Confuciana, auctore Tching-tse, magnam et praeclaram artem procurandi rerum copiam augendique regni opes. Si ad has contribuant omnes nullo otioso relicto, si qui his aluntur sint pauci, rejecta inutilium praefectorum turba, si qui agriculturam exercent bene strenui fiant, et majore quam potest fieri numero plures ad eam pellicantur, non facile ad alia publica onera advocandi, nec permittendo unquam, ut arandi, serendi, metendique temporibus ponatur obex aut mora, si dispensatores aggestarum opum festinent lente in dando, ex publico tam cauti parcique quam ex suo, omissis sine populi emolumento sumptibus, ne si quando ad vana opes male exhauserint, ad necessaria pejore ratione supplere habeant.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Kong utitur datis a filio coeli. Insipiens non potest.

INTERPRETATIO.

Magni dignique ministri in bonum publicum conferunt insumuntque stipendia caeteraque id genus dona imperatoris. At insipientes seu animo angusto vilique magistratus his bonis uti nesciunt.

Hi nempe, ait Tching-tse, quidquid for-

tunarum habent ad privatum commodum derivant, sunt enim parvi, ita textus ad litteram sumtus eos nominat. Ab his longe absunt sapientes, ad summa etiam imperii munera evecti, donatique titulis principis, comitis, Kong, aliisque id genus. Magnates illi ex felici illa qua affluunt copia semper habent quae imperatori expendenda offerant ad bonum publicum, ita ut illorum sententia sit se quidem habere, sed habere imperatori. Hoc scilicet verorum subditorum officii est; plus scilicet auxilii reipublicae afflictae afferendum est, quo plus bonorum possideri ab ea datur. Minus quidem a tenuibus, sed tamen, addunt, aliquid in commune non conferri indignum viro, seu regni incola, est. Recte deinde exhortans ad procurandam populis rerum copiam suae aetatis regulos Confucius pronuntiat: quando subditis res abundat, principi cuinam pariter non abundet? quando vero subditis non abundat, principi cuinam tunc abundet?

ADNOTATIONES.

1) Tertia haec linea, ait glossa, tertium locum occupat infra, licet sit superior natura sua Yang et ideo significare potest sapientes titulo principis, comitis aliisque donatos, utpote veris suis virtutibus collata, puta a Ou-ouang, dignitate superiores.

2) Disputant hic interpretes de sensu aliquarum litterarum, v. g. Keng, quae ex textu libri Tchun-tsieou uno aut altero est eadem, ac offerre, ex aliis eadem ac uti; verum haec diversa acceptio parum vel nihil ad sententiam principis Tcheou-kong quae perinde constat, sive res imperatori offeratur, sive in imperii usum expendatur. Ideo nihil opus est cum doctore Tchou-tse, sane celebri, invehi in alios interpretes, qui non sunt assecuti, ait, magnum hujus loci sensum. Etiamsi illorum non pauci plura disseruerint; quippe dicta sine fundamento. Quid

enim rei ille plus dicat, non invenire est, cum (omissa circa characterem nota) nullibi edoceat lectores ad quem Kong, comitem, principemve aut ad quos magnates alludatur. Erant autem multi a novo imperatore ditionibus aucti, qui illius partes domusque regiae salutem non minus studiose quam propriae familiae bono tuebantur, illorum etiam prodigi ad imperii auxilium. Indicat quidem ille ea dici de principibus familiae Tcheou, quandoquidem hic mentionem facit montis Ki-chan provinciae Chen-si, ubi debellatis barbaris Tai-ouang seu Kou-kong horum avus sedem posuisse narratur. Probabilius tamen et tantum non certum hoc loco Tcheou-kong attendere ad fratris Ou-ouang suamque agendi rationem. Quidquid enim penes illos fuerat bonorum opumque se id totum in imperii salutem impendisse gloriabantur, et ideo velut patriae parentes a populis tyrannide liberatis passim vocabantur. Nec minor erat militum erga eos benevolentia; beneficio siquidem etiam imperatorum scilicet Tai-ting et Ti-y cum Tai-ouang et Ouen-ouang, avus et pater, exercitibus regiis praefuissent, eorum principum magnanimitate ac beneficentia effectum fuerat, ut qui tot annos sub eis meruerant, non solum utrique sed filiis addictissimi discederent. Quo favore illi opportune solerterque ad bonum abusi, mox atque salutis publicae nomine vocati, una eadem victoria imperium obtinuere, seu orbem terrarum, ut loquuntur libri veteres novique, pacaverunt. Quod enim interdum dicitur, principem Ou-ouang cum victor jam esset, imperium communi consensu oblatum diu abnuisse, id nec cum suis verbis in Chou-king relatis, nec cum factis suis consentit. Si ergo nonnisi principum precibus velut coactus invitusque imperium recepisse dicendus est, id unum cogitandum relinquitur, illud tandem recepisse, quod specie recusantis flagrantissime expetiverat, quod etiam de Augusto rerum potito observat Tacitus.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Ille non habet multas vires. Nullum est malum.

INTERPRETATIO.

Satis virium nondum est. At nihil inde mali.

Magna vis frumenti, oryzae, aliarumque id genus rerum non statim succrescit, sed exspectandum utique est. Qui molitionis alicujus faciendae non habet adhuc copiam, seu, ut loquuntur Sinae, non habet vires, nihil mali patietur si nondum aggrediatur sinatque rem adolescere.

Quarta haec linea quae in symbolo superiore infima est, aiunt interpretes, non exprimit summum rerum, v. g. plantarum, adolescentium, robur. Satis ut, dum invalescunt ad maturitatem, nihil mali sit; sed, inquit Tching-tse, qui est in via ad affluendum, accersit sibi non semel aliquod infortunium suo errore, sicut terra spem agricolae frustratur. Nihilominus laborandum est aestate, ut evellantur zizania, ait Mencius, non cesset scilicet populus a colendis operibus, nec magistratus a praeparandis curis. Hac ratione boni incremento providebitur.

ADNOTATIONES.

Disputant et ad hunc locum interpretes criticique Sinae de caractere Pang, ut aliis in locis communis styli profer. tur, an scilicet in libris canonicis et idem sonet et idem significet. At quonam pacto pronuntiari debeat et quem sensum habeat, ait glossa, non constat.

Sinae illi auctores quos Tartari doctores secuti sunt in sua versione, probant vocem seu litteram illam accipi pro valente seu vires habente ex textu alio libri Chi-king carminum Ya-ta-ming, in quo illa adhibetur in laudandis

viribus principis Ou-ouang, fluvios tumidos transeuntis; unde sequitur sensum epiphonematis eum esse qui proponitur, cum esse Fei-pang et non valentem idem omnino sit. Sed haec levia sunt, nec tamen meliora in tot ad hunc locum commentariis reperias.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Illius soliditas adunat. Si majestatem habeat, hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Ad utilitatem publicam ut omnes una concurrant, id effecit constans et sincera regendi ratio. Illam majestatis auctoritate praevalere felix utileque est.

Principi quem (licet Yn) quinta linea supremo medioque loco collocata adumbrat, non satis est populo benigne indulgere. Est etiam, inquit glossa, sapientis gubernationis nobilem exhibere animi firmitatem; nimia siquidem facilitate corrumpuntur negotia et tempestiva illa majestate fortunantur. Populis itaque prodest haec imperii majestas, seu haec regiae potentiae ostentatio. Corroborat scilicet et velut munit ipsam gubernationis rationem, illius soliditati praesidium affert, facilius-que obtinet ut superiora cum inferioribus conveniant; atque adeo omnes uno velut conatu concurrant ad publicam utilitatem.

Ita linea, observant iidem philosophi, quae est Yn naturaque sua debilis, suo hoc nobilissimo situ eum docet qui ex infima conditione ad summam dignitatem a populo evectus sit, non tam suo nutu supremoque mandato imperium habere regendum, quam ipsa ra-

tione ac velut sapienti industria, procurandis imprimis fovendae salutis ac vitae subsidiis. Nam vulgaris illa plebs, inquit Mencius, dum non habet unde commode vivat, mox et fidem et probitatem amittit. Unde brevi fit, ut nec officii amore, nec majestatis metu ducatur.

EPHIPHONEMA SEXTUM.

Facit ut perveniat ad auxilium a coelo. Nullum bonum est ad quod pervenire non possit.

INTERPRETATIO.

A coelo auxilium obtinet cum quo bona quaecunque assequi potest.

Laudabili boni studio, quod rectae, ait Tching-tse, rationi conveniens summe est, obveniat oportet optata felicitas, quae ex coeli auxilio tota est. Qui enim gerit debitum coelo obsequium protegitur coeli auxilio. Juxta illum interpretem et alios philosophos una haec est veterum Sinarum sententia: licet ad obtinendam a Chang-ti supremo Imperatore aequam populi laboribus messem annonamque annua imperatori sacrificia praescribant imperii leges vetustissimae et omnes canonici libri, potissimum tamen exacta probitate et aequitate haec coelestia beneficia impetrari iidem docent. Oda antiquissima ita canitur: qui assidua cura rectae rationi et coelestibus mandatis constanter obsequitur, bonorum copiam adeoque summam felicitatem sibi accersit. Tantum scilicet tunc tribuebatur verae virtuti principis, ut

quibuscunque ritibus quantumvis magnificis ad obtinendum efficacior vulgo haberetur. Qua etiam ratione vitium populo summe invisum fiebat, quod velut malorum et calamitatum fons vulgo carpebatur. Calamitates, ait Chou-king, quae coelo auctore existunt, v. g. siccitas, inundationes etc. vitare et avertere possumus, nempe vitae emendatione et virtutis exercitatione, uti notant interpretes. Quae vero a nobis ipsis pariuntur, ab inordinatis scilicet animi nostri cupiditatibus, has quonam pacto possumus illaesi evadere calamitates? Quam autem antiqua fuerit haec doctrina et populi regendi ratio exhortatione ad emendationem constat ex capite In-tching duobus annorum ampliusque ante Christum millibus scripto. Nostri antiqui principes summe attendebant ad coeli mandata. Quolibet anno jussu magistratus ad sonum lignei crepitaculi coactae multitudini edicebatur: Si quis in gubernatione vitiosum esse adverterit, id sincere moneat. Si cui etiam nomine imperatoris imperatum est opus ad cordis depravationem segnemque luxum, illud ad tribunal referat, a quo rogabitur imperator revocare mandatum.

CAPUT DECIMUM QUINTUM. Kien.

Kien terra . . . . . Koen.

mons . . . . . Ken.

EPIGRAPHE.

Kien est penetrans. Sapiens finem habet.

INTERPRETATIO.

Humilitas seu modestia alte se insinuat animis. Sapiens tandem obtinet intentum.

Vir sapiens, licet rebus omnibus affluat, licent prospera habeat omnia, sublimemque adeptus sit locum, non superbit, non insolenter effertur. Corde, ait Tching-tse, menteque fovet modestiam seu moderationem et humiles animi sensus. Qua modesta agendi ratione sapiens tranquillitatem obtinet et in ea perseverat. Adeo non effertur modumque excedit, ut potius se demittat; se velut abscondit continetque, nedum ostentat sua. Nihilo tamen minus virtus illius undequaque emicat, et ab aliis studiose colitur. Insipiens vero, si abundat, statim contendit, seu rixatur; et etiamsi vellet se continere et videri modestus, non potest diu quiete progredi et tranquillitatem constanter servare, nec ideo potest ad finem pervenire. Docet itaque juxta Sinas interpretes princeps Ouen-ouang in epigraphe, eos qui rempublicam curant, ne in pro-

speris datam a coelo rerum copiam perverso usu corrumpant et inter laetos populi affluentis plausus modestiae et aequitati impensius studeant.

Ad id exponendum et illustrandum Confucius in suo commentario Toen exemplum petit a coelo et terra. Coeli lex superfluum resecat et humilitate adauget. Decoquit scilicet suo calore plantarum gemmas calicesque initio tumentes nimium et auget foecundatque, quod demissum, tenue adhuc humileque est. Aptius videtur saltem ad persuadendum exemplum quod affert Mencius principis Kong-leou ex avis domus regiae ejusdem Tcheou, de quo canitur in odis t. Ta-ya. Cum exiguam tantum dynastiam possideret, illum in id incubuisse, ut eam opibus adaugeret, humilia ipse urgens rusticorum opera nec dubium quin Ouen-ouang attendere potuerit ad haec potius sui avi facta, cujus etiam praeclara describitur fuse in Menciano opere ratio regendi adjuvandique rusticorum Sinarum plebisque labores, ne divisione jugerum inaequali, aut usu minime cura temperato, aut nimio labore nonnullorum aetati minime convenienti, aliqua suorum pars detrimentum pateretur. Hac sua benignitate in prosperis semper eadem modi tenendi constantia certaque erga omnes aequitate, tantum sibi nomen fecit, ut ob has maxime virtutes de eo canatur in oda You-Ching: ab oriente et occidente, ab austro et aquilone omnium populorum vota undique in illum conspirabant. Nullus erat cujus cor ad ipsius obsequium non inclinaret. Quae benevolentia tantae modestiae ac sapientiae fructus postea filio Ou-ouang imperium peperit, adeoque veram eventus demonstravit epigraphen: Sapiens finem habet, tandemque obtinet intentum.

ADNOTATIONES.

1) Copia rerum non potest esse ita plena et affluens, ut temperantiae ac modestiae non sit locus in ipso usu. Ita Confucius in tractatu de mutuo figurarum nexu. Prius itaque esse debuit, ait commentarius regius, emblema abundantiae Ta-you, et posterius emblema moderationis Kien seu modestiae.

2) Constat hoc ex duobus symbolis terrae Koen, et Keng montis. Monte, ait glossa, nihil est altius in terra quae est summe abjecta. At cum is declivis sit, imago esse potest humilis modestiae.

3) Commentarius Toen Confucii in hunc locum habet nonnulla ipso textu obscuriora. Kien, inquit, est penetrans. Cum coeli legem jacentem reperit, illam lucentem et claram facit. Lex terrae cum sit dejectior, agit supra. Verum ex interpretum et doctoris imprimis Tchang-ko-lao explicari potest. Coeli lex atque natura est, ut, licet rebus suo situ superemineat, penetret ac velut descendat in terrae inferiora influens, unde fit ut occulta illius efficacia jacenti similis excitetur atque manifeste elucescat plantis atque aliis efficiendis.

Terrae lex et natura est, ut licet sit in loco inferiore adeoque dejectiore, efferat tamen sese agatque in superiora vaporibus et exhalationibus, ex quibus flumina, nives et pluviae deinde existunt. Ita Confucius, cui coeli terraeque inter se communicantium imago magis placuisse hic videtur quam Fohiana montis in medio terrae. Coelum enim dici potest metaphorice demittere se, dum sua bona communicat cum terra nec dedignatur uti iis subsidiis quae terra superius agens ei subministrat. At ad hoc utrumque modestiae officium parum aut nihil facere videtur symbolum montis ex ima terra assurgentis, aut, ut explicant, in terra stantis. Potest aliquatenus adumbrare soliditatem animi, qua praeditus esse debet modestus humilisque qui prosperis non effertur; sed nullatenus pati sensum epigraphes, est penetrans etc.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Humilitati humilitatem addit sapiens. Utitur magni fluvii transitu. Hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Sapiens est omni ex parte humilis, seu perquam modestus. Sinit se per magnum fluvium atque pericula traduci. Inde bonum.

Magno sane bono contigerat principi Ou-ouang famosum naufragiis difficilemque superari croceum fluvium transivisse, quandoquidem in oppido Mong-tsing ad ripam sito omnium principum vocibus, inquit Mencius, acclamatus est, quemadmodum jam ex annalibus relatum est. Ex quo exemplo epiphonema istud exprimit proponitque Theou-kong sapientibus etiam moderatione eximiis eundum ferme esse per ardua nec pauca nec formidati Sinis transitus flumine croceo facilius superanda. Sed, inquiunt interpretes in commentario regio, licet transire tantum fluvium sit res periculi et difficultatis plena, nihil inde nocumenti sequetur, imo bonum; scilicet famae hoc virtutis specimine concitatae. Viro certe modesto quem prospera non excaecant, e difficultatibus velut e tumentibus aquis, sic exitus fit securior ac felicior. Fiunt ei plana omnia. Hac in prosperis moderatione sicut capiuntur virtutis pacisque cultores, ita terrentur vitiosi ac turbulenti probata adversis peritia notaque animi fortitudine. Continentur itaque in officio isti, illi firmius principi adhaerent. Nonne igitur inde maguum bonum?

ADNOTATIONES.

1) Confucius in commentario Toen suo viri modesti humilisque effigiem non male, paucis licet verbis, expressit. Si humilitas sit in altiore loco, lucescit, si in demissiore, non expedit ut transgrediatur. Vir scilicet etiam atque etiam humilis seu perquam modestus si in sublimi loco collocetur, brevi clarescit ac celebratur virtute ipsius, licet eo minime nitatur, longe lateque coruscante; si positus idem fuerit in humili loco, se his continere debet nec celsiora ambire; futurum est enim ut a sapientibus reipublicae praepositis cognoscatur et ad se adjuvandos adhibeatur. Vir quippe humilis iterumque humilis potest, ait Tching-tse, haberi et ipse ut unus e veris sapientibus.

2) Cur vero in textu repetatur vox Kien humilis, seu modesti atque modesti, levis est quaestio. Causa tamen, si cui minutiae placent, repeti potest ab ejusdem interpretis annotatione in hanc figuram in qua prima linea cum sit ex infirmo principio Yn et in loco infimo, dici potest utraque ex parte humilis, nimirum humilis natura sua, humilis situ.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Clamosa seu apparens humilitas, solidum bonum.

INTERPRETATIO.

Modestiae ex fama cognitae adsunt multa veraque bona. Omnes virtutes, in commentario eodem dicitur, sunt in medio positae sicut linea haec secunda est media inter primam et tertiam. Modestia autem ea virtus est, ut caeteras velut simul collectas foveat contineatque in medio, seu, ut solemus dicere, in aurea mediocritate. Modestiae enim nomine Sinae non intelligunt

eam quae a Graecis dicitur *s'vraξία* et a Tullio definitur juxta Stoicorum sententiam scientia earum rerum quae agentur vel dicentur loco collocandarum, sed eam quam interpretamur modestiam, quo in verbo modus inest ab eo utique constanter servatus qui ita vere sincere modestus supponituc, ut experientia tantae moderationis certa omnes ad illius amorem praesidiumque excitentur. Quod bonum merita solidum dici potest. Quippe ex medio, ait Confucius, corde hoc totum est, et juxta alterum gentis magistrum Mencium, lenitas et temperantia seu animi moderatio non in molli vocis sono, non in ficto oris risu vultusque explicati illecebris sita est, sed in sinceritate cordis etc. Id et carpit Horatius: Virtutem verba putas ut lucum ligna etc.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Cum labore sapientiq humilitas finem habet. Hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Laboriosa modestia prosperum tandem exitum habet, seu dignum laboribus praemium.

Si, inquiunt interpretes, quis ex summis imperii praefectis plus meritorum habet, eo tenacius adhaerere debet virtuti modestiae. Ita sapientes antiqui agendum esse nos docuerunt. Princeps Tcheou-kong erat in suprema omnium dignitate, tutoris et regentis, serviebat juniori domino Tching-ouang, im-

peratori 13 annorum, tam assidue quam si animo eum semper foveret, tam circumspecte quam si eum vereretur. Et ideo dicitur inter ejusmodi labores praemio dignos tenendam esse modestiam. Hoc via ad finem usque indedendum esse sapienti, qua siquidem attinget felicem exitum.

Id felicissime contigit principi Tcheou-kong; post fratris Ou-ouang mortem toti imperio ac nepotis tutelae summa cum fide atque utilitate praefuerat; cum ex variis aliquot principum querelis intellexit se maxima ardere invidia. Veritus itaque ne ex ea aliquod detrimentum respublica peteretur, obstructurus os invidis ambitiosis suspicionem movere ausis, amplissimo munere non solum cessit, sed etiam ex aula suam in ditionem digressus est. Hic velut latitans, nec publicorum consiliorum, adversariis praevalentibus, jam particeps, cum ita negligeretur, suis solum exigui regni negotiis modeste vacans; resque interea imperii minus bene succederent, tertio ferme anno extitit arborum, segetum horrenda strages, furentibus praeter modum ventis, ita ut urbes domusque varia detrimenta passae sint. Juvenis imperator his malis velut totidem prodigiis territus, jubet ideo recludi quam primum archiva sua, consuli libros vetustos, excussisque patris scriniis inquiri, si quid antea simile accidisset, remedium tunc quodnam adhibitum. Revolventibus omnia in aurea arcula King-teng occurrit formula a Tcheou-kong scripta, qua se pro fratre Ou-ouang graviter aegrotante morti olim devoverat. Subortuntur inde imperatori lacrymae, gemitus, ob ingratum erga patruum animum, quibus permoti invidiosissimi quique magnates eum statim revocandum constituunt. Redeunti ipse imperator procedit obviam, omnesque optimates facti

poenitentes comites habet; dedactum in regium palatium tot tantisque cumulat beneficiis, ut nihil admodum reliquerit praeter imperatoris nomen. Laboriosae itaque modestiae principis, cujus exemplum afferunt interpretes supra dicti, finis et quidem felicissimus exitus etiam praeter spem respondit. Quapropter non dubito quin videatur multis princeps Tcheou-kong suos hoc epiphonemate expressisse non solum sensus sed mores, quos caeteris magnatibus de imperio praeclare quidem meritis, sed tamen interdum aliena invidiae vanitatis proposit, ut ad majorem in officio constantiam inducat. Sapientem quippe, ait Confucius, modestum omnes sequentur.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Nihil est quod non conveniat. In omni motu est humilis.

INTERPRETATIO.

Nihil est ex quo non proficiat. In omnibus modestus est.

Superiore articulo tertio expressus est, juxta interpretum sententiam, ab auctore Tcheou-kong vir praestans virtute de imperio bene merita, summis functus muneribus populoque praeesse dignus, nec in tam sublimi loco non immemor officii sui, nempe imperatorem colendi, metuendi, demerendi, unde fit ut cum sine fastu et sine insolenti ambitione bene merendo perseveret, ab imperatore tandem accipiat quidquid ipsi convenire potest. Uti reipsa principi Tcheou-kong contigisse narravimus, et ante haec tempora aliis

eximiis viris, v. g. principi Kï-tsé, qui a Ou-ouang e manibus tyranni ereptus liberque rex Coreae etiam praeter spem postea inauguratus fuisse legitur.

Verum in hoc quarto articulo modestus ille jam ex inferiori loco supponitur promotus ad dignitatem proxime antecedenti superiorem, imperatoris solio viciniór. Nam quinta linea imperatoris locum designat. Sed quo altius attollitur etiam supra viros laboribus suis meritorum erga rempublicam verticem assecutos, conatur, uti necesse est, eo majora, quodcunque agat, modestiae specimina dare, qua invidia plerumque mitigatur, aut cujus inter forte insurgentes motus summa animi moderatio ipsi praestanda est. Cum enim nondum satis meritorum collegerit et ad majora merita paranda novo indebitae dignitatis beneficio obstrictus reipublicae sit, nihil est sive prosperi sive adversi ex quo non proficere debeat, ut dignum quantocius se praestare possit publico favore, in hoc scilicet unus intentus.

ANNOTATIONES.

1) Tertiam lineam inter sex esse praecipuam, sicut et tertium epiphonema caeterorum velut medullam complecti docent interpretes, ita ut hoc quartum istud ad praecedens ferme referatur. Summi scilicet principis totiusque reipublicae interest ne vassalli bene meriti nimium efferant sese, et adversus illorum mandata insolenter exsurgant. His scilicet, aiunt, id genus viris facillime pertinacia, ut utar Tullii verbis, et nimia cupiditas principatus innascitur. Quod multis quoque exemplis Sinae probant, quae longum sit referre. Celebre imprimis est, quod plerique solent memorare, ministri ducisque Ouang-mang; qui anno aerae Christianae quinto, sublatis aemulis, abjectoque imperatore rerum potitus est.

2) Disputant ad hunc quartum locum interpretes, an istud epiphonema quinque tantum litteris constans in duo

membra dividendum sit, an tanquam nullatenus intercisum legi continenter debeat. Quaestionem ita decidit imperator in novis commentariis: ut si spectetur primogenius sensus, bipartito legendus sit, quod et hic nos sequimur; minime vero, si habeatur ratio auctoritatis doctorum sub familiâ Song Tching-tse et Tchao-tse, in quorum scriptis editisque libris nulla textus interruptio est. Has scilicet scrupulosae criticae leges etiam norunt Sinae scriptores et saepe textus minutias fuse prosequuntur: imo, ut in hoc exemplo, quod Sinici criterii specimen esse potest, satis inutiliter; cum idem semper sensus habeatur. Quantum enim haec duo differunt, nihil est ex quo non proficiat. In omni motu humilis est, quae est versio nostra; homini in omnibus modesto nihil non prodest, quae versio esset textus a doctoribus Tching et Tchao editi. Injusta est autem censura omnis commentarii, in quo etiamsi voculae aliquae vel vocularum commissurae aut disjunctiones leviter praetereantur, redditur tamen idem verusque sensus, quandoquidem ex aliorum scrupulosis notis et argutiis mens auctoris non alia habetur.

3) Quod in commentario Confucii reperire est ambiguitatis in his verbis: non transgreditur prototypum, vel, ut vertere Tartari, in prototypo nullus controversiae locus, id facile explicandum videtur, si pro Tse prototypo intelligatur idea seu forma viri modesti animis cujusque ratione impressa. Tunc enim sensus Confucianus erit virum modestum dici perfectum vereque talem, si ab illius formae imitatione non discedat aut non aberret. Non erit tunc dissensio inter ideam viri modesti et virum, ut dicitur in textu, in omni motu humilem, seu in omnibus modestum, etc.

EPHIPHONEMA QUINTUM.

Cum non sit dives, utitur vicino. Oportet uti pugna et oppositione. Nihil est quod non conveniat.

INTERPRETATIO.

Licet non sit dives ei tamen utendum; dat operam, quicunque adesse tunc potest; nullum enim non capit ejus modestia, nec ideo non aliquando utendum est armis et coactione adversus pravos; sed tunc nihil non utiliter perficietur vel obtinebitur.

Licet, inquit glossa, sit in loco omnium nobilissimo, utpote rex vel imperator supra eminens, illum tamen modestiam tenere oportet, qui si ita est, quamvis opibus non ita affluat, seu non opes expendat, ut vicinum suosque quoscunque sibi devinctos efficere divites possit, illorum tamen opera, ut judicat, utitur. Populus eum sequi amat, cum in tanto fastigio modestia sit ad animos omnium demerendos potentior profusa quantumvis largitione, juxta Confucium, imo et ipsis bellicis victoriis, juxta Mencium. Sed plerique interpretes bellicae virtuti hoc philosopho minus infensi modestiae et moderationis vim Confucianis limitibus definiunt. Quandoquidem omnium aetatum experientia constat, exstare semper aliquos qui humanitatem aequitatemque ita exuunt, ut hac ipsa principis modestia ad nocendum patriae et justum obsequium detrectandum male abutantur. Idque ipsum agnoscit Mencius laudans Ououang, qui, ait, alium tyranni Tcheou acerrimum defensorem eum qui gratia consiliisque apud ipsum valuerat, fugavit compulsumque usque ad maritimi littoris angustias

supplicio debito sustulit, quinquaginta ditiones regulorum principumque qui non cedebant, armis sibi subjecit etc. At Ou-ouang nonne culpandus merito esset, tanquam modestiae virtutisque nondum adultae, quae reprimendis quibuscunque impar sit, nisi valeret doctrina hoc epiphonemate proposita, non esse contra modestiam ac moderationem, interdum uti pugna et oppositione, imo et nunc oportere et oportuisse tunc armis poenisque uti fratrem Ou-ouang, docet princeps Tcheou-kong non ambiguis hisce verbis.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Clamosa humilitas. Utendo actione militari debet se opponere proprio regno.

INTERPRETATIO.

Principis modestia est quidem celebratissima. Expedit tamen ut etiam armis utatur adversus populum sui regni (quod est pars imperii Sinici) forte adversus vicinos insolescentem, seu ad continendum regnum in officiis modestiae ac moderationis erga quoscumque finitimos.

Hanc armorum in subditos principes, etiam a quibus Ou-ouang acclamatus fuerat imperator, necessitatem attulit injusta nonnullorum agendi ratio. Illi ab imperatore Tcheou cum antea statissent, ideo se minoris caeteris Ou-ouang jam fieri arbitrabantur. Ideo abjecto erga eum omni submissionis genere, grassari in alios coepere, et quidem tam immaniter ad partem orientalem, ut etiam juvenes et virgines

eorum jam improbitatem ferre non possent, quam ob rem in orientem Ou-ouang profectus est, ut eam plagam subigeret, juvenibusque ac virginibus praesidio solatioque esset; qui suos implentes calathos illius duces virosque alios graviores velut festive excepere, simul cum plebe rustica cibos suos potumque manu praeferente.

Nec dubium etiam quin postquam a Ou-ouang tam multae ditiones de quibus alias, ducibus de se bene meritis et praeteritorum imperatorum nepotibus regio titulo, licet clientelari, possidendae datae fuerunt, necesse fuerit regulum quemcunque intra moderationis ac modestiae fines arcte continere. Sin minus non fracta armis insurgentium contra vicinos procacitate, intactisque vel clam vel palam iniquis (quod in tanto numero vitari vix potest) audaciorum molitionibus periculosae inter finitima regna rixae in imperii totius perturbationem, vel ipso vivente tandem erant erupturae.

ADNOTATIONES.

1) Haec linea emblematis Kien dicti ultima est, ait communis commentarius, ultimumque humilitatis seu modestiae terminum designat. Modestia non prius cumulum attigisse censetur, quam fama celebretur, seu fiat velut clamosa.

2) Hic agi de principe patet ex contextu quo militaribus copiis interdum utendum, nec id contra benigni et moderati reguli famam docetur. Sunt haec itaque politico-moralia documenta ex historicis factis expressa, ad futuros eventus non nisi absurde detorquenda a circumforaneis hariolis.

3) Quoad, inquit Tching-tsé, hominum agendi rationem, animi moderatio et firmitas sibi invicem adesse debent; habet enim et illa suos limites. Ita ut, si expedit, mittat etiam fortes milites ad populum regendum suique regni pravos affectus comprimendos.

Idem est sensus Confucii in Siang commentario. Si populus modesti seu moderati principis voluntates non sequitur, expedit uti militibus ad reprimendum proprium regnum.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.



Yu — Tonitru seu exhalatio ignea Tchin.

Terra . . . . . Koen.

EPIGRAPHE.

Yu. Oportet principem, Heou (est dignitas Sinica magnatum) erigere, militesque movere.

INTERPRETATIO.

Laetum est habere unum e magnatibus qui ad munus militum praefecti evectus illorum motus moderetur seu imperio regat.

Quod in tertiae figurae epigraphe dicitur de necessitate erigendi principis Heou et quod in praecedentis sexto epiphonemate modo ante praecipiebatur de motu militum seu de actione militari ad continendos in officio proprii regni populos saltem interdum necessaria, utrumque simul complectitur proposita nunc epigraphe et figura haec decima sexta, constans duobus symbolis ex tertia et ex decima quinta desumptis. Ita doctor Heou-fou-koue observat concluditque censendum. Et quidem merito, nam princeps Ouen-ouang cui perspectae erant res imperii dominante Tcheou turbatissimae ac miserrimae, non poterat prudenter sperare futurum ut sine actione militari proelioque omnia componerentur; sed cum post multa pa-

cis publicae saecula quae a secundae regiae familiae victoriis effluxerant, odiosissimum eo tempore esset populis belli militiaeque nomen, satis habuit statim in tertia epigraphe capitis tertii ipsoque operis velut aditu proponere eligendum ex tot principibus saepe inter se dissidentibus, qui illorum negotiis praeesset, ad summum postea fastigium si ita respublica posceret erigendus; quod et ita factum est; Ou-ouang ejus filio primum in praefecturam principum, mox in imperatoris Tcheou solium succedente.

Ex hac propositione tertiae epigraphes auctor Ouen-ouang ad alia delabitur imperio pacando ac restituendo in integrum necessaria, quae suae epigraphes figuris sequentibus consulto affixae exponunt; et, ubi propositum est non esse contra animi modestiam summamque quam praeferebant moderationem, uti actione militari interdum etiam contra proprium regnum, concluditur tandem hac in epigraphe, non solum populo triste et odiosum non esse, sed potius laetum felixque alere semper exercitum et principem aliquem illi praefectum, qui sit et ad imperatoris auctoritatem et ad imperii pacem in tanto regulorum licet clientum numero contra turbulentos fortiter tuendam semper paratus, ac velut accinctus, sola tamen imperatoris voluntate reique publicae causa movendus. Hinc quies pax et subditorum cum supremo domino consensio, hinc laetus victurus populus gaudensque, utpote quietus, ac suppeditatis a patria commodis frui certus.

Sinicum nomen istius figurae Yu significat, ait glossa, laetitiam seu gaudium ex concordia omnium quieta. Haec vero habetur, inquit Tching-tse, obedientia illi qui movet. Ideo dicitur emolumentum publicum esse in constitutione

unius e magnatibus qui milites moveat regatque. Si superiores movent imperantque datis mandatis, et inferiores obsequuntur, multitudo quantumvis ingens suscipi potest regenda. Hanc agendi rationem et institutionem omnes populi gaudentes approbant, et unanimi corde laetantur, existimantes jam eos, qui ex obedientia sequuntur praepositum sibi principem, bene mereri de republica, nedum homines odiosos esse. Unde haec agendi ratio est verae laetitiae ratio seu via certa ad laetam vitam populis procurandam. Atque id semper unumque sibi proposuisse Ouen-ouang videri voluit, et hac potissimum populi beandi publica voluntate omnium animos sibi suoque filio omnino devinxit, adeo ut prius imperasse benevolentia et gratia quam potestate et dominio merito dici possit.

ADNOTATIONES.

1) Post decimam quartam figuram de abundantia et decimam quintam de moderatione animi, mox pingitur haec decima sexta de laetitia. Nam ubi populo abundat et omnia moderate fiunt, hinc abesse non potest hilare gaudium. Ita de ordine figurarum mutuo Tching-tse aliique ad mentem Confucii Tse-koua-tsouen.

2) Tonitru, ait Confucius in commentario Siang, e terra surgum assurgens hic exhibetur inscribiturque Yu. Quid inde ad physicam nominisque hujus causam eruatur, explicare conatur Tching-tse. Principium, si illi creditur, Yang deciderat in terrae sinum ibidem occlusum, sed ubi movetur, statim e terra exit. Quae ne quidem lectori Sinae satisfaciant, nisi sciat, quod jam supra ex philosophia Sinica retulimus, juxta suos physiologos reditum veris autumnique abitum tonitru annuntiari, ita ut nihil postea tellus agat, sed rigens cesset, principio activo Yang, ita loquuntur, jam non dominante, nec amplius per suos effectus

prodeunte, toto scilicet hiemis tempore. Nec hoc videtur iis leve, ambiguumque mutationis naturae indicium, cum ex tonitru inferatur principium productivum Yang revolutum esse, atque adeo ad operandum rediisse. Idem de autumnali tonitru dictum puta, cessationis hiemalis indice. Quanquam vel ex uno folio, ait Hoai-nan, decidente cognosci potest autumni adventus, vel hirundine prima, ait Horatius epist. lib. 1.

3) Ex eo autem quod jam fieri motum in natura terraque verno ex tonitru cognoscatur, populorum gaudia inchoantur et idcirco volunt istam exhalationis e terra cum strepitu avolantis imaginem denominari potuisse Yu, a gaudio quod laeti veris praenuntiatio parere plebi solet.

4) Confucius in commentario Toen istam figuram Yu ait esse velut coelum et terram. Eligere principem, milites movere, quid sibi vult? coelum et terra obedientia procedunt. Hinc una non praetergreditur; quatuor tempestates ordinate redeunt. Ita vir excellens, seu sapientia et virtute summe eximius Ching-jin ex obedientia movetur et populi sequuntur.

5) Ex his porro et ex positione textus concludi non immerito potest has principis Ouen-ouang epigraphes non temere sed consulto certo ordine appositas, invicemque sensum auctoris illustrare.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Clamosum gaudium, pessimum.

INTERPRETATIO.

Gaudium quod nimis perstrepit est perniciosum.

Hujus generis, dicitur in glossa Pen-y (proprii sensus) est gaudium parvi hominis angusto pravoque animo vilis, quem exhibet haec prima

linea principii Yn significativa. Parvus ubi magno conatu introductus partem rerum publicarum aliquam administrandam obtinuit, adeo non potest suum continere gaudium, ut potius promulget. Quae est ad perniciem via, ex invidia scilicet oriri solitam et aemulorum indignatione accelerandam; qui virum indignum sibi anteire non usque laturi sunt. Quapropter monet Confucius, viro qui sui dominus sit, et contra futura cautus, huic suos animi sensus esse saepius premendos. Exhaurire siquidem sua cogitata damnosum est; verba sunt ex commentario Siang in hunc locum. Ne autem perniciosa esset suis laetitia ex victoriae strepitu clamosa, Ou-ouang id fecit quod postea docuit Mencius: rex, si communem laetitiam cum populo agat, mox facile in imperio dominari poterit.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Ut lapis jurisdictio. Diem non expletis si sit solidum, bonum.

INTERPRETATIO.

Dominatus tui tam sis tenax constansque quam lapis in terra haerens seu immotus. Etiamsi diem non expleas in decisione negotiorum, quod tamen sis solido rectoque animo, tui semper dominus, bona erit decisio.

Sapientis seu viri perfecti gaudium est in medio, quod exhibet haec secunda linea. Vir perfectus, ait Confucius, tenet medium semper et ubique. Improbus seu parvus praevaricatur

medium vel excessu vel defectu. Solus itaque sapiens, ut haec secunda linea cujus ex tribus sola est in medio et in hoc medio prorsus recto potest perseverare. Ideo ipsius in se dominatus seu potestas comparatur lapidi, quod ejus virtus sit perfecte stabilis et solide firma. Unde cum in sua ipse sit semper potestate, nullis perturbato animo cupiditatibus, ita providus et perspicax sit in decidendo, ut non sit ei opus die tota seu multo tempore ad singula negotiorum capita minutim inspicienda. Quam doctrinam, ut esse Confucianam demonstret, eadem glossa adducit ad hunc textum illud ex libro Ta-hio authentico axioma: ubi animum quietum fixeris, poteris res meditato considerare, et ubi consideraveris, poteris in his assequi verum rectumque etc. Sed et hanc decidendorum facile negotiorum scientiam ex perfecta animi cupiditatum puri rectumque amantis tranquillitate, in suo etiam commentario Siang non obscure repetit. Haec siquidem verba si solidum bonum nihil aliud significare affirmat, quam medium esse rectum. In hac autem animi cordisque tranquillitate laetus est sapiens et, ut ait Tchingsse ad tertiam lineam, habitat in gaudio nunquam deficiens a medio nec a recto, quapropter nihil habet de quo dolere debeat. Recta autem et honesta, ait etiam Cicero, faciunt ipsa per se laetitiam.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Gaudet supra aspicere, illum poenitet. Si lente agat, erit poenitendi locus.

INTERPRETATIO.

Intendendis in superiora oculis animum oblectasse, jam poenitet. Lenta poenitentia est sera.

Ambitiosi inania brevi gaudia exprimit epiphonema hujus tertiae lineae subscriptum. Aspicit, ait glossa, superiorem locum et illius gaudendi sensu perculitur, qui ubi evanuit, quod ad superiora alius sint, dolorem parit. Debet autem statim poenitere, ne si cunctetur, sera eum subeat poenitentia, tum quod e tentato superioris loco, existere necesse sit negotia omnino poenitenda, tum quod, sicut dicitur in Confuciano hujus textus commentario, non pervenerit ad dignitatis sedem.

Nec dubium quin nonnullis magnatibus principibusque invidiam moverit supremum novi imperatoris fastigium, licet is omnibus ipsique tyranni exturbati filio conatus sit beneficiis facere satis, de quorum elatione exituque infelici satis superque diximus. Liber Tchun-tsiou ait: media nocte stellae ceciderunt velut imber, nec amplius visae sunt. Ad quem locum veteres interpretes Tchin-huen et Lieou-hiang, stellae, aiunt, sunt imagines regulorum. Cum dicitur: ceciderunt, intelligendum regulos e proprio loco excidisse, et id media nocte, hoc est, media in via, nec implevisse dies suos. Nec haec loquendi formula seu

metaphora, ut occurram extera reprehendentibus, nostris in libris inusitata est. V. g. Horat.

laudat Brutum totamque cohortem,
Solem Asiae Brutum appellat stellasque salubres.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Producit gaudium. Magnifice obtinebit, ne dubites, Amici velut capilli in unum adnati.

INTERPRETATIO.

Est causa gaudii. Ut illud sit, multa habet obtinenda. Absit dubium. Amici adsunt non minore numero congregati, quam capilli in unum collecti.

Hic adumbratur supremus imperii minister, cujus est gaudere gaudium publicum, quod sua sollicitudine atque tot negotiorum curis toti populo peperit.

Quarta haec linea, ait interpres, designat locum magni vasalli, seu primi magistratus, quae sequitur quinta imperatorem quidem exprimit, sed eum qui magnati illi annuens eum velut sequatur. Atque ita ab illo proficiscitur gaudium populorum e reipublicae praeclare administratae emolumentis. Sed huic multa sunt facienda, ut obtineat inducatque illos ad sequendam quam statuit viam, qua laeta toti imperio obtingent omnia. Cum summum magistratum possideat, et a rege curae in illum rejiciantur, sustinet ille totius imperii negotia, habet inde quod timeat, et anceps animo de exitu sit, in tali loco constitutus, ubi eo fere solo nititur princeps et

ubi nec habeat infra ejusdem virtutis coadjutores. Sed fit ipsa muneris exercitatione rerumque experientia, ut absit dubium et anxietas, definiatur sine dubitatione et sibi conjungat socios sibi similes, hinc mutua superiorum et inferiorum fides existat; erit perfecta sinceritas et confidentia in omni difficilique casu auxiliari parata.

Unde vero expressum ut haec eximii sub imperatore oneri regio impare administri effigies, nulli lectori statim non occurret ex dictis de Ouen-ouang et Ououang imperante Tcheou succedentibus in supremum imperii munus, et in ipsam principum clientelarium praefecturam, non solum incredibili fere eorum docilitate, sed etiam summa populi approbatione. Quapropter in utrumque publici gaudii auctorem et suorum amicorum opera summam potestatem adeptum, hoc apprime cadit epiphonema, Producit gaudium, nempe publicum, Magnifice obtinebit vel obtinens; reipsa enim imperium obtinuit. Non dubius, ut loquitur Chou-king, de decreto coelesti. Amici sunt velut capilli adunati, tot scilicet principes foederati qui secuti sunt illius vexilla, simulque junctis viribus rem perfecerunt, quae ad unum imperii bonum proposita habebatur.

At inde, inquit aliquis interpretum, invisa aulae tanta potentia, ita ut a nonnullis ministris palam accusarentur libidinis nimiae dominandi, quandoquidem utriusque consiliis monitisque ad principum etiam negotia spectantibus non videbatur annuere, nisi invita, et potentiam eorum reformidans. Huic objectioni satis probabili juxta alios interpretes praeclare respondet Tcheou-kong hoc et sequenti epiphonemate. Fatetur quidem non esse ex imperii bono, si imperator

talis sit ut nomine tantum rebus praeesse possit. Imperium tunc, ait, est aegrum certe, sed tamen non est desperata salus, dummodo tum summum habeat aliquem et praestantem caeteris ministrum quem audiat et velut in omnibus sequatur. Etiamsi autem iniquus Tcheou imperator non esset ita animo comparatus, ut grata voluntate omnia principis utriusque amplexurus consilia existimaretur, nec reipsa non ita multis assentiretur, tunc solum ubi dissentiri periculosum erat, nihilominus reipublicae profuit ab eo imperatore nonnisi aegre annuente non pauca obtinuisse quae sublevando populo, magnatibus bene animandis mitigandisque omnium doloribus molestiisque utilissima fuere. Ex necessitate itaque imperii juvandi et cum communi emolumento contracta est ab his principibus ministris tanta aulae invidia; at apud posteros maxima fortitudinis fama in libris odarum historiisque imprimis celebrata.

Patet itaque clarissime sensus epiphonematis ex mente auctoris Tcheou-kong, quae ex gestis illo tempore indeque, quod necesse erat, exortis animorum motibus facile colligitur. Etiamsi non nisi brevia haec ab eo effata ferme in libro Y-king relicta sint, non solum ad posteritatis exemplis praeceptisque instituendae utilitatem, sed etiam ad fratris Ou-ouang novaeque familiae suae imperatoriae apologiam, qua haud scio an unquam satisfactum omnibus. Nam post sex amplius saecula dominationis quaerebatur a Mencio: principes Kie et Tcheou erant veri imperatores. Tching-tang et Ouen-ouang erant reguli clientelares. Licetne his invadere et perimere eorum imperium? Vide Mencii librum 1. ejusque responsa huic apologiae Tcheou-kong non absimilia, sed tamen clariora, quod nullum tunc esset loquendi periculum, sed emolumentum.

ADNOTATIONES.

Hanc quartam lineam praecipue observari volunt interpretes, ut quod inter figuram et sententiam conveniat possit intelligi. Quarta, aiunt, est Yang, natura sua fortis, efficax princepsque in hoc genere caeterarum quinque Yn indole viribusque debilium, inter quas licet una sedeat in quinto loco, scilicet imperatoris sede, non potest non mutuari inferioris auxilium quo solo niti potest. Quae quidem observatio facit quidem ad inveniendum non nihil similitudinis hujus figurae cum ministro in aula debilis regis dominante, sed non ad explicanda epiphonematis verba, sensumque velut sub oculos (quod imprimis quaeritur) ponendum. Quid enim in figurae linea hac ejusque situ unde gaudii causam, obtinendi spem amicorum vel attentissimus quisque vel suspiciosissimus conjicere possit?

EPIPHONEMA QUINTUM.

Morbus est determinatus. Non intempestive moritur.

INTERPRETATIO.

Est velut certo aeger, qui tamen suo nisi tempore non moritur. Imperatoris regio oneri impari, sed ab eximio ministro dirigi volentis principatus non est obnoxius tristibus calamitatibus. Gubernandi modum principem debere mutuari a suo inferiori est quidem velut uti infirma aegraque valetudine, sed regiae licet dignitati aliquid decedat, cum tamen regia seu absoluta agendi potestas non sit extincta, utpote quae a ministro regio praeclare et utiliter adhuc exeritur, idcirco dicitur quod non moritur, suum scilicet ante tempus,

mortem scilicet principis, qui proinde potestatem a parentibus acceptam filiis suis suo cum honore felicique negotiorum exitu tradere potest. Ita doctor Tchingtse, quem plerique alii sequuntur. Nec in hoc, addunt, rex gloriae nihil habet. Habet ex delectu talis ministri. Nam, ut ait etiam noster Martialis:

Principis est virtus maxima nosse suos.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Obscurum gaudium, absolutum mutatur. Nullum est malum.

INTERPRETATIO.

Obscurans animum gaudium, etiam perfectum seu maximum immutandum est. Nullum tunc malum.

Gaudio nimio nimiaque cordis voluptate excoecatur animus. Gaudii supremum terminum, inquit glossa, refert linea sexta et ultima. Eadem est imago viri coeco turbidoque gaudio ita capti, ut nequidem se movere apposite sciat. Temere agens qui tamen id ipsum quod summum attigit potest immutare. Ideo, additur, si suos excessus corigat, ait textus, nihil mali habebit.

Non itaque, concludunt Sinae, gaudium, sed quod est supra mediocritatem, vituperandum est. Imo id etiam nos admonet haec sexta linea, aiunt, quae nec in medio nec in directo convenientique naturae suae loco depingitur. Sed idem multo clarius docet totam posteritatem eximia in rebus laetis et tanta post victoriam

agendi licentia moderatio Ou-ouang antiquis odis decantata, non omissis curis quibus cavet ne suorum gaudium efferretur longius. Nam juxta Confucium in hujus loci interpretatione: Quod nimis est non diu est, et in aliis opusculis, quidquid est nimium ultraque fines recti peccat ultra modum, adeoque sapienti cuique amputandum. Sunt autem vulgo victorum laetitiae immodicae, quibus solemne est superbire insolentius, indulgere voluptati, victisque procaciter illudere; quae impedita sunt modestia ac prudentia novi imperatoris ipsos victoriae fructus in omnes nullo discrimine redumdare volentis, suosque vel nutu ad omne honestum impellere soliti. Hoc certe tam celebri raroque exemplo, ut deessent caetera, probatur quod Confuciana schola posteritatem deinde verbis docuit: tria esse perniciosa gaudia, gaudere superbiae vanitate fastuque, gaudere otio vitaeque licentia, gaudere epularibus jocis scurrarumque deliciis etc.

PARTIS SECUNDAE

DISSERTATIO SECUNDA.

De potentiae Ouen-ouang incrementis

et

De actione militari Ou-ouang ejusque fructu.

Quaeri quidem possunt circa dicta hactenus quae hoc loco ante solvenda habemus, quam ulterius progrediamur.

Figura decima septima est de sequendo, et quaeritur an tot principes ultro secuti sint Ouen-

ouang? nam id videntur dicere interpretes post Confucium et Mencium omnia splendori vique virtutis Ouen-ouang tribuentes. At certum est ex historiâ Ouen-ouang bello etiam egisse contra aliquos dominos ditionum vicinarum, Mi-fei-ou, nunc Sin-ye-hien in provincia Honan, Tchoûg qui in ipso Chi-king indicantur, et in notis clarius describuntur. At apud interpretes et historicos celebris est submissio duorum principum ditionum Yu et Soui, qui cum Ouen-ouang dissidii sui arbitrum sumsissent, ita fuere capti virtute principis, ut discordiae velut obliti illum in supremum dominum elegerint. Ut enim, aiunt, illius terras ingressi sunt agricolae ipsi summa urbanitate sua detulerunt obsequia, occurrere ubique ad famulandum parati, urbes repererunt populo cultissimo plenas, ita ut se demum invenisse homines hoc nomine dignos dicerent. Ab hac submissione, quam mox alii imitati sunt, omnes ferme antiqui scriptores inchoant imperium familiae Tcheou. Ad instar omnium sit antiquissimus Kong-gan-koue, quo anno regna Yu et Soui pacta firmaverunt, Ouen-ouang accepta suprema potestate coepit hunc appellare Yuen-kien, primum annum. Novem tamen solum post annos mortuus est. At statimne movit arma Ou-ouang? Sunt qui aiunt decimo et undecimo milites provisos. Ita Tsai-chin supra laudatus. Sunt qui tantum undecimo parasse milites principem volunt. Ita sentit Kong-inta: erant, inquit, principes qui tergiversarentur; nec nisi tertio anno a morte Ouen-ouang se adjunxerunt. At nonne haec eodem recidunt? hoc ipsum est parare bellum, ire, redire, armatos undique quaerere. Major difficultas forte vide-

bitur in eo quod Ou-ouang tres a morte patris lapsos annos patris imperio non suo tribuit. At ipse hunc nodum solvit in Chou-king, saepe ipse inculcans, se nihil agere nisi res patris, cui utpote inceptori totum negotium tributum velit; et quidem tres per annos licet continuatum, non oblitus scilicet verborum Ouen-ouang: Tu fili mi, go aliquando annos numerabis, mihi verò centum parati sunt, sed age, tres e meis demantur qui tuos augeant. Quod jam supra quamvis retulimus, huc revocandum fuit. Ad quod dum non attendunt aliqui, aut non satisfaciunt quaestioni, aut novas movent controversias de fide librorum King; quod utrumque vitandum est aequo rerum aestimatori.

FINIS VOL. I.

Corrigenda et addenda.

pag.	lin.	
VIII	21	post: eruditi adde vita
5	14	post: nec adde ea.
7	4	pro: calidatis leg. calida, vis
—	2	pro: Aquae. Montium leg. Aquae montium,
8	9	pro: apprenderetur leg. appenderentur.
9	59	pro: emblamata leg. emblemata
10	26	pro: pingeatur leg. pingatur
12	29	pro: novam leg. novum
15	7	pro: touau leg. touan
19	17	pro: omne leg. omni
20	4	pro: effutiendas leg. effingendas
25		in mappa posterioris coeli falso major inter secundam et tertiam cujuscunque figurae lineam occurrit intervallum. Aequo intervallo omnes tres linear figurarum seperandae, ita ut in mappa prioris coeli eadem pagina delineata videtur. ex. gr. koen —— —— cujus est significatio: mou, mater. etc. —— —— —— ——
26	20	pro: dicendis interque leg. dicendis; interquae
—	28	pro: diximus, ut leg. diximus. Ut
27	4	pro: inferrunt leg. inferrent
—	17	pro: dementiationi leg. denuntiationi
29	2	pro: frater is leg. frater. Js
31	15	pro: dicum leg. dictum
35	8	pro: nonnullo leg. nonnulli
40	25	pro: Nyeou-yang: sina leg. Ngeou-yang: Sine
45	7	pro: trepidas leg. tepidas
49	26	pro: kten leg. kien
50	50	pro: imperatoris leg. imperatori
52	56	pro: glare leg. clare
53	13	pro: Nyeou leg. Ngeou
54	20	pro: Soe leg. Se
57	56	pro: est famosa leg. est. Famosa
61	8	pro: igmenta leg. pigmenta
—	21	pro: Hang leg. Hong
70	17	pro: bello leg. belle
72	5	pro: ei leg. ex
77	22	pro: Jeou leg. Yeou
78	30	pro: qua leg. quae
80	30	pro: kaen leg. kuen
87	19	pro: perpecissent leg. pepercissent
90	11	pro: inquies leg. inquiet
97	32	pro: illinc leg. illine

pag.	lin.	
98	27	pro: litterarum leg. litteratum
103	7	pro: kong leg. tong
16	15	pro: thin leg. tchin
104	54	pro: quiet leg. qui et
107	24	pro: Teang leg. Tsin
108	55	pro: Song leg. Tong
16	26	pro: Pou leg. Sou
111	15	pro: annitenti leg. annitente
16	28	pro: Long leg. Kong
115	6	pro: King, leg. King
116	18	pro: excerpta, leg. excerpta
117	29	pro: ei leg. y
122	8	pro: eximia leg. eximiae
152	55	pro: tchan leg. tchao
142	19	post: Soui addendum (in prologis librorum sub Soui, et in Chi-san-king libro proëm. de ritibus)
144	7	pro: Sia leg. Siao
148	8	pro: Tchou leg. Tcheou
—	9	pro: Tchou leg. Tcheou
155	15	pro: thao leg. tchao
—	21	pro: fecere leg. fuere
—	24	pro: chao leg. tchao
157	18	pro: dixi leg. dici
158	6	post: civilis addendum. erit januarii nostri dies 25, et tertii civilis
—	51	pro: quo ipso reipsa leg. quo re ipsa
159	25	pro: familiarum leg. familiarem
162	1	pro: toto leg. toto orbe
166	8	pro: Ouen-ouang leg. Ouen-ouang et Ou-ouang
—	12	pro: omnium leg. omnium aetatum
168	50	pro: alias leg. aliis
170	24	pro: satis, est leg. satis est,
173	17	pro: figura leg. figurae
174	11	pro: sequatur leg. sequantur
—	27	pro: sed leg. id
177	17	pro: seculorum leg. caecularum
182	6	pro: gloria leg. gloriae
186	6	pro: adjecerant leg. abjecerant
191	2	pro:  leg. 
192	10	pro: natum leg. nutum
199	12	pro: Sinicae leg. sinice
202	6	pro: prudentia leg. prudentiae
204	37	pro: Confucius leg. Confucius
206	30	pro: proprius leg. propius
207	10	pro: delineari leg. delineari putat
208	24	pro: perspicuimus leg. perspicuus
211	11	pro: populis leg. populus

pag.	lin.	
211	14	pro: tin leg. tien
214	10	pro: nigra leg. nigra capita
220	11	pro: Tcheou leg. Tchou
222	24	pro: Tsi leg. Tse
227	25	pro: jao leg. yao
228	22	pro: fesiandam leg. festinandam
256	28	pro: genere inde leg. genere. Inde
241	2	pro: votisque sementi leg. sementi votisque
244	55	pro: tsouen leg. tchouen
245	11	pro: addensotur leg. addensetu
—	22	pro: infantia leg. infantiae
246	24	pro: hominum leg. hominum ope
247	2	pro: procurando leg. procuranda
248	7	pro: infantia leg. infantiae
251	55	pro: possit leg. posset
261	5	pro: prorogatione leg. prorogatione vitae
263	9	pro: erant, dividenda leg. erant dividenda
—	11	pro: ac Tcheou-kong leg. ac aliorum sibi foederatorum coepta. Jsto igitur epiphonemate respondet Tcheou-kong
264	4	pro: sensusque leg. sensuique
266	13	pro: indicto leg. indicto ad
276	29	pro: annotat leg. annotet
282	51	pro: Tchou leg. Tcheou
295	29	pro: mutsuum leg. mutuum
296	25	pro: ju leg. yu
298	54	pro: ju leg. yu
510	29	pro: dextra leg. dextrae
512	29	pro: thou leg. tsou
516	12	pro: prater leg. praeter
520	2	pro: aſ leg. ac
—	22	pro: haec leg. hae
526	17	pro: jong leg. yong
532	15	pro: song leg. yong
534	8	pro: cur. leg. cum
535	3	pro: ═══ leg. ═══
545	12	pro: et regia leg. regiae
546	25	pro: posteritate leg. posteritati
549	11	pro: ohsequio leg. obsequio
553	16	verba Cap. Kan-tche referenda ad lineam 15.
557	6	pro: debitam leg. debitum
558	28	pro: Yn leg. Yu
—	55	pro: Yn leg. Yu
566	17	pro: onang leg. ouang
570	5	pro: Taj leg. tai
570	16	pro: Tchang leg. Tchong
572	6	pro: Tsing leg. Tseng
575	2	pro: Y-king leg. Y-ing
579	12	pro: Thing leg. Tching

pag.	lin.	
380	21	pro: statuer leg. statueret
381	15	pro: jong leg. yong
—	22	pro: Tchin leg. Tching
387	25	pro: je leg. ye
389	2	pro: loco leg. loca
401	55	pro: falsas pecie leg. falsa specie
408	29	pro: jun leg. yun
—	30	pro: ju leg. yu
412	54	pro: vel leg. quam
415	59	pro: in Tchon-jong in Lunju leg. in Tchon-yong, in Lun-yu
415	24	pro: rasu leg. casu
417	15	pro: joue leg. youe
427	19.	pro: sumnum leg. summum
432	25 et 27	pro: jou leg. you
440	24	pro: ; leg. ,
448	6	pro: supponitue leg. supponitur
454	24	pro: minoris ceteris leg. minores ceteris ab
461	24	pro: sse leg. tse
467	21	pro: corigat leg. corrigat
469	5	pro: ou, leg. ou, Yu,
—	6	pro: Tchoug leg. Tchong

Tab. III. Nonnulli ex characteribus Sinis in hac tabula exaratis cum sint minus bene scripti, eorum numeros secundum Lexicon Sinicum Basilii hic indicandum censeo

koua	25	num.	1798. 1854
koua	32	num.	2581
koua	59	num.	10745
koua	44	num.	1860
koua	49	num.	12061
koua	54	num.	1869. 4675

Y-KING

ANTIQUISSIMUS SINARUM LIBER QUEM
EX LATINA INTERPRETATIONE

P. REGIS

ALIORUMQUE EX SOC. JESU P. P.

EDIDIT

JULIUS MOHL.

VOL. II.

1839.

STUTTGARTIAE et TUBINGAE.

SUMPTIBUS J. G. COTTAE.

Confucii [1]) opusculo fere unum probatur, principem aulamque ita institui debere, ut exemplo omnibus praeluceat. Futurum enim, ait, [2]) ut nullis monitis ad bonum tamen populi ultro se convertant, exemplo scilicet gubernantis inducti, e contra si persona ipsius non sit ad rectitudinem composita, utatur licet assiduis admonitionibus, tamen subditi non sequentur. Allicient quidem verba, sed potentius avertent facta. Ita interpretes Confuciani, ita Menciani in similia loca, prorsus ut in hoc tota conveniat philosophorum Sinarum schola: principum exemplis nihil potentius apud populos ut ad sequendum Soui (quod indicat hujus emblematis vel ipse titulus) facile magnoque numero inducantur. Imprimis autem commendant exempla aequitatis et benignitatis, quod his vel magis moveatur plebs, vel Ouen-ouang floruerit.

ADNOTATIONES.

1) Laeta omnia habent qui eos sequuntur quos debent sequi. Figura haec decima septima de modo sequendi seu de docilitate tota est; ideo succedit proxime praecedenti ad gaudium factae. Ita in regiis commentariis et opusculo Confuciano de ordine figurarum Tso-kouatchouen.

2) Compositum est hoc emblema ex duobus symbolis: superius symbolum, inquit Tching-tse, est aquarum a montibus seu lacus ex his aquis collecti, quod rei genus laetum est. Symbolum inferius est tonantis fulminis quod commovet. Quidquid autem movetur sequitur et vicissim. Populi scilicet movendi ratio pendet ex spe laetorum et terribilium metu. Nihil in vulgo modicum. Terrent nisi pavent. Turbant, si desperant.

3) Cum supra sit fulmen, infra lacus, figura

---

1) Ta-hôs. 2) Lunia.

haec quae utrumque complectitur fulmen in medio lacu exhibet, indicatque modum sequendi hoc articulo expositum. Fulmen in aquam incidens nihil quidem mali infert, sed hoc tamen quod terrefacit vel audacissimos. Terror rei auctoritati adjunctus, etiamsi non semper poenae comes sit, semper tamen in obsequendum inducit, adeoque facit ad argumentum sensumque hujus capitis Soui, de sequendo.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Mutat regimen, si sit soliditas. hoc bonum, si ad januam egrediens uniatur, gloriam assequetur.

INTERPRETATIO.

Mutatio regiminis debet esse a soliditate virtutis, ut sit felix. Foris cum aliis congrediens meritum seu gloriam sibi comparabit, si ita agit.

Rerum, ait proprii sensus glossa, mutationes in orbe sequi seu invicem succedere justum est. Nos sequi rerum mutationes aut rebus nos accommodare etiam justum est; quod multo magis tunc observandum esse docet Tcheou-kong, cum mutatio a se suoque fratre Ou-ouang constantis veraeque virtutis fama celeberrimo perfecta, sit mentis solidae bonique publici studiosae meditatum opus. Nec ob sublatos quosdam usus qui utpote non mali poterant relinqui, recensque in imperii restitutione instituta nonnulla, ullus sit reprehensioni justaeque populi offensioni locus. Ita etiam respondebat suo tempore Confucius ad similia tertiae regiae familiae Tcheou consuetudine indicta: ego, licet hac in re a priscorum usu discedatur, sequor multitudinem et servio tempori.

Ex his praecepta politica excerpunt suo more interpretes, quae de quavis in imperio mutatione auctoritatis publicae praescripto attentata in genere tradunt, et quorum summam ipsis epiphonematis verbis comprehendi volunt. Id circo, inquit doctor Tchou-hi, quod dicitur in textu: in regimine est mutatio, si solide, bonum. Id ita est intelligendum, ut si quid sequendum proponatur, illud rectum sit. Inde enim tunc bonum existit. Si vero mutatio fiat quae a recto aberret tunc malum accersetur. Quae regula quidem vera est, at non ita facit ad mutationem ipsam imperii, quae solida, quae bona, item recta, felix ac salutaris pronuntiatur ex sensu totius nationis. Melius nodum solvit Confucius, dum in Lun-yu memorat ingentia beneficia novi imperatoris in magnates, in quoscunque bene meritos, in vetustas illustresque sed collapsas familias. Hinc enim facile intelligitur, quod Romanis sub Augusto accidit, idem sub Ou-ouang Sinis accidisse: ut caeteri nobilium, quanto quis jugo promptior, opibus et honoribus extolleretur, ac novis ex rebus aucti tuta ac praesentia quam vetera et periculosa mallent.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Detinetur a parvo puero. Amittit magnos viros.

INTERPRETATIO.

Qui se regèndum dat in negotiis rudi et infanti, deseritur a viris rerum peritia et sapientia eximiis vereque magnis.

Non quemcunque sequi licet ne quidem supremo principi, sed solos sapientes magnaque rerum experientia caeteris meliores, quorum scilicet consiliis se regi sinat. Quemadmodum, aiunt, grandaevi seu annis grandis viri instructione in quavis familia formatur puerorum infantia, ita sapientis virique vere magni ministerio regi necesse est prima principis juvenis initia. Artem gubernandi callere non vult qui diuturno rerum usu doctos ferre non potest. Nam, ut docet Mencius, rejicere sapientes est magistros nolle. Unde accidit, ut cum alioquin adjutoribus carere non possit, adhaereat insipientibus facile obviis, rerum imperitis et infantibus, quibus se velut tradit regendum, quod sibi putide adulari aut tacite assentiri sciant. Tuno enimvero deseritur a magnis viris exercita aetate notaque peritia ministerio dignis. Amittitur etiam, inquit Tehing-tse, recta via atque adeo qui sequitur est extra rectum. Multum proinde errat seu magnum in malum incurrit.

Hoc totum significari volunt interpretes figurae lineis. Prima est Yang robustae quidem naturae, sed infimo loco hic sita, accipiturque merito pro homine rudi in negotiis et infanti, seu pro ministro prudentiae nondum adultae publicisque rebus impari. Secunda linea Yn est natura debilis quae non potest custodire se ipsam et significando juveni principi alienae opis indigo idonea est. Quinta linea quae huic secundae supra correspondet, estque ideo velut mutua tutela, virum magnum significat, quod sit Yang, et supremo loco, id est natura situque valens. Verum fit ex figurae dispositione, ut secunda linea adhaereat primae quam sequitur (suo nempe ordine) licet infirmam, non habet itaque seu amittit superioris quintae tutelam. Ita et accidit si quis se teneri regique

permistis a rudi et infirmi animi ministro, amittit brevi magnos viros, seu caret eorum auxilio, qui ad rectam felicemque administrationem colli requirendi erant. Ita aut omnes aut fere omnes interpretes, quorum figurae explicandae modum ideo huc refero, ut de ceterarum explicationibus vulgo huic non dissimilibus judicium a lectore hujus operis ferri possit.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Delinetur a magno viro, amittit parvos pueros. Sequendo petitiones obtinebit. Oportet ut sit solidior.

INTERPRETATIO.

Qui regendum se dat magnae petitae et sapientiae viro, ab eo discedunt homines rudes in negotiis et infantes, sequendi ejus unam sensus constantia assequetur intenta, sed illa recto solide illi necesse est.

Quemadmodum, inquit Tchingtse, luce fugantur certo tenebrae, ita ab iis qui bonum sequuntur diffugiant secuti malum, ne sua obscura tectaque administrandi ratio, quae periti probique ministri oculos fugere non potest, meritis plectatur poenis. Sed circumque ministro aequi sectatori propositis supplitiis fugare improbos facillimum esse observant Sinae philosophi, difficillimum autem virtutis mirum in modum illustris exemplo efficere ut improbi aut fugiant aut ad frugem redeant. Nam Confucius ipse dicere solebat: in audiendis litigantibus ego tum sicut alii vulgo homines, sed

oporteret imprimis hoc efficere ut non essent litigantes, aut lites, quod accidisse narrant, imprimis clarissimo Y-yn moderatori infantis imperatoris Tai-kia, quem etiam in palatio monumentis sepulchri paterni vicino erudiendum diu detinuit. Hunc dicunt nullis unquam suppliciis usum toto ministerii tempore, discedentibus alio ad ipsius nomen improbis, aut ad ipsius genua emendationem pollicitis historiae commemorant. Verum, inquit Confucius, id genus virum seu tam perfectum regni administrum expetere possumus, sed aegre reperire. Satis si ejus peritia, rectitudine, et sinceritate nitatur. Idee notat Tching-tse esse in textu: oportet ut insit soliditas. Quod cum haec ex rectitudine existat, ea peti dicitur, certoque obtinetur res quae recta est. Licet autem populus superiorem sequi debeat, at multo magis, dit idem, virtutem. Videndum proinde est ne magnates supraque se positos velut coeco impetu sequatur, nempe in iis quae adversantur rationi. Nam vilis animi homines non curant, an quae proponunt sint perversa. Satis illis est aliquid lucrari etc.

Neque ea excusatione uti quemquam oportet quae in vulgari hominum ore versatur: non petivi. Nam magnatem divitiis affluentem licet virtutis inopem quisquis ultro sectatur, petit. Ita Tching-tse et alii in commentarium regium adducti.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Si sequenti erit obtinendum, licet solidum, pessimum. Habere soliditatem in lege esse, si habent perspicuitatem, quodnam malum est?

INTERPRETATIO.

Si quod in sequendo solidum sit, semper aliquid habeat præ se alterius obtinendum; etiamsi hoc videatur solidum, ipsi male erit, at non male, si id quod expetitur non solum habet in se soliditatem, utpote rationi, seu legi conveniens, sed etiam animi circumspectionem.

Insectatur his princeps Tcheou-kong illud ministrorum ac magnatum genus, qui majoris in dies auctoritatis apud populos habendæ ambitiosi, quod nihil sibi non deberi putent, nullum petendi finem ab imperatore faciunt. Similes illis non paucos tunc fuisse oportuit incredibili etiam erga bene meritos de republica feliciter restituta benevolentia novi imperatoris Ouan-ouang onerosos. Ambitioni enim meritis tumenti semper minus est quod datur quam quod expetitur. Ascendisti jam, ait commentarius regius, ad supremum dignitatis gradum quem subditus obtinere potes. Si vis velut urgendo adhuc aliud consequi, licet nihil petas injustum, malum tibi accerses. Obtinere populi corda, efficereque ut velint sequi, hoc quidem non est contra rationem officiumque subditi seu vasalli, modo tamen benevolentia popularis ab eo in principem transeat referaturque. Populi corda quotquot sunt ferri debent ad regem sequendum. Si facit ut ferantur ad se, agendi rationem init pravam suspec-

tamque laude itaque infortunium etc. Antiquis temporibus vigere imprimis imperii administratores Y-yn, Tcheou-kong, Hung-ming. Eorum virtus eo pervenit, ut populi eos ultro sequerentur. Sed quidquid ex popolari amore seu favore collegerunt, id totum ad augendam imperatoris sui gloriam contulere.

EPIPHONEMA QUINTUM.

In laudibus fidit. Hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Spem suam praesidiumque ponit in eo quod est vera laude dignum seu in praestantia virtutis. Hinc bonum seu imperii totius felicitas.

Commune adagium est: non regni defensio stat in montium faucibus fluminumque obicibus. Nec totius imperii possessio pendet ex magno militum armorumque apparatu, sed haec omnia praesidia continentur benevolentia animorum prius captata. Princeps autem, addit Mencius, qui verus pietatis et aequitatis sectator est, veram captandorum animorum rationem sequitur. Atque hoc ipsum est quod epiphonemate docet Tcheou-kong, tempe securitatem, inquit Tching-tse, sitam esse in sequenda virtute. Nam juxta antiquissimos quosque Sinas sapientes, ut patet ex libris canonicis, imperii possessio non est nisi a coelesti mandato, quod scitur non esse perpetuum. Potest, monet Y-yn imperatorem Tai-kia, totius imperii revolutio contingere. Possunt esse initia laetis-

sima at exitus deinde tristissimi. Coelum attendit ad principis virtutem. Sola itaque virtus firmat regna; hanc si negligis jam coeli indignationem, populi dissensionem, spirituum aversionem procuraveris.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Detentum alligat iterumque augendo intorquet. Princeps facit oblationes in monte occidentali.

INTERPRETATIO.

Quibus obstrictus est princeps eos sibi beneficiis alligat et in dies magis devincire pergit. Vacat enim oblationibus in monte occidentali faciendis.

A prima, ait interpres familiae (regiae tertiae) Tcheou antiquitate mons Ki-chan (in ditione urbis Fong-tsiang-fou) situs in occidentali imperii parte, destinatus fuit oblationibus quibus coluntur spiritus. Nempe haec illos principes incesserat religio, hoc sublime ad quod sensim pervenerant potentiae honorisque fastigium, deberi non solum virtutibus suorum majorum, sed etiam oblationibus summa animi corporisque reverentia ac singulari cura in sua illa paterna ditione montis Ki celebratis. Hunc etiam cultum primorum gentis legislatorum secutus novus imperator Ou-ouang, spiritibus omnibus regionum per quas exercitum transduxit praesidibus adhiberi voluit, ut refertur in Chou-king, in quo de illorum praesidiis inter tot tantaque negotia gloriatur. Propitiato autem supremo coeli imperatore et inferioribus spiritibus, sibi imperium auspicanti rite conciliatis, ut sua coepta quibuscunque firmaret praesidiis eos qui de se bene meriti sui partibus constanter adhaeserant, aliis atque

aliis beneficiis ita sibi adstrinxit, ut non ipsi solum sed et nepotibus totique familiae Tcheou fuerint addictissimi. Quae et in libro authentico Chou-king summatim et in communibus historiis sigillatim enarrantur, ex quibus nos supra profecimus, prorsus ut nihil magis perspicui in interpretum commentariis reperiatur, aut forte reperiri possit ad sensum epiphonematis probe intelligendum. Satis itaque erit notas aliquas addere ad explicationem figurae et eorum ad quae alluditur. — — — — — —

ADNOTATIONES.

1) Sexta haec linea quae est figurae suprema, ait glossa, significatur pervenisse ad summum studii sequendi et adhaesionis, quae proinde ita stricta dicitur, ut solvi non possit. At quonam pacto fiet, quaeso, insolubilis, nisi magis ac magis obstringendis assectis et intorquendis veluque circumdandis, ut ionat textus, multiplici nexuum genere. Sed eadem linea exprimi monet glossa, crescente adhaerendi et sequendi cura crevisse et verum erga eum quem sequuntur studium, ita ut simul animi sinceritas pervenerit ad summum, sine qua scilicet nihil veri solidique esset in his sequendi et adhaerendi consiliis, nec quidquam digni spiritibus in oblationibus fieri soliti, ne quidem in illis quae in monte Kichan a Tai-ouang posterisque Ouen-ouang et Ou-ouang tanto utique successu celebrabantur. Perfecta erat principis Tai-ouang animi sinceritas, ait interpres, poterat itaque rite facere oblationes in monte Kichan. Et juxta Li-ki l. 4. cap. 7. in his oblationibus non tam spectatur rituum numerus et magnificentia quam vera animi sinceritas. — — — — — —

2) Observandum est nullum omnino adduci interpretem qui montis occidentalis nomine non intelligat eum qui dicitur etiam nunc Ki-chan, situs in provincia Chen-si et in historicis provinciae libris ob Tcheou familiae memoriam celebratus, ad quem, ait Tching-tse, ex libris Chi-king et Chou-king debellatis barbaris Tai-ouang venit sedemque regiam posuit. Esset itaque haricles et forensis imitari haec ad alia loca et ad alios homines traducere. — — — — — —

CAPUT DECIMUM OCTAVUM. Kou.



EPIGRAPHE.

Magna penetratio oportet transire magnum flumen. Tertia dies ante Kia. Tertia dies post Kia.

Nota. Kia est prima seu initium decem litterarum, quae minimam Sinarum temporis periodum nomine Che-kan constituunt.

INTERPRETATIO.

Eum imprimis providum esse oportet cui magni fluminis spatia arduaque superanda sunt; habita tamen ratione temporis incepta antecedentis et subsequentis.

Quandoquidem, ait Tching-tse, hoc emblema seu figura proponit suo vel nomine Kou pravi conditionem, utique supponit reperire esse aliquam illius dirigendi et componendi rationem. Atque in ea moderandi illius arte tota versatur emblematis Kou doctrina. Ideo magna animi penetrantis provisione opus esse ante alia praemonemur. Adsunt siquidem difficultates, aerumnae, pericula simulatque tempus agendi est,

quae tamen superanda sunt, perinde ac magnum flumen occurrens necessario trajicitur. Litera illa Kia est character initii dierum circuli simulque principium negotiorum quorum cursus per annum volvitur. Tertia dies quae antecedit Kia, initium redeuntis dierum circuli, vocatur Sin, a negotiorum labore et aerumnis. At quae subsequitur Kia etiam tertia dicitur Ting a negotiorum fine et stabili decisione. Vera ratio dirigendi componendique negotii pravi est meditandi providendique animo, quid prius, quid posterius sit agendum, quid praecesserit, quid consequi debeat. Ut vero intelligatur necessariam esse altam longamque meditationem, qua ad originem rerum pervadendum est, textus meminit temporis non unius diei nec duarum sed trium. Nam quo longius mens respexerit, quo altius in rem penetraverit, eo magis sciet rei in bonum restituendae et in diuturnum futurum servandae. Ideo antiqui illi excellentes viri non solum in hoc incubuerunt, ut populos suos velut renovarent, quin et suas curas ad omnium aetatum nepotes propagarunt etc.

Inter autem excellentes illos imperii liberatores, nulli dubium esse potest, quin Sinae vel minime antiquitatis periti intelligant imprimis Ou-ouang et Tching-tang, quibus libertatem suam et salutem a tyrannide liberati debere se profitentur in Chou-king. Eheu! quamdiu malis obruti imperatorem nostrum exspectavimus! tandem aliquando perquam expectatus advenit, nos a servitute

liberavit, at velut mortuos ad vitam revocavit.

ADNOTATIONES.

1) Ut intelligatur ex sequendi primo interdum studio exisiere malum aliquod negotium quod Kou dici potest, utpote calamitosum, molestum, praeter spem et opinionem contingens juxta varias vocis Sinicae acceptiones, idcirco hoc emblema decimum octavum Kou excipit decimum septimum nominatum Soui a sequendo. Ita clarissimi interpretes Hoang-ta et Tching-tse omnesque his recentiores ad mentem Confucii de ordine figurarum.

2) Emblema componitur ex duobus symbolis montis et venti. Ventum, notat Tching-tse, exhibet infra montem, incurrens scilicet in montem indeque reperc[illegible] miscensque omnia, imago est negotii involuti ac depravati, unde sequatur calamitas. Eam ob rem verti potest negotium infelix, infortunium, sicut est in versione Tartarica, et nos deinceps accipiemus.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Curam habet infortunii patris. Si habet filium, nullum est malum. Licet sit periculosum, in fine erit optimum.

INTERPRETATIO.

Filius cui curae est negotium patris injuste afflicti efficit ne ab eo male factum videatur. Id boni ut consequatur incurrit in pericula.

Quis ille est puter nisi princeps Ouen-ouang e crudeli Tcheou in vincula conjectus, noxque liber quidem, injustis tamen quamdiu vixit, vexatus artibus? quis ille filius nisi Ou-ouang, patris tot inter mole-

stias solatium et injuriarum acerrimus vindex? ad haec animum referens Confucius in Tchong-yong exclamat: qui vere felix dici potest, nisi princeps Ouen-ouang, habuit enim filium, qui coepta patris felicius perfecit. Id siquidem ad filialis obsequii rationem cumulumque imprimis pertinere volunt Sinae philosophi, ita ut qui secus fecerit, aut paternae laudis desertor aut ab avitis virtute degener habendus sit. Quid significant, inquit Confucius in suo commentario Siang, haec verba: curam habet infortunii patris. Sensus est: patri filium velle succedere, haud dubie in dignitatem paternam, qua Ouen-ouang omnium principum clientelarium negotiis praerat, summa improbae aulae invidia et nonnullorum etiam politiconum reprehensione. Succedens autem Ou-ouang in amplissimum munus patrisque insistens vestigiis ac coeptis, cum brevi respublicas in pristinum statum restituisset, omnium querelas extinxit, quos felices susceptu a Ouen-ouang muneris exitus tunc experirentur. Absolutus itaque est ab omni ambitionis studique proprio utilitatis suspicione. Mortuus Ouen-ouang a filio Ou-ouang, qui filialis obedientiae amorisque partes omnes tunc implevisse dicitur a Confucio et Mencio, quando paternae voluntati reipsa tandem fuit satisfactum. Nec haec a filiis imprimis exigere officia Sinas philosophos ita reprehendendum putaverim, cum non reprobari (si justa res est) soleat illud Taciti: non hoc praecipuum amicorum munus prosequi defunctum ignavo quaestu, sed quae voluerit meminisse, quae mandavit exsequi.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Curam habet infortunii matris. Non potest dare!

INTERPRETATIO.

Ad matris afflictae negotia procuranda, afferri debet a filio animus obsequiosus.

Ad haec, inquit Tching-tse, adhibenda est a filio eadem tractandi ratio quae a ministro principis debilis onerique imparis. Hunc scilicet juvare potius obsequio quam sententia regere videri debet. Tunc levioribus in rebus quae multae sunt et non summi ad negotia momenti omnino obtemperare, est scire modum curandi. Obsistendo firmius seu durius plerumque exacerbantur qui colendi sunt; in sententiam ducantur perinde ac si suo obsequerentur animo, ita laetantur. Qui scit obsequi in quibus potest, sententia cedere videri, reverentiam in dies augere, is juxta philosophos Sinas non difficile inducit ad eundum quo eundum est. Longe et ille differt ab adulatore praeter modum obsequioso qui similis puellae nubenti cujus gratia consistit in sequenda alterius voluntate. Non ducit ille quo eundum est, sed quo itur. Quotiescunque (legitur in Chou-king) imperator Chun improbum Kou-seou tum honoris tum obsequii causa invisebat, toto corpore summam veneration nem et reverentiam praeferre studebat. His tandem motus Kou-seou mores suos corrigere, tacitis filii monitis fidem dare, vota implere, sequi virtutis exempla. His porro erga patrem, matremque non correptionibus, nec per-

tinaciter a filio agendum docet inter alios Mencius, quia, inquit, neutrius conditioni convenit. Principis autem Ou-ouang mater Tai-sse erat tanta sapientiae ac virtutis fama, ut Ouen-ouang tot inter periculosa negotia et calamitates illam consuleret. Nihil ut mirum sit illam non invitam sed ultro descendisse in sententiam obsequiosi filii Ou-ouang, ejusque consilia liberandi a tyrannide et suam domum et totum imperium aeque studiose ac sua amplexam esse.

ADNOTATIONES.

Filii matris negotia curantis similitudinem (si credimus interpretibus) expressam habemus in hac secunda linea Yang symboli inferioris, quae symboli superioris Yn lineae item secundae in figura subest. Linea principii Yang indice vis et praesidii robur exprimitur, et cum ipsi correspondens pingatur linea principii Yn se uno debilis, hanc velut matrem protegi a superiore Yang velut a valente filio intelligendum est. Verum cur linea Yn mater, cur linea Yang filius dici possit, hoc superesset ab illis explicandum. Et quidem si principium Yang produci aut oriri a principio Yn philosopharentur, huic nomen patris, illi nomen filii accommodari utcumque posset. Sed contra esse potius docent, quandoquidem principio Yang generationes rerum imprimis referunt, et praeterea in systemate figurarum principis Ou-ouang quod prima operis parte expositum est, linea Yang vocatur pater, linea Yn non filius, sed mater est. Quod simul cum Yang sit principium materiale generationum, sicut solet dici a nostris de coelo et terra rerum nascentium parentibus. Igitur haec matris filique denominatio ad has lineas mere translatitia est, et, ut ait commentarius vulgaris, ad explicationem sententiarum eas pro matre et filio supponere dicendum est. Nec ratio redditur si quis in utroque hoc nomine mysterium quaerat. Cur enim aliis in figuris lineae nunc regem, nunc vasallum, jam imperii administrum, mox summum armorum praefectum referre dicantur? Accommodantur scilicet lineae ad verba sententiae et verba sententiae ad sensum, quemadmodum faciendum de methoris libri Chi-king docet Mencius lib. 2. cap. 5.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Curam habet infortunii patris. Est parvus poenitendi locus, non magnus error.

INTERPRETATIO.

Qui in componendis patris malis negotiis curas suas insumit, illum non ita multum poenitere potest, nec magnae culpae reum dicent.

Ou-ouang incurrisse in reprehensionem non paucorum et aliquorum etiam principum supra narravimus; at quam facile veniam obtinuerit in gratiam patris Ouen-ouang, cujus coepta prosequi se praedicabat, ex dictis quoque colligitur, et ex Chi-king quam illustria fuere principis Ouen-ouang consilia! quam praeclara et ingentia Ou-ouang succedentis facinora! leges totaque imperandi ratio quam posteritati ad gentis informationem tradidit, perfectam rectitudinem et cujuslibet labis expertem complecturtur. Adde et illud ex commentario Siang Confucii: in fine nullus error; in eundem omnino sensum quem exposuimus, omnia veterum de his testimonia convenire reperies. Quin et eo pertinent praecepta recentiorum: pietatis filialis est pro patris salute famaque tuenda non sibi parcere. Quidquid patiatur ab injustis patris adversariis aut ab adversa rerum conversione non ita graviter ferendum putat, venia dignum quod paterno studio peccatur, censeri solet etc.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Infortunium extinguit. Eundo emolumentum habet.

INTERPRETATIO.

Filius sublevat patris calamitatem, si ipse eat adsitque. Eundo quippe suo saltem studio rem ulterius promovet. Etiamsi forte eundo, ait Confucius in commentario Siang, nondum obtineat aut non obtenturus sit.

Negotium illud patris, inquit glossa, supponitur esse id genus ut calamitas alte penetraverit, adeoque magnae difficultatis. Etiamsi filius, addit Tching-tse, sua diligentia et cautione non eam statim superet, semper tamen affert aliquod adjumentum, adeoque sensim sine sensu infortunium extinguitur a filio. Huic non satis est habere cordi curaeque negotium patris; non debet illud alteri committere, ne videatur patrem suum tractare ut alienum. Ire, redire, nec nisi re composita conquiescere ipsius est. Id ita egregie praestitit Ou-ouang, ut sua erga patrem pietate quam relata ab hostibus victoria sit celebrior.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Causam habet infortunii patris. Est laude dignus.

INTERPRETATIO.

In procurandis patris negotiis veram laudem sequitur. Laude certe dignus est, qui laudabilem agendi rationem tenet. Laudabilibus (ita textus ad literam)

uti ad promovenda patris negotia est ea vere curare, paternae scilicet voluntati satisfacere. Qui secus facit, ait Hou-pi, parentes probro afficit, domumque tandem destruit. Contra ideo laude dignus in textu dicitur, inquit Confucius in commentario, quia virtute patri succedit. Succedere enim in locum patris et non illius virtutem imitari, aiebat Y-yn imperatori Tai-kia, est illi quam maximum potest facere dedecus et summam injuriam.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Ouang non inservit Heou. Plurimi facit negotia, seu suam mentem circa negotia.

Nota. Ouang et Heou sunt tituli dignitatum non absimiles titulis Ducis, Comitis, Marchionis, Baronis etc.

INTERPRETATIO.

Major princeps non navat operam minori. Illius est scire suo pretio aestimare negotia.

Expedit enim, ait in haec textus verba Confucius, ut secundum suam mentem agat.

Hoc postremum epiphonema censet Tchao-ping-ouen spectare regem et vasallum, licet alia quinque ad filii erga patrem officia pertinere cum aliis interpretibus agnoscat. Hoc, inquit, affertur ut intelligatur esse utrimque similitudinem. Vasallo curae esse debet calamitas principis, perinde ac filio infortunium patris. Pater non inservit filio, seu sequi non tenetur consilia filii, quod grandaevus meliora no-

rit. Iniquus sit filius, si patrem sibi obsequi velit, ita et vasallus magnus quidem, sed tamen inferior, qui inique fert regem suis non regi consiliis. Regis est inferiores magnates audire, non tamen illis inservire, consiliariis uti, non obsequi. Auditis aliis audiat se ipsum, unum est imperii corpus, unum est imperii caput, unius animo regatur.

Quae de principe seu majore seu minore Ouang et Heou afferuntur, traducit Tching-tse ad regum principumque ministros quos monet non esse semper serviendum in illorum aulis, aliud esse tempus gerendi muneris, aliud cedendi. Postquam diu in negotiis publicis versati sunt, sapienter agent si domum recedant vacentque in hoc quieto otio sibi virtutique studiosius excolendae. Posteris praeivisse exemplo ait eximios viros Y-Yn, Tai-kong, Tseng-tse, Tsesse Confucii discipulos, qui posita suo tempore dignitate domum se receperunt ad studium virtutis. Unde factum ut a regibus principibusque tanquam imperii magistri per internuntios undique advenientes consulerentur. Quae omnia vera esse constat quidem ex Confucii et Mencii operibus, at ad genuinam textus explicationem non ita facere multis, opinor, videbuntur.

CAPUT DECIMUM NONUM. Lin.



EPIGRAPHE.

Magna penetratio debet esse solida. Dum pervenerit ad octavam lunam, erit pessimum.

INTERPRETATIO.

Debet esse in providendo constantia. Advenit siquidem temporum varietas rerumque vicissitudo tempestate autumnali deterior.

Octava luna est luna autumnalis, dit glossa, res corrumpi necesse est. Talis scilicet est rerum naturalis ordo, at suae etiam imperium versant mutationes. Ab ultima antiquitate, inquit Tching-tse, imperium maxima licet quiete compositum et gubernatum non valde diu fuit sine turbis. In omnium rerum copia non potest esse moderatio necessaria. Ex immoderatione sequitur detrimentum. Cupiditas est parens malae gubernationis, virtus bonae; sed hae suas alternant vices. Recte itaque observatum est a Mencio: ex quo homines esse coeperunt, semper videre fuit alternantes boni et mali regiminis vices, unumque alteri successisse, unde mutatio imperii subsecuta

est. Haec observatio non fugiebat principem Ouen-ouang; adeoque a rerum civilium conversione, quam physica naturae mutatio adumbrat, argumentum sumit persuadendae filio suo nepotibusque constantiae in providendo statui imperii, ne quando cessare se posse crediderint tunc novorum negotiorum se dent initia ei incauto occulta. Luna, ait commentarius, duodecima seu hiemali Lin tellus cessans inersque videtur; principium tamen Yang (erga semen) activum incipit redire. Operatio sensum tunc fugit mox futura sub aspectum. Ita et forte imperii negotia quantumvis secreta prope est ut prodeant.

ADNOTATIONES.

1) Ut mala negotia sunt composita infortuniique nihil superest, quod effectum datur emblemate 18, ferme, existit melioris status principium, quod debet fieri magnum ut possit dici Lin. Nam vox Lin hic idem sonat quod Ta, seu quod advenit, et magnum advenit, dicitur Lin. Atque hoc est argumentum emblematis hujus 19 ob eam causam proxime praecedenti conjuncti. Ita glossa et commentarius regius ex opusculo Confuciano de ordine figurarum et ex Tching-tse.

2) Lacus quem exhibet symbolum, inferius hac in figura habet supra se terram seu ejus symbolum, significatque terrae ripa aquas suas contineri. Si aqua supra terram libere efflueret, quot inde conturbationes? debent itaque prius aquarum motus sisti. Sequitur mox ex quiete utilitatis initium.

3) Terra quae aquam constanter continet est in Confucii commentario Siang imago sapientis aut principis omni in re populum protegentis, nec unquam cessantis illum docendo retinere in officio, seu intra praescriptos obsequii debiti terminos. Populus sine lege effusus super faciem terrae similis est aquae ruptis aggeribus erumpenti, manat opinione latius longiusque, nisi obicibus reparatis coerceatur. Ita scilicet est utriusque velut indoles.

Tolle periclum
jam vaga prosiliet fraenis natura relictis.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Aequaliter adveniunt. Si sit soliditas, hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Veniunt quidem nullo generis indolisque discrimine, at dum modo constantes sint, bonum ex eorum adventu percipietur.

Turmatim scilicet homines, ait Mencius, confluunt ad principem recti regiminis formam instaurantem. Tunc nullo discrimine nobiles et plebeii, boni malique recipiendi sunt et aeque bene agendi. Satis est illos pii principis egere auxilio et velle novi regiminis leges amplecti. Princeps Ououang terras hostiles ut coepit ingredi nec quadrigarum nec militum numero potens accurrentes undique incolas sic affatus dicitur: nolite timere, cari populi, vobis consolator, non hostis advenio, ad salutem non ad ruinam. His auditis populi demisso capite similes gregi cornua inclinanti supplices ante pedes servatoris prociderunt. Qua multitudinis licet promiscuae accessione mirum in modum animatis illius copiis brevi rerum omnium potitus est, et sensim venientium mens, ait Confucius in Siang, recta reddita est.

Aliquam in hac figura similitudinem spectari volunt interpretes in qua se offerunt duae lineae Yang et quatuor lineae Yn. Sunt itaque figurae lineae, natura et efficientia diversae. Dum tamen illa Yang et Yn principia simul et constanter quavis annua revolutione adveniunt, communi operatione frugum copiam pariunt. Ita commentarius communis. Ita commentarius regius de quo supra.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Aequalitèr veniunt, hoc bonum; nihil est quod non conveniat.

INTERPRETATIO.

Utcunque sit illos aeque venire. Felicitatis est, magnique prorsus emolumenti.

Imperium molienti prodest vel ipsè undique advenientium numerus. Caeteri omnes ferme eunt quo itur, non quo eundum est. Utcunque erit, juvat praevalere multitudine, quo tempore nondum obtentum est imperium, seu, ut loquitur Confucius in commentario, nondum est obtemperatum mandato, nempe coeli, juxta librorum canonicorum tritas loquendi formulas, multitudinem ipsam ultro advenire coeli faventis beneficium est. Ouen-ouang in urbe Ki rectae gubernationis vexillum erigens, quamvis regno centum duntaxat stadia longo potiretur, feliciter imperium auspicatus est. Imo et acquisivit familiae suae Tcheou opera filii Ou-ouang quem patris prementem vestigia secuti sunt.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Suaviter veniunt. Non est quod non sit conveniens. Si est tristitia, nullum est malum.

INTERPRETATIO.

Venire primum gaudent, si paulo post subtristes fiant, non est quod sit emolumentum aliquando perci-

piendum, sed quod tunc non adsit, nec haec tristitia est mala.

Juvenes, virgines plenis calathis, plebem cum rusticanis cibis, principes et magnates accurrisse ad Ou-ouang narratur in libro authentico Chou-king. Quod tamen nondum dignitatis sedem aut solium obtinuerit, sed non nisi post varias suas et populi aerumnas, et ut in bello civili post domesticas strages, eo tandem potentiae pervenerit; inde non potuit non oriri multis moerendi causa. Nullum scilicet praesentibus in malis levamen nihilque quaesitae quietis experiebantur; et quae sperari poterant bona videbantur longe abesse. Praeter spem tamen victoria cito venit, ope etiam eorum, quos male habuerant prima initia non parum (quod vitari non poterat) molesta, et quos timor, ira dolorque stimulabant contra Tcheou ipsorum defectione exacerbatum. Illis itaque quantumvis alia quam aerumnosa quaerentibus fuit necessitas in loco, spes in virtute, salus ex victoria.

Qui etiam, ait interpres, ad virtutem ultro accedunt, illis accidit, ut virtutis rudimenta non sapiant, tristitiaeque nonnihil aegris adhuc animis afferant. Nondum enim gaudium ex ea crevit, quod existit ex necessaria vitii victoria. Affirmo, dicebat Confucius [1]), quod sua sapienti voluptas etiam constat inter has molestias. Verum utut sit, juxta textum, illa eorum tristitia non est magna culpa, seu leve est malum. Animos enim coepti tenaces brevi assequetur ex virtutis constantia gaudium et ex victoria tranquillitas.

---

1) Lun-ju.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Summe veniant, nullum est malum.

INTERPRETATIO.

Etiamsi veniant nisi extremi (nonnulli), nihil inde mali est.

Hoc unum tunc temporis agebatur, ut vel omnes vel longe plures in principis Ouen-ouang, seu, ut loquebantur, imperii auxilium venirent, ut de illo dici posset sicut de imperatore Chun qui imperialem thronum ascendit, quia omnium vota sic in illum conspirabant, ideo bene concluditur coelum illi donasse imperium. Consensum illum fuisse necessarium probat Mencius lib. 2. cap. 3. exemplis imperatorum gentis conditorum Yao, Chun, Yn, Tching-tan, et ita intelligi debet Confucianus commentarius in hunc locum. Summe veniunt, nullum est malum, id est, dignitatis sedem obtinuit. Quod enim malum vel (vox Sinica utrumque significat) quod erratum est admisisse etiam supremo tempore advenientes extremosque ad commune negotium. Nonne illorum concessu et adjumentum et firmitas susceptae molitioni afferebatur, nec quod novissimus ad opem quis veniat, rejiciendus illico est. Videndum an praesidio esse possit. Sic ferme de quocunque amicitiam recens expetente. Vide an possit fieri vetus sodalis.

Caeterum ne ullum ex his sensibus videatur figura innuere, notant interpretes quartam lineam Yn esse natura sua debilem, atque adeo juvari debere a caeteris et imprimis ab opposita Yang, ut dignum locum occupet, quando ad summum

concursus ventum erit. At cur imperialis dignitas obtenta aut obtinenda exprimi possit hac linea Y n, nec cur caeterae populi extremum summumque concursum adumbrent, non satis apparet.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Sapienter veniunt; magni principis auxilium, hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Quibus magnus rex praesidio est, veniunt illi sapienter et feliciter.

Res perspicua est. Regis auxilio et consilio quicumque illi sint muniuntur. Magni principis (dicitur in commentario vulgari) est scire negotia. Illius quoque in agendo virtutis est medium assumere. Legitur in Confuciano commentario hujus loci, ut regia protectio prout quisque meretur et indiget, aeque impendatur. Ita certe admonet legislator Yao successorem suum, Chun: apprehende firmiterque tene medium. Alioquin illos omnes populos qui se tibi tradunt in summum discrimen et calamitates adduces, nempe ad iras et seditiones impelles.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Dense veninnt. Hoc bonum. Nullum malum.

INTERPRETATIO.

Certatim populos advenire optimum est.

Ille scilicet tantus concursus non solum imperium principi cuicunque asserit, sed etiam coeli annuentis

voluntatem demonstrat, juxta Confucianae scholae doctrinam, quam fuse explicat Mencius lib. 2. cap. 3. Imperatore Chun mortuo princeps Yn in aula paterna haeredem reliquit Chang-kiung. Ipse ad radices montis Soung (provinciae Honan) in locum Yang-tching se recepit: verum omnes populi ad eum confluebant. Litigatores ad eum, non ad defuncti filium, sua negotia deferebant; illius virtutes cantilenis versibusque poetarum canebantur, unde factum est ut imperator acclamatus sit. Hoc aliaque veterum imperatorum exempla cum non ignoraret princeps Tchéou-kong, imo sui fratris suaeque familiae agendi rationem iisdem probari contestaretur, non est profecto mirum, sicut videtur nonnullis, si hic docet benevolorum populorum concursum esse optimum, seu felicitatis summae puraeque. Causa petenda est ex responsis Mencii ad discipulum opponentem: numquid forte coelum loquitur dans imperium? Non loquitur quidem coelum, sed per eximias virtutes dotesque, quibus principem destinatum ornat, prodit voluntatem suam. His ornatum lateque conspicuum populi venerantur et sequuntur. Nam primis illis Yao, Chun, Yn temporibus monarchiam Sinicam non fuisse haereditariam ex libris antiquissimis omnino constat. Secus tempore Mencii, ob internecina principum imperia bella audacius loquentis quam aequum erat.

phem. Consonum rationi prototypum exhibet. Cur haec verba? nisi quia, ut additur, inferiores videndo convertuntur. Si mirabilis coeli motus observetur ratio, quatuor anni tempestates suas ob vices non tamen perturbari advertetur. Ita est etiam doctrina excellentium virorum posteris tradita; huic adhuc totus orbis seu totum imperium consentit.

3) Venti et terrae symbola componunt hoc emblema, exhibens ventum supra terram spirantem, quo res omnes excutiuntur, ac velut singulae ab alienis secernuntur. Hoc emblema venti terram perflantis, ait Confucius in commentario Siang, vocatur Koen. Antiqui reges provincias perlustrando et examinando populos considerando veram doctrinam statuerunt atque promulgarunt.

4) Exemplum ponunt in Han-ouen-ti, quo nullus imperator fuit perfectior, ita nullus populo carior. In sublevandis illius miseriis solum magnificus, ne 100 quidem uncias expendi voluit in novo ornatu. His, ait, 100 unciis possum solari 100 pauperes. Censores suos aequo semper audiebat vultu, mitis, aegre severus etc.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Parvulus puer videt. Desipienti nulla est culpa; sapienti emolumentum.

INTERPRETATIO.

Egregium exemplum spectabile est vilibus ignarisque. Hi non errant suspiciendo, at sapientes suspiciendo insuper proficiunt. Virtutis exemplar duntaxat suspicere insipientis via seu mos est, ait Confucius in commentariis Siang, id genus hominum simile est

iis, qui vident a longinquo loco. Hos adumbrat, inquit glossa, hujus emblematis infima haec linea. Ita natura debilis et remotissima a quinta. Quae eximii exemplaris ad instar est. Hic tam longe ab illis non potest cognosci, etiamsi possit videri; illorum quidem insipientia erubescentiam affert sapientibus. At vel ex hoc magis animantur persuasi pudendum a regiae virtutis specie tam longe abhorrere. Ita interpretes ad mentem Confucii. Si praeis exemplo ad rectum, ecquis tuorum ministrorum audebit esse non rectus?

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Videt extra ex rimis. Convehit mulieri solidae.

INTERPRETATIO.

Egregium exemplum speculatur a multis obiter et indiligenter, ad morem mulierum solidae virtutis quae nonnisi ex transcursu, et velut ex fenestrae rimis audent foras aspicere.

Cum autem, inquit Tching-tse, mulier intus sedens et velut per rimas tueatur, videt quidem, sed non satis ut quae videt penitus perspecta habeat. Verum licet ita non possit clarissime externa videre, potest submisse obedire, quae sunt partes mulieris ut soliditatem habere dicatur. Ad hunc secedendi et videndi morem alludit Confucianus hujus loci commentarius, in quo nihil legas nisi mulierem secus videre deforme est. Dissimilis tamen modus

et quidem merito praecipitur hoc epiphonemate, quando scilicet intuendum est proposita patrum in virtutis exempla. Debent ea accurate observari et oculis diu saepeque observari. Sin minus, nihil prosunt etiamsi sub aspectum veniant.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Videndo vitam ingreditur et egreditur.

INTERPRETATIO.

Consideratione exempli vitae, agendi et cessandi rationem discit tenetque.

Vitae Sang nomine intelligenda sunt, inquit interpres, hominis gesta. In his sunt quando oportuit ad agendum procedere et quando oportuit ab agendo abscedere. Apte progredi et regredi, id ante omnia videndum est sapienti. Nam patet aliquando qua ulterius provehatur negotium, aliquando vero intercludum est, ita ut coepto absistendum sit. Hanc vero procedendi et cedendi suo tempore disciplinam imprimis addiscere debent, qui ex ephebis egressi in communes virorum coetus ingrediuntur et ad publica negotia accedunt. Quod saepe fuseque prosequi philosophi isti solent, et nos saltem delibare ex doctore Leou-chi-ting necesse fuit, ut melius intelligatur horum epiphonematum connexio. Nam in primo puer debilis, in secundo clausa puella, in tertio hoc juvenis imperitus inducitur spectator egregii virtutum prototypi. Qua eorum disparitate con-

siderationis aut adhuc obscurae aut nimis festinae, aut parum assiduae vitio aut ingeniosa explicentur simulque causae, cur sapientem spectabilem virtutis exemplo praeeuntem multi non sequantur. Nam pauci dignoscere possunt vera bona . . . . remota erroris nebula.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Videt gloriam regni. Erga regem debet haberi ut hospes.

INTERPRETATIO.

Regni decus ex regiae virtutis exemplis quisquis scit spectare vereque aestimare, dignus est hominibus, sicut venientes ad regem hospites honorifice excipi solent.

Confucius interrogatus de recta gubernandi arte, aliquando respondit: sic rege ut qui prope sunt gaudeant, qui longe absunt, advenient. Hos vult non secus ac hospites suscipi, id est in commentario Confuciano, honorifice. Sapientes vero ex regnis externis ad regem aliquem venientes tamquam magistros haberi debere docet pluribus Mencius, ita ut eos non vocare, sed dum invisuri veniant exspectare principem oportuit. Sic, addit, prisci aiebant: princeps erga sapientem debet ut discipulus erga magistrum se gerere. Jam vero vel ipse imperator magistrum non audet accersere ad colloquendum etc. at qui eximiam principis virtutem potuere perspicacibus ita oculis intueri ut eam velut in se expresserint, illi certe non absimiles sunt hospitibus exteris ad spectandum virtutis fama studioque adductis. Notat etiam hoc in

loco Tching-tse antiquis temporibus magnae virtutis viros licet subditos exceptos a regibus ipsoque imperatore ritu hospitum.

Hospites, ait Leou-chi-ting, refert quarta linea quae vicina est quintae principis virtute conspicui symbolo, atque adeo eo in loco eos exhibet sitos unde clarissime videant splendorem ex regis virtute emicantem.

Verior est observatio interpretis Tching-tse notantis, in textu non dici gloriam regis, sed gloriam regni. Verum ad gloriam regis illustrius est laudes illius repetere a regno bene composito exemplis virtutis regiae. Ad id conferre possunt veri regiae laudis aestimatores; necesse siquidem est et illos esse virtutis amatores et studiosos adjuvandi imperatoris. Digni itaque sunt publicis munerum honoribus, sicut exteri, quod regni videndi causa accedant, magno honore excipi solent. Quam multi porro sapientes, quam multi optimi principes ad Ououang venerint, et quam non solum honorifice, sed etiam liberaliter habiti sint, jam observatum est supra. Addimus vix apud Sinas vixisse imperatorem exterorum regnorum legationibus vel tributis magis cultum.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Videt vitam nostram. Sapienti nulla est culpa.

INTERPRETATIO.

Communem vivendi seu agendi rationem ita inspicit observatque princeps sapiens, ut illi vitio verti non possit si quid a populo peccatur.

A Confucio explicantur haec verba in commentariis. Videt vitam nostram, id est, populum videt, cui consentiunt caeteri interpretes unam in sententiam collecti, uti legere est in commentario regio. Populorum mores, aut Tching-tse, tam boni quam mali pendent a principe imperium regente. Si ita agit, ut illi ad virtutem formentur, est profecto sine culpa. Secus est si aliter agit. Nam principis, ait Confucius, peccatum est instar solaris defectus. Universi spectant, at plerique eo percelluntur et depravantur. Existit certe hinc aliqua in mundo inordinatio, ita ut sol non solus pati dici possit, sed et quae ab eo pendent caetera. Deteriora fiunt omnia a malo principe.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Videt vitàm suam. Sapienti nulla est culpa.

INTERPRETATIO.

Circumspicit sapiens sese, cavetque ne quid agat merito culpandum.

Disputant interpretes num ultima haec linea figurae totius referat principem, an unum duntaxat e sapientibus, seu, quod eodem recidit in opinione Sinarum, ex primis et praecipuis principis ministeis.

In quinta linea primum principis administrum qui sua sapientia populorum mores componat, in sexta ipsum imperatorem, qui ministri consilia sequi studeat, agnoscendum opinantur non pauci. Caeteris contra quinta linea est imperator, sexta quisquis est imperatori a consiliis.

Inter has ddas interpretum sententias jure suo arbiter imperator hodiernus in opere toties laudato sub nomine commentarii regii, decidit quintam lineam hoc in emblemate sustinere personam imperatoris, et ideo dici in textu epiphonematis quinti *ngo* (nos), nostram vitam, *ngo seng*. Non ergo quae est super seu ultima nempe sexta pro eo supponit. Pertinet tamen ad hanc eadem doctrina de vero principe, seu de componendis populi moribus, quae exponi coepit ad quintam. Nam ad hoc obtinendum uti virtutum suarum exemplo ars imperatoria est, seu imperatorum modus ex Mencii doctrina. Itaque, ait Tching-tse, cum hic solum agatur de sapiente cujusvis ordinis, peti non potest ex magnitudine dignitatis, sed solum ex professione virtutis toti imperio in exemplum proponendae suspicique dignae; superest unum hoc ut in suos mores vitamque inspiciat; quandoquidem sua hac diligentia intentaque cura inculpatus haud dubie habendus est dignusque quem caeteri tuto sequantur. Atque hac agendi ratione id habebitur, ad quod totum hoc emblema solum pertinet, imperii scilicet tunc restituendi apta compositio, exemplo aut potius bona cautaque administratione eorum omnium, quibus commissa erat a novo imperatore populi regendi provincia. Antiquo, ait Mencius, proverbio dicitur: nec vana sterilisque virtus, quae est tantum in corde forasque non prodit, utique sufficit ad rectum regimen instituendum: nec vanum sterileque regimen, quod non ex virtute cordeque sincero pullulat, potest aliquid magni efficere.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM. Chi-ho.



EPIGRAPHE.

Penetrat. Oportet uti nocentibus.

INTERPRETATIO.

Legitimus criminum vindex sit. Sagax in dignoscendis et puniendis reis.

Quae doctrina, aiunt interpretes Tching-tse et Li-chi-chin, in capite hoc Chi-ho proponitur, est magni momenti ad imperii gubernationem. Sunt quaedam quae regiminis vel eximii cursum aut morantur aut impediunt. Illa tollenda esse hic docemur, simulque tollendi modum, commissa sciliçet magistratibus, seu, ut usus jam fert, mandarinis, omni e numero selectis cura puniendi et examinandi sontes. Idem est aliorum interpretum et philosophorum sensus, qui ea non omittunt quibus ubique gentium probari solet poenarum necessitas. Sed haec utpote trita omittimus.

Annotamus obiter tantum in Canonico Chou-king esse sat prolixum caput dictum Lu-king de genere poenarum et moderatione in his adhibenda, quod etiamsi tribuatur imprimis imperatori Ou-ouang fundatoris familiae Ouen-ouang pronepoti, est tamen ad

illius mentem moremque a filio Ou-ouang certo tunc inductum. Ex eo et ex ejus commentario infertur benignissimos et perfectissimos imperii principes nunquam potuisse efficere, ut solo legum poenalium metu populus nulla in re delinqueret quae punienda non esset. Nam ipse legislator Chun, qui omnes benignitate superasse dicitur, etiamsi populum insigni probitate florentem habuerit, poenis vel ex hoc constat fuisse usum, quod in codice aureo sint etiam leges de luendis poenis. His scilicet carpit auctor eos Sinas philosophes, qui solo principis exemplo solaque benignitate posse regi imperium docebant, tollendasque ideo leges poenales; uti praedicavere apertius tempore Confucii et Mencii sectatores pseudomagistri Me-tie, qui ab utroque refellitur, tanquam nocens aequitati et imperii regnique bene ordinati pernicies.

ADNOTATIONES.

1). Juxta emblema praecedens agendi ratio esse debet digna suspici proponique in exemplum. Juxta emblema hoc quod subsequitur, tollendum est id omne quo propositae virtutis propagatio impeditur. Virtus siquidem principi aeque ac populo communis res sit oportet sitque velut utriusque vinculum quo uniantur. Atque haec est causa cur haec figura 21 Chi-ho succedit figurae 20, Koen. Ita interpretes et Confucianum opusculum de ordine figurarum.

2) Nomen emblematis Chi-ho juxta veteres, ut refertur in recentiorum commentariis, desumitur a metaphora. Si cui opipare pranso beneque habenti superest aliquid in radice dentium, ait Confucius, id vocatur Chi-ho, etenim id confici deglutirique debet ne caetero corpori nonnihil incommodet, cui cum reliquis alimenti uniri convenit. Ita glossa. Ho est velut in unum corpus coire. Chi est mandere, molere. Cibus mandendo, molendo adeoque non sine labore aliquo conficitur, sed ita confectus fit aptus ad corpus in quod con-

lescit deglutitus; prodest et reipublicae interdum vexare incommodos, ut his eruditi aptae communitatis partes esse possint. Haec porro metaphora Sinica non mihi magis videtur reprehendenda, quam nostra haec a multis scriptoribus usurpata: hic tibi bolus deglutiendus est, id est, haec difficultas superanda. Si cui etiam injecta est negotii suscepti remora, si quae res molestiam et sollicitudinem affert, qua liberari se velit, a nostratibus dicitur proverbii metaphora: extrahenda haec mihi spina e pede; infixa erat ejus pedi spina. Quae omnia ad eundem spectant sensum, nec dici possunt Sinico adagio meliora, sed nobis notiora quotidiano nempe usu.

5) Hoc emblema duo complectitur symbola. Inferius, ait Li-Chi, tonitrus, scilicet fulguris, superius vero ignis. Tempore quo coelum et terra generant exoritur tonitru et fulgur, uti ex philosophiis supra expositum est, quo motus in natura fit, tolliturque hibernus plantarum generationis obex. Quo fere sensu dicitur a Virgilio de adveniente calore: spiramenta relaxat. Ad eum modum, aiunt, excellentibus viris imperium bonis moribus componere conantibus qui ponitur obex, tollitur terrore usuque poenarum in reos. Antiqui reges supplicia manifestando regimen statuerunt. Ita ad litteram Confucianus hujus epigraphes commentarius.

4) Notat doctor Tching-tse non dici oportere ut poenis letalibus, sed punitione aliqua velut carcere (Yo), aliquave simili poena qua reus potius cogitur ad agnoscendas suas culpas et in poenitentiam adducitur. Hoc poenarum leviorum genus, si, ait, bene tractatur a perito magistratu, arcebit malos a magnis criminibus, ita ut multis annis sine caede ullius populum quiete regere possit.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Jubet ut compedibus vinctus teneatur. Pedes salvenat. Nullum est malum.

INTERPRETATIO.

Idem leviter reos injectis compedibus detinet, vexatis non tamen abscissis pedibus. Quid in hoc mali est?

Parva culpae castigatio, dicitur in appendice Confuciáno Hi-sse, est parens temperantiae a majoribus; ideo ea est e bono illius qui culpis illis levioribus ad improborum viam tendit. Quo minus ulterius incedat prohibendus est; ita Confucianus commentarius. Compedibus vinctus, integris tamen pedibus, ait Tching-tse, sentit se castigari et ideo metu percellitur, territusque non audet improbitatis viam ingredi. Sub familia Han-tchao, annotat Tchao-chi, caput aut pedes abscindere in poenam ejusdem criminis mos erat. Magis itaque ad litteram seu rigidius accipiebatur illo tempore quam hic accipitur locus is. Nam constat hic non de amputatione, sed de pedum colligatione agi; quandoquidem nulla est inter antiquos et recentiores libri Y-king interpretes in hoc dissensio. Confucius ita interpretatur textum: Id est, impedit quo minus incedat. Recentiorum sensum jam attulimus.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Carnem mordet. Delere nasum, nullum est erratum.

INTERPRETATIO.

Idem ictibus tanquam morsibus nunc fodit cutem usque ad vivam carnem. Hinc mox perveniet ad amputationem nasi, et quidem sine culpa, ut crescunt crimina.

Poenae et proportionem, ait interpres, comparationemque habent. Hanc in puniendo observare est tenere medium. Cujus symbolum est haec secunda linea loco suo media. Veraque, inquit Kong-in-ta, justitiae ratio in hoc medio sita est; punitio crescit per partes. Itaque quando dicitur: pervenire ad nasi deletionem, his significatur usus poenarum alte penetrantium, seu suppliciorum, quibus nullum est majus et quibus mulctandi sunt gravissimorum criminum rei, quales sunt, ait Tchingtse, violenti publicique latrones. Hoc genus hominum ita puniri oportet, ut altis doloribus conficiantur, et etiamsi usque ad nasi amputationem perveniretur, quaenam esset culpa? Cur vero nasi amputatio hic proponatur tanquam ultimus punitionis terminus, ut sonant verba ad litteram, non convenit inter illos interpretes. Sunt quibus ideo ita haberi posse videatur, quod nasus sit pars extrema, ita ut ultra nihil sit, in quod sit saeviendum. Summum ex deformato hunc in modum vultu dedecus existere opinantur nonnulli, ita ut ipsum dolorem praeterea faciat turpissimum. At cum nasi amputatio inter statu-

tas a lege Sinica criminibus poenas non reperiatur, quidni dixerimus hoc supplicium prae caeteris odiosum intentari, quod esset barbarorum. Nam in Chou-king libroque Tcheou-chou authentico ad Ou-ouang imprimis pertinente, ubi agitur de poenis reorum rite constituendis, ita legitur: barbari dicti Miao-sse utuntur suppliciis justo immitioribus quae barbaros decent; acerbas quinque poenalium amputationum species complectuntur. Illorum regula est occidere pro facinore quod non est verum crimen; ob initium aliquod depravationis amputant nasum, aures abscindunt etc. At, inquiunt, in punitione ipsa debet admisceri severitati quaedam benignitas, composito saltem ad pietatem vultu, ita ut molle supra durum appareat, ait Confucius.

Alii ita hoc epiphonema interpretantur, ut qui medium in criminum vindicta tenere apprime scit, ei suam agendi rationem omnibus probari tam facile sit, quam sapere solet caro tenera pellis delicatae quando mollitur. Verum quid hoc ad nasi amputationem?. ad hoc vel nihil illi respondent dissimulata difficultate, vel redeunt ad primam interpretationem, mutatis tantisper aliorum loquendi formulis.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Carnem ad solem exsiccatam mordet. Venenum reperit, parvus est poenitendi locus. Nullum est malum aut erratum.

INTERPRETATIO.

Duplicem hic quoque reperire est apud interpretes explicationem textus obscuri. Magis vero simili

atque communi congruit haec interpretatio, quae ipsa verba et fere totidem reddit:

Nihil habere comedendum nisi aliquid carnis siccae daputnque saporis pessimi veneno nempe simillis, est dolendum quidem, at non ita multum, nec in eo tunc quidquam est culpae. Reum inedia macerare, seu cibis nec copiosis nec sapidis tenuiter alere, dum est in carcere et de genere criminis poenaeque deliberationes habentur, mos est Sinarum, ut caeterarum gentium, qui non fuit hactenus reprehensus, etiamsi sit cum aliquo dolore conjunctus. Reo enim tunc est poenitendi tempus, durisque paullatim assuescendi, seu, ut nostrum quoque adagium fert, vescendi pane angoris, comedendum pyrum anginam creans, carnem rabidae vaccae etc.

Altera explicatio petitur ex significatione tertiae hujus lineae. Est illa, aiunt, extra medium; exhibetque punitiones nec suo tempore nec ab eo qui debuit, susceptas. Illae populo non probantur, nec minus ingratae sunt quam carnes durae difficilesque digeri, saporis pessimi utpote veneno similis. Verum in hac explicatione non ita feliciter redditur sensus istius phrasis: est parvus poenitendi locus. Quid enim durius ac magis reprehendendum, quam puniri aliquem nec a quo, nec quando oportet?

EPIPHONEMA QUARTUM.

Reorum cornua mordet. Sagittam auream possidet. In laboriosis debet esse soliditas. Hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Eidem criminum vindici . . . . illi multa sunt digerenda, non minus dura quam caro morlicina ossaque. Sit idem ut sagitta aurea nec flexibilis nec debilis. In difficultatibus sit constans, inde bonum laudem percipiet.

Tribus illis prioribus articulis actum est de punitionum genere; hic jam agitur de dotibus illius qui punit.

Haec quarta linea, aiunt glossa et Tchingtse, proxima est quintae principis sedem exhibenti, et supponit pro praetore similique legitimo criminum vindice, cui potestas et facultas est superandi negotiorum obstacula illaque tollendi gravibus etiam punitionibus. Dicitur similis aureae sagittae, aureae, quod debeat esse firmus ut aurum, sagittae, quod recta ferri debeat ad scopum, ut sagitta dextera vibrata. Hunc ferit, sed sine errore ferit. Quam rectus est, de Se ministro Yn exclamat Confucius, quam rectus est! Similis est sagittae. Licet autem laboriosum sit illi aequitatis amanti criminumque justo vindici, quod nostro etiam adagio de ingratis et molestis negotiis dicitur: rodenda habere ossa, nihilominus sua animi firmitate et rectitudine illa dissolvet; inde ergo bonum. At unde haec sagittae comparatio petitur et ad hanc de judice reorum sententiam adducitur? Ex ritu, ait glossa, libri Tcheou-li prae-

scripto praetori a principe Ou-ouang aliisque ex eadem familia Tcheou constitui solito, quo sedens pro tribunali habere debet assidentes aut adstantes ministros arcu armatos et sagittam in aureo cingulo etc.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Siccatum carnem mordet. Flavum aurum possidet. Si sit periculosa soliditas, nullum est malum.

INTERPRETATIO.

Supremo criminum vindici ... illi etsi uti suppliciis non minus insipidum sit quam vesci carne exsucca, utendum tamen est. In utendo et ipse teneat auream mediocritatem quam color auri flavus inter colores, ait glossa, medius exprimit, et si in utendo est constantiae culvis metuendae, nullum erit malum.

Non solum communis glossa omnium manibus trita, sed etiam totum interpretum vulgus flavi nomine intelligunt medium, quod flavus color sit velut medius inter colores primigenios et quod his medium in poenis statuendis imperatori ipsi suprema licet potestate coelitus donato ante alia observandum demonstrari velint. Quin et potestatis abusum tanquam maximum in rempublicam peccatum etiam quam plerique nostrorum acrius insectantur. Imperator, ait Mencius de imperatore Tcheou deturbato a Ou-ouang, immisericors si pietatis sensum exuat, dicitur imperii vastator, nec jam censetur imperator. Bonus imperator debet, aiunt, esse similis legislatori aequissimo Chun, cujus tanta

erat benignitas, ut licet aquis diluvii refraenandis incredibili diligentia et successu felicissimo incumberet, si tamen forte quis immersus perierat, ipse dolens aiebat: ille culpa mea periit.

Nec solum in poenarum genere mediocritatem servandam docent, sed etiam in numero; nempe jubent, ut paucae sint et paucis quantum fieri potest infligantur. Tonante siquidem coelo pauca decidunt, licet tota tremefiat regio. Imperatores etiam quorum tremenda est in reos majestas ac potestas, ad quos ex antiquo instituto referuntur capitales tribunalium omnium sententiae, debent jubere eas interdum retractari ut locum veniae invenire possint. Plus quam mille e damnatis ita salvos factos fuisse a Tin-tsong narrant. Atque haec omnia Seneca noster eadem fulminis similitudine breviusque meo judicio explicat: ut fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu, sic animadversiones magnarum potestatum terreant latius quam noceant.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Tabulatum collare (quod jam vocatur Canga, in Cange) *induit. Vulnerat aures. Hoc malum est.*

INTERPRETATIO.

Idem ... caput ipsum insertis collo ponderosis tabulis torquet, auribus insuper amputatis deformat. Quid tristius?

Malitia in dies crescens, inquit Confucius in appendice ad Y-king, non debet occultari, nec ulla ve-

nia digna est. Addit interpres Tching-tse haec referens, multiplicanda sunt supplicia in capite, licet dignitate praecipuum sit hominis membrum, quod dicitur in textu, tabulis ligneis suo velut motu privari primum, mox etiam auribus, duplici scilicet plexum supplicio, sed tamen merito. Qui enim peccata peccatis accumulat, multiplici poena dignus est. At qui ipsos criminum plecti solitorum limites praetergreditur, poenas meretur non communes, quales sunt illae barbarorum populorum, amputatio nasi, aurium, quas supra ex Chou-king delibavimus.

ADNOTATIONES.

Li-chi-ko summam totius capitis hujus ita exponit. Quinta linea refert principem cujus est potestas puniendi seu vindicandi leges violatas publicis criminibus. Quarta linea praetorem exercendae huic vindictae praescripto tempore modoque praepositum. Tertia, secunda usque ad primam spectans ipsas poenas de reis sumptas. Suo autem judicio hanc summam approbat imperator in commentariis novis regio nomine sumptuque editis.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM. Pi

Pi  mons . . . . . Ken.

ignis . . . . . Li.

EPIGRAPHE.

Pi penetrat. In loco ad quem ivit, parva est convenientia.

INTERPRETATIO.

Pi id est quod ornamento est; ut exterius pulchrum, ut corpori decorum debet niti inferiore fundamento, seu penetrare, neo ex loco, quo quis ornatus it, sperari potest magnum ad res emolumentum.

Res omnes, inquiunt Tching-tse, et Ouan-chi-chin, suum habent decus, at illis ita insitum est ut possit durare in posterum. Si quis intus suaeque domi vere habet unde sufficiat ornamentis externis, addat nova antiquis si convenit. . . . . At si non ita est, nihil est igitur sinceri solidique . . . sine fundamento nihil erigi potest. Ornatus et decori, addit Tchao-ting-ouen, non eadem est erga omnes ratio, alia erga privatum, alia erga personam publicam. In hoc discrimine stat vera doctrina. Sed nec ornamenta illa externa ad rem faciunt, si non sunt ab interiore virtutis radice; personae compositio tunc constans rectaque est, si ab animo composito rectoque proficiscitur. Vera siquidem virtus in intimo cujusque abdita est.

Idem habes sub imagine hac ignis infra montem. Monte hoc nihil speciosius, in quo virent herbae, arbores frondibus fructibusque luxuriant simul velut in unum locum collectae, sed tamen proprio cujusque naturae colore cultuque distinctae. Undene mons ille ferax tot venustatum multiplicis decoris? ab igne profecto qui infra est. Quibus verbis videntur praeterea alludere ad veterem suae gentis morem qua propria fiebant cuicumque hominum conditioni vestimenta et ornamenta, ita ut ex eorum distinctione majoris minorisque honoris discrimen aestimari statim posset. Coeli exemplum adducit commentarius Confucianus hujus epigraphes. Coelum habet suum decus a luce velut infinita. Homo habet et suum, sed suos intra fines. Decus vero coeli imprimis existit ex aequabili temporum mutatione quae coelestem speciem intuenti observatur; decus hominis ex apta sui compositione qua immutandis etiam aliorum moribus prodesse solet. Verum cum decus verum debeat sincero niti, seu ex interiore animo prodire forasque penetrare, ut docet epigraphe, inde concludunt isti philosophi non posse esse nisi nativum, non longius adscitum, non minutius exquisitum, nec novitatis affectatione nec magnificentiae ostentatione clamosum. Ad quod probandum inter alia affertur illud de Ouen-ouang ex Chi-king: o quam sincera erat ejus virtus! non illa foris ita resonabat.

ADNOTATIONES.

1) Ubi sublata sunt vitia, poenis scilicet intentatis de quibus actum est proximo emblemate 21. necesse est existere ex recta cujusque agendi ratione verum regni decus, ad quod pertinet hoc emblema 22, dictum Pi.

2) Confucius ait in commentario Siang: infra montes esse ignem, hoc exprimit figura Pi, notatque

sapientem non audere omnia vitia extinguere. Scilicet, ut docet in Lun-ju, aegrum corporis membrum exasperes potius quam medearis. Hic vero utitur metaphora ignis, qui oppressus terra, velut montibus subjectus non potest omnino extingui; ita ut cavendum sit extinguere forte volenti, ne sollicitando movendoque repetito conatu magis accendat montesque dejiciat quibus obruatur. Toleranda sunt similia mala, quae tolli non possunt, mitigari tamen posse, cautione scilicet assiduaque vigilum cura.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Digitos pedum concinnat. Relicto curru pedibus incedit.

INTERPRETATIO.

Iniens virtutis viam, similis est homini pedes adornanti, qui spreta currus commoditate, laboriose, pedibus scilicet, iter ingreditur.

Quem vero currum relinquit? illum, ait glossa, qui a recta via aberrat, qui pedibus incedit non titubans graditur, illius similitudo huc adducitur a principe Theou-kong, qui tam saepe inculcat, nihil boni stabilis, nisi neglectis desidiosae quietis commodis et sine laborioso conatu, effici posse tum in studio sapientiae quam profitebatur, tum in restitutione imperii ad antiquam laudem totiusque regiminis eximiam compositionem. Deserit, inquit Tching-tse, facilia et sequitur difficilia, sicut qui relinquit currum, in quo quietus sedebat, sequè dat in viam pedes, licet id non sit parum laboriosum, satis habens certo assequi quo ita tendit. Sapiens minister qui vult praeclaram instaurare viam, rectum tenere debet, abstinere

proinde ab omnibus, quae a recto aequove aberrant. Si videt se jam non procedere secure, se aequo in itinere titubare, hoc superest ut descendat de curru et securus ac pedes incedat, laborem et quod solidum est praeponens speciosо, quia tunc non expedit, ait Confucius in hunc locum [1]), sedere in curru justitiae justum siquidem, at ab eo gradu descendere quam virtutem deserere. Vir adultae virtutis ne quidem amat vivere, si in eo statu ubi est, damno sit suae virtuti. Verum ita accidit, ut qui virtutis viam, ait Tching-tse, sequitur, multas habeat difficultates. Ideo haec via dicitur difficilis, laboriosa, sine gaudio et voluptate. Facilis e contra est ad vitium prolapsio. Perversitatis via vulgo teritur. Haec tamen deserenda est. Qui illam deserunt in tristitiam plerumque incidunt, sed hujus tristitiae finem excipit mundi cordis voluptas etc. Vincendo se ipsum, inquit Confucius, obtinetur cordis munditia. Nec ullus melior fovendae munditiae modus, docet Mencius, quam suis desideriis fraenum ponere, multis statim amputatis.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Barbam concinnat.

INTERPRETATIO.

Barbae vultus compositio decori imprimis est. Nam, ait interpres, est velut domina causa-

1) In comment. Siang.

que omnium decorum a qua res ornando corpori quaecunque adhibentur habent suum leporem et venustatem. Notant hanc lineam, quae medium locum occupat, innuere mediocritatem in ornando corpore tenendam, Neque enim in horum splendore aut inopia sitam esse virtutem vitiumque, idque aliunde judicandum. Contra si externae vesti consentiant dicta factaque, nihil jam relinquitur dubii. Si, ait Mencius, vestitus sis, ut erat crudelis princeps Hie, etiam ut ille loqueris, ut ille agis, non dubium quin sis alter Hie. Aliis videtur aliqua similitudo inter istam secundam lineam Yn quae pendere dicitur a tertia Yang naturae efficacis et inter motum barbae a maxilla; ita ut significatio symboli spectet ad decus ex obedientia erga superiorem a quo motum accipit inferior; et ita explicant illud Confuciani commentarii barbam componit, id est, cum superioribus se elevat vel ad superiora agit. Verum haec explicatio nonnihil detorta est ut attendenti patet. Confucii dictum potius alludit vel ad manum barbam componentis quae supra vultum agit, eique hoc modo decoris aliquid addit, quae videtur explicatio aliquorum criticorum, vel ad aptam oris vultusque compositionem quae auctoritatis, ait alibi Confucius, est vera conciliatrix.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Veluti concinnatus, veluti compositus, si semper sit solidum, bonum.

INTERPRETATIO.

Constans et scita corporis totiusque externi ha-

bitus compositio prodest quidem, sed difficile diuturna est, inquit Tching-tse; disceditur a decoro illo quo animus motibus nondum compositus plerumque tegitur, praesertim in repentinis et inexspectatis occasionibus; quam observationem Confucius affert tanquam certissimam pernoscendorum hominum artem, eandemque totidem ferme verbis proponit Mencius. Erumpente tunc ob res etiam leves ira vel laetitia, inordinatio in vultu ipso prodit et sic repente cor sublata larva patefit.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Velut ornatus, velut canitie obsitus, velut albus equus volans. Non est hostis. Conjugium sibi sumit.

INTERPRETATIO.

Sapiens similis est homini cui ornamento sunt cani. Ascendit ille album equum citissimum, ita ut nullus hostis nisi frustra eum morari contendat, nullus impediat quo minus intentum tandem possideat.

Observant duo clari interpretes Yu et Leang, quae hoc quartum epiphonema habet referri ad primum. In illo dicitur relinquendum currum, in hoc autem ascendendum equum, et quidem velocissimum. Prima vero linea ex aliis quoque interpretibus probata est sapientiam quaerenti similis. Ille itaque grandaevus, qui jam incanuit, belle exhibet sapientem in sapientiae studio ita consenescentem, ut, docet Confucius, non magni faciat id quod jam accumulatum est virtutis ac meriti, sed in dies incitatius satagat. Quod exi-

mium magistri documentum aptiore aut saltem clariore similitudine, quam sit haec quarti epiphonematis, Mencius exponit: in virtutis palaestra non tam initium quam finis spectandus est. Inchoatum opus inutile sit, nisi perficiatur. Virtutis studiosus similis est fossori putei; si post effossam septuaginta duos ad pedes usque humum, licet nulla adhuc aqua scaturiat, extemplo ab opere absistit, ipsius quantus cumque labor in irritum incidit.

Non ita opus restitutionis et reformationis imperii infectum relictum fuit a Ouen-ouang et Ou-ouang. Incepisse tantis cum periculis et laboribus laudabile fuit, at coepta perfecisse utriusque rarae felicitati aeque ac virtuti adscribendum exclamat Confucius, uti supra retulimus.

Addemus tantum doctoris Yn-chi observationem. Sub familia Chang seu Yn, quae scilicet a Ouen-ouang destructa fuit, album colorem fuisse illius proprium, adeoque usurpari solitum in vexillis caeterisque insignibus. Ideo itaque in textu dicitur color albus, quod familiae regiae tunc concidentis esset ille in usu ac pretio. Ou-ouang porro erat jam annorum 84, quando rerum potitus est. Nullus certe eum licet grandaevum seu canitie, ut loquitur textus, obsitum hostis remoratus est ad imperiale solium albis nempe familiae regnantis Yn equis currentem, quod biennio vix elapso obtinuit.

Interpres toties laudatus Tching-tse et communis glossae auctor totum hunc textum interpretantur de lineis explicantque. Quarta linea est symbolum principii physici Yn, ad primam quae est principii Yang propendet cum qua componi appetit. Sed enim interjacet tertia transitumque intercludit. Inde vano

enitendi desiderio velut canescit. Quod non advolet aegra est; frustra haec sunt. Tertia est Yang robustarum nempe virium, nec tamen hostis est quartae, licet talis habeatur. Si rogetur permittet illius cum prima conjunctionem, id est materiae terrestris seu principii Yn coitionem cum principio Yang seu materia coelesti qua simul remotis obicibus in natura operentur. Ad hoc enim unum recidit, ut non semel ex philosophis probavimus, physica tot per ambages explicatio epiphonematis omnium judicio vix et ne vix quidem clare intelligibilis atque adeo variis auctorum opinionibus et conjecturis jactata. Hanc tamen licet satis communem, quam, licet Europaeo lectori fastidiosam, exempli causa attuli, ut nec eum peregrina lateant et hoc interpretationis genus a Sinis non semel usurpatum cognosci possit, pro minus probabili habendam nemo inficiabitur. Neque enim quantumvis violente tracta satisfacit nec intento fini auctoris principis Tcheou-kong nec consensioni, quae est inter primi epiphonematis et hujus quarti sensum. Deseritur etiam sensus proprius verborum et quidem omnium, velut canitie obsitus, velut albus equus et volans etc. Quae prima explicatione a nobis allata commode utiliterque explicantur. Inde factum putem, ut illi ipsi interpretes quibus implicata haec per lineas physiologiae expositio occurrerat, dubii deinde nunc in hanc nunc in illam interpretationem inclinare variis in locis videantur. Clarissimus certe doctor Tchou-tse sibi non constat, quandoquidem diversas sententias sequitur in suis operibus, quod observatur in commentariis regiis.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Hortum concinnat. Panni serici nisi tantillum complicatum est. Erit locus poenitendi. In fine bonum.

INTERPRETATIO.

Similis est horto bene composito et ornata suppellectile parum instructo, fructus tamen non poenitendos in fine percipiet.

Princeps scilicet quem exhibet quinta haec linea Yn indole genioque debilis est, exigua regendi facultate praeditus supponitur, nec dignis rege dotibus nisi leviter ornatus ac aspersus. Cum non possit, concludit interpres, se custodire, imitetur istam quintam lineam Yn debilem quae auxilio sextae Yang superioris componi appetit ejusque utpote vere efficacis motus sequitur. Componi et ille velit ab aliquo sapiente sua negotia suo cum decore. Haec cum Tchingtse, alii non pauci interpretes ferè habent, quibus inspergunt varia ad probandum, juveni principi necesse, uti assidua sapientis eximiique viri opera, idque ipsi vere gloriosum ob famam scilicet rectae administrationis inde extituram.

EPHIPHONEMA SEXTUM.

Uniformiter concinnat. Nullum est erratum.

INTERPRETATIO.

Sibi totus decori est, nihil habet reprehendendum. Ministrum eximium numeris omnibus absolutum

a quo commissa regia potestas potius ornetur quam haec illum ornet a principe accersendum epiphonemate proximo dictum est; qualis ille esse debeat paucis describit Tcheou-kong, nempe non solum moribus, sed etiam externo corporis habitu omnique motu ita compositum ut ab honesto et decoro nulla in re aberret. Non hic agitur, inquit glossa, de pulchritudine splendoreque vestium sed de decore virtutis semper sincerae. Ex hoc decore splendidis ornamentis licet destituto lepor per omnes habitus externi partes gestusque diffunditur. Neque enim dici tunc potest sine pulchritudine, sed sine adscititia pulchritudine, cum decorum semper teneat.

ADNOTATIONES.

In hoc loco aliisque postea effingitur eximius imperii minister, sicut in aliis King ad varia loca; unde fit ut Sinae omnes censeant regulas boni regiminis morumque se in his King habere, nec aliud in his quaerendum. Qui haec callent populi magistri solique reipublicae administrandae pares habentur. Cum aliquando dictum fuisset a malevolis de aliquo famoso ministro et magno litterato eum quidem bene intelligere libros King, at non bene intelligere artem gubernandi, respondit ille, approbante imperatore, hoc ipsum est loqui pugnantia. Dicant enim illi ubinam habeant expressam melius rectam administrandi nostri imperii rationem. Sexcenti certe afferri possent scriptores qui omnes loquentes de libris King et de Y-king in genere affirmant relicta esse opera solum ad posteritatis institutionem, ad formandi populi mores, ad imperii bonum regimen, ad principes et imperatores erudiendos etc. ut patet ex encomiis Confucii, quod haec emendaverit et Y-king illustrarit.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM. Po.



EPIGRAPHE.

Po. Loco ad quem ivit nulla est convenientia.

INTERPRETATIO.

Po, ornamentis spoliari, loco deturbari, labefactari quando incipiunt omnia, quo in loco potestne esse emolumentum?

Sub imagine eorum, inquit glossa, quae adulto autumno nona luna contingunt quando principium Yn suo jam frigore invaluit ac dominatur, fruges scilicet caeteraque corrumpens. Principium vero Yang nobile et potens extincto illius velut calore ita decrevit, ut omnis rerum generatio sublata sit, graphice exprimitur parvus seu angusto pravoque animo vir mutatis imperii rebus ita invalescens, ut magno (seu sapienti) locus non detur, qui ideo jacere et cessare necesse habet. Hanc eandem interpretationem affert interpretum celeberrimus Tching-tse quando, notat, praevalet parvus adversus sapientem regnatque, tunc nihil prodest ire, redire. Cedendum est tempori. Ita et caeteri interpretes.

ADNOTATIONES.

1) Emarcescit denique quidquid venustum et speciosum

est. Decus illud omne figurae praecedentis tandem ita elabitur ut omnia maneant suis ornamentis spoliata, collapsa, labefacta, quam mutationem demonstrat hoc emblema 23, ideo recte cum 22 connexum. Ita Confucius, ita interpretes de causis ordinis figurarum.

2) Emblema P o, ait Confucius, exhibet innixum terrae montem, sed arboribus, herbis atque omni ornamentorum genere destitutum, sterilem, incultum, squallidum. Sua tamen firmitate et magnitudine facit, ut qui ad radicem veniunt, quietam ac stabilem sedem collocare possint; qui supra ascendunt, non levi sed crasso solo solide insistant.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Deturbatio pervenit ad pedes lecti. Solidita-tem destruit. Hoc pessimum.

INTERPRETATIO.

Quando dejiciuntur pedes lecti, quidquid ille habet solidi hac labe vitiatur.

Quando ima pars seu radix corrumpi coepit a principio Y n seu ab illius autumnali frigore, fruges caeteraque id genus debilitari necesse est. Deturbari pedem lecti, ait glossa communis, est ab ima parte inchoari corruptionem. Improbi quando dominantur eo tendere solent, ut sapientes qui sunt velut pedes solii regii, ejiciantur, vel, ut utar Confucii verbis in hunc locum, volunt facere ut a populo extinguantur, uti conati fuerunt tot annos regnante Tcheou, non paucis multiplici eorum arte sublatis crudeliter, aliis ut Ouen-ouang, Ou-ouang vix impias manus evadentibus. Quae cum a truculenta pellice Ta-kia imprimis proficisci crederentur, nihil

tunc omissum fuit ut discordiae inter imperatorem et Amasiam illam sererentur quibus conjunctio illa dissolveretur. Spes erat, ut jam ex historicis relatum est, ex dissensione illa rediturum ad frugem principem, omnibus naturae dotibus non mediocriter instructum. Deturbandi itaque velut pedes lecti, quo noxius reipublicae utriusque conjugis amor continebatur. At cum enucleata, ac sigillatim distincta rerum domesticarum principumque adversantium agendi rationis historia non habeatur, vix ac ne vix quidem hoc aliaque epiphonemata ita explicari possunt, ut, quod necesse esset ad eorum genuinam explicationem, eorum allusiones intelligantur. Divertunt itaque plerique omnes interpretes aut ad physicam expositionem qualem retulimus, aut ad moralia quae etiam obiter indicavimus. Non tamen ingratum fuerit haec observasse, ut quid in hac interpretatione desideretur adhuc supersitque divinandum, lectorem non fugiat.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Deturbatio pervenit ad tabulatum lecti, soliditatem destruit. Hoc pessimum.

INTERPRETATIO.

Si disjectis jam lecti pedibus, insuper dejicitur medium inter fulcra tabulatum, soliditatis maximum detrimentum est.

Ita utrumque textum conjungit celeber interpres Yu-chi-yen: corruptio frugum semel a radice inchoata, ait Tching-tse, ad superiora pervenit, et extra medium crescens extinguit

quidquid illis inest: solidi. Sapientiae studium non minus minuetur inter crescentes magis et magis improbitatis artes; non tamen extinguitur. Huc usque, ait Confucius in commentario, non pervenit deturbatio, atque adeo mox mutata vice nulla fit.

Discordia pariter quae ab imo pectore prodit brevi etiam ultra medium crescit fitque immodica, nisi forte sit inter eos quorum ira amoris redingratio est, ut saepe accidit imperatori Tcheou et suae reginae Ta-kia. At cum nunquam dissensio potuerit ad summum adduci, ideo spes ex repetito non semel alienationis initio, ut supra dictum est, bono tanquam ex omine conceptae semper ad nihilum tandem reciderunt.

Nullum est autem, ait Mencius, pejus praesagium quam excita domi discordia et mutua alienatio. At in illa temporum calamitate dissidium ut votis expetebatur, ita in bonum praesagium accipiebatur; ita ut conjunctionis signa, quae rerum secundarum olim, tum publicae cladis insignia essent.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Licet sit deturbatio, nullus est error.

INTERPRETATIO.

Labefactari res necesse est, nullus proinde error.

Corruptionis generationisque vices in natura suo quaeque tempore constanter et sine errore succedunt; ita communis interpretatio physiologica, moralis illi non absimilis est. Suas etiam habet vices sapientia, nunc velut sub pedes deturbata et infimo loco jacens, mox in sublimi conspicua. Turba illa, ait Tching-

tse, quinque linearum Yn refert parvos, seu improbos ad sapientis perniciem, dum dominantur, paratos; nèc quicquam, nihil quippe reperire est virtute potentius. Huc ideo pertinet illud Confucii in hunc locum: licet perturbatio sit, nullus error, haec scilicet necessaria fuit ad mutandum mundum Sinicum seu imperium Sinicum, scilicet virtute victrice principis Ouen-ouang.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Deturbatio ex lecto pervenit ad carnis pellem. Hoc pessimum.

INTERPRETATIO.

Si lecti labes transit ad ipsam jacentis pellem, infelix prorsus casus est.

Verum infortunium, ait Confucius in haec verba, jam prope est damnum scilicet corporis. Textus non iterum dicit labefactari destruique lecti soliditatem, quod est quid extrinsecum, sed de vero infortunio jam loquitur quo corpus interimi potest. Ita commentarius communis et doctor Tching-tse explicant textum. Corruptio frugum rerumque id genus ad vitam necessariarum quae exeunte autumno adultaque jam hyeme fit a principii Yn nativo frigore, si nimia est et praescriptos limites excedit, hominum quoque corporibus nocet. Ita etiam iidem de sensu textus philosophantur: saeviorem et in sapientum corpora pestem ex intima aula illo tempore prodiisse, ut narrant historici.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Series piscium est viri palatii beneficium. Nihil est quod non conveniat.

INTERPRETATIO.

Gratia custodis regiae domus ac piscinae (non vero conditione tempestatis omnia gelu deterentis) fit ut copiam piscium habeamus. Quid non potest sperari?

Dum rigent omnia hoc habere beneficium est. Habere vero e piscina horti regii majus aliquid est; nam vix alibi reperias. Id vero pro beneficio summo in Vasallum principem ut Ou-ouang haberi poterat, donari piscibus e piscina regia, temporibus imperatoris Tcheou pessimi scilicet principis erga optimos quosque et ob septi regii amplitudinem nimiam ac severiorem custodiam odiosi, ut suae reginae Ta-kia crudeli avaritiae serviret. Quod totum explicari clarius potest responsione Mencii ad regulum Suen-ouang, de hortis et vivariis antiquorum regum audivisse videor mihi, inquit regulus, principis Ouen-ouang septum continuisse septuaginta stadia (Sinica) Li; meum habet tantum in circuitu quadraginta et tamen populo habetur nimis magnum. Ad quae Mencius respondet: in primum populus poterat ingredi ad herbas colligendas, ad phasianos capiendos; principi et populo tantum non commune erat. Hinc hoc Ouen-ouang principis septum angustius etiam populo videbatur. Tui vero ingressus tam severe interdictus est, ut si quis laeserit aliquem ramosis cornibus cer-

vum non aliter puniatur, quam si maetet aut perfodiat hominem. Ex his itaque similium principum septis si quid mittebatur ad aliquem magnatum, magni doni loco erat, sed dominante Tcheou ejusque improba aula rarissimum et dignum notari. Copiam illam, ait Tching-tse, refert turma linearum Yn hujus figurae. Sed hae superioris lineae Yang natura sua efficacis praesidio omnino indigent, ut dum motus ubique cessare videtur sui ipsae motus incrementa ad productionem iterandam necessaria accipiant. Nam, observat glossa, si motus ille esset omnino extinctus, non possent postea ad ullam utique generationem concurrere. Ideo, aiunt, adducitur comparatio viri palatii a quo alimenta quae conglaciatis invalescente principio Yn, seu frigore, lacubus rarissima sunt sufficiuntur. Qua beneficentia majorem meliorum spem injiciunt, quemadmodum a principii Yang efficacitate seu calore majora etiam brumalibus damnis bona sperari solent.

At unde similitudo piscium desumpta est? inquiet aliquis. A natura piscium, respondent aliqui, quia sunt homogenei cum principio Yn frigido, debili, vili. A comparatione quadam, aiunt alii, inter seriem piscium quam textus expresse commemorat et inter turmam linearum Yn, quam figura oculis exhibet. Verosimilius respondebitur, si dicatur alludi ad odam Ling-tai libri canonici Chi-king, ubi non solum fit mentio speculae a Ouen-ouang in horto regio erectae, sed etiam piscinae limpidae. Ad cujus similitudinem effossum erat inter hortensia septa imperatoris Tcheou multo spaciosius stagnum, pisciumque omni genere abundans, e quo prodierit series piscium memorata. Porro juxta interpretes iste reditus principii Yang seu tempestatis melioris refert quoque redi-

tum studii sapientiae ad pristinum splendorem ab improbitatis et ignorantiae tyrannide assurgentis.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Non manducantur magni fructus. Sapiens habet currum. Desipiens deturbat domum.

INTERPRETATIO.

Collecta vis frugum non absumitur. Sapiens ita providet, ut semper vehendas habeat. Insipiens incautus villam illis exutam habet.

Sensus epiphonematis sola interpretatione manifestus est. Apparet, ait glossa, conditionis discrimen quod inter sapientem et insipientem intercedit. Frigori calor tantum interest. Calor seu principium Yang est valens, semper activum, frugiferum; frigus damnosum, iners. Vera virtus non est sterilis, inquit Mencius, nec sine actione. Par est excitandis recti regiminis bonis. Falsa acaeptis brevi excidit, ad detrimentum potius quam ad emolumentum publicum e proprio torpore excitata. Ita interpretes in unum sensum collecti nec pauci sentiunt.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM. Fou vel Fo.



terra . . . . . Koen.

Fou



tonitru . . . . . Chin.

EPIGRAPHE.

Penetrat intrando et exeundo; nullum habet morbum; amici veniunt, nullum est malum. Illius lex rursus redit; septem diebus illinc rursus venit vel redit; in loco, ad quem ivit, est convenientia.

INTERPRETATIO.

Insitae constantiae est quod modo lateat, modo prodeat, non ita fit vitio naturae, sed certa temporum vicissitudine jacendi rursusque vigendi, nova scilicet accessione amicarum virium. Utut sit, nihil fit nisi bonum.

Constanti ordine naturae, inquit Tchingtse, principii Yang activi spiritus seu calor redit tandem suo statuto tempore ad generanda inferiora. Sensim quidem ascendit jugiter copioseque alit res omnes. Ita et sapientis doctrina suo quoque tempore reflorescit. Quo lentius, eo latius pervadit ad instructionem totius imperii.

Sicut itaque in praecedenti emblemate insipiens principii Yn spiritui seu frigori ita comparatur, ut leges physiologiae simul cum ethicae praeceptis tradantur, ita hoc capite sapientis doctrinae cremenia et

principii generativi accessiones una perstringuntur. Generationis initio illius vis est valde tenuis, ideo non potest statim vincere copiosum Yn, sive frigus, quod invaluit. Sed quandoquidem producendae sunt res omnes, novae ei fieri debent virium accessiones. Augeri scilicet necesse est caloris gradus, tanquam amicas debitasque ejus naturae vires, qua ratione fit, ut non erret seu non deficiat. Doctrina etiam sapientis reflorescit quidem, sed sub initium exiliter, nec ita vegete ut possit vincere turbam illam insipientum cujus dominatio invaluit. Qualis scilicet fuit illa, de qua dictum est supra, sceleratorum aulicorum cohors, quae regnante Tcheou imperabat. Sed ut coepit illa revirescere, sapientum alii post alios, quos nimirum sapientiae studium mutuo amicos fecit, simul concurrunt. Tunc pars ita adversus insipientes invalescit ut vincat, sicut accidit illo tempore. Nam sapientissimis Ouen-ouang et Ou-ouang sese tanto numero adjunxere magnatum ac principum sapientissimi quique, ut nullo fere negotio insipientum impotens dominatus extinctus fuerit.

Quo autem tempore principium Yang ascendere seu redire, Sinice Fou, incipiat, explicat in commentario Siang hujus loci Confucius. Antiqui reges solstitii die jubebant claudi domus vectigales quae erant in faucibus adituque ditionum suarum. Mercimonium non permittebatur. Subsistebant visitatores provinciarum. Erat proinde festivitas illa antiqua non multum absimilis festivitati anni novi quae etiamnum clausis primum tribunalibus forensibusque dimissis, deinde tres dies ante et post ritibus variis ac magistratuum insignibus vestibus hac nostra etiam aetate solemnis est.

Tunc, inquit glossa, est aliquod ab eo principio Yang initium generationis adeoque illius reditus. Inde est quod undecima luna vocatur etiam Fou a reversione tum solis qui ob summum calorem lucemque vocatur Ta-yang, magnum Yang, tum vitalis caloris ad generationem necessarii, seu, ut loquuntur quoque Sinae, spiritus principii Yang-ki qui materiae coelestis revolutae vis ex supra dictis latine nominari potest. Undecima autem luna etiam nunc solstitialis est, cum sit lege calendarii statutum, ut ea dicatur undecima, in qua solstitium hibernum incidere veri motus supputatio demonstraverit. Nunc quidem illo die non prohibentur portoria, mercatorum commeatus, nundinae, sed tamen imperator solemni ritu totiusque imperii nomine quotannis supremo imperatori sacrificat. Tres saltem dies tribunalia vacant, abstinentia a multis observatur, etiam intra regium palatium ab ipsomet imperatore. Nec deest splendidus apparatus pompaque sat solemnis, ut merito dici possit festiva illa et solemnis dies, ne antiquitatis mori celeberrimo hactenus multum fuisse detractum videatur.

ADNOTATIONES.

1) Restitutionis (Sinice Fou rursus) haec, inquit interpres post Confucium, imagini Po deturbationis subditur. Decima luna Po principii Yn vis corrumpendo res pervenit ad summum, nempe tempore solstitii hyemalis, in sequentem undecimam semper incidentis, sed mox principium Yang tantillum incipit generare in terrae sinu. Ideo dicitur, Fou, rursus venire, redire.

2) Non est dubium quin vox Sinica Tchi commentarii Confuciani pro solstitio accipienda sit. Nam in calendario tum antiquo tum novo nominatur eodem nomine et caractere solstitium tum hibernum tum aestivum. Tchi-ji est etiam ad litteram summitatis dies, ut vertere Tartari. Tchi est

nempe summus perventionis terminus, quo sensu a nostris antiquis astronomis solstitium nominatur summa absis.

3) Quinta luna, ait Tching-tse, principii Yang vis incipit concidere, principium Yn, Fou, redit. Fiunt septem mutationes dum Yn summum incrementum sensim attingit; tum vero rursus Fou, ingreditur Yang. Quae vera in Sinico systemate sunt. Nam in quintam lunam debet incidere solstitium aestivum a quo sol dictus magnum Yang incipit retrocedere ad terminum usque hiberni solstitii undecimae lunae assignati. Utraque quinta et undecima numeratur et ideo dicitur intercedere septem mutationes, ut per se patet.

4) Hactenus de solstitio solis Ta-yang ejusque reditu textum esse intelligendum ex ipso Confucio et aliis interpretibus probatum est. Nam principii Yang reversio, ait Tching-tse cum aliis, existit ex coeli revolutione, seu potius, cum sol sit ipse magnum Yang, illum cum coelo revolvi nihil aliud est, quam reverti principium seu materiae coelestis praecipuam vim et conglobationem majorem. Illud jam quaeri potest cur hic fiat mentio septem dierum, et cur a nonnullis interpretibus septem dies dicantur esse septem Yang vel septem Yn, ut loquitur Tchou-se, celeberrimus etiam interpres. Jam, respondimus septem dies alludere ad festivitatem illam solstitialem, cujus meminit Confucianus commentarius, suo tempore statuto redeuntem. Septem dies autem quae accipiuntur pro septem Yang a doctore Tchou-tse aliisque non paucis, sunt illae nempe septem dies quae post tres annos nominari possunt Yang, et notari per ejus symbolum, absoluta revolutione 64 figurarum tabulae Fohianae. Annus lunaris magnus embolimicus tredecim lunarum habet dies 384 quae summa est par numero linearum totius tabulae, cum 64 figurae quarum quaelibet constat sex lineis efficiant etiam summam eandem 384 linearum. Si itaque intelligatur cuilibet senario dierum anni embolimici assignari una figura, seu unus senarius linearum, v. g. 24ª haec ipsa figura  ita ut senarii prima dies denominetur a prima linea figurae, quae est hic ——— Yang, secunda dies a secunda figurae linea, quae est —— —— Yn etc., fiet ut omnes anni dies nominari pos-

sint vel Yang vel Yn, et notari lineis ———, — —, pro diversitate figurarum cuilibet dierum senario in anno embolimico correspondentium, quod totum patet adhuc clarius, si 64 illae figurae sex lineis constantes (ut est factum a recentioribus Sinis libri Y-king editoribus) in circulum disponantur [1]). Prima figura et secunda, quas supra explicuimus Kien et Koen, purum Yang et purum Yn in circulo ex diametro sibi respondere supponuntur, ita ut alteri punctum australe, alteri boreale conveniat. Nam Yang calori, Yn frigori congruit. A boreali itaque puncto dispositis per dierum senarios aliis figuris, v. g. Po et Pi pervenitur ad trigesimam secundam constantem sex lineis quae cum decursis faciunt 192 seu semisummam tum linearum tabulae Fohianae, tum dierum anni embolimici. Illa 32 est Heou mixta una linea Yn; hanc sequitur figura Kien, nullis lineis Yn, sed sex lineis Yang pure constans, estque illa sita in solstitio aestivo. Sex itaque dies solstitio vicinae, utpote designatae per sex lineas figurae Kien nominari recte possunt Yang. Potest et quae post sex numeratur septima dies ita quoque denominari, cum illi correspondeat linea figurae succedentis prima ex sex lineis quas illa complectitur. Figura Heou, inquit interpres, designat principium Yang jam decrescere. Quonam vero indicio? nisi quia illa jam non constat ut praecedens Kien sex lineis Yang, sed ex sex unam habet Yn atque adeo minus habet ex Yang etc. Idem est philosophandi modus de puncto opposito ad quod progressio fit ex solstitii aestivi puncto, nihil ut opus sit eadem mutatis solum nominibus repetere. Septem diebus illinc rursus redit, quando scilicet revolutio dierum annua lineis Yn et Yang distincta dat septem dies consequentes Yang, quod accidit in solstitio anni embolimici, eadem revolutio dat septem dies Yn in alio solstitio. Istum porro concursum septem dierum quae juxta revolutionem unam figurarum tabulae Fohianae nominentur Yang et notentur linea continua non nisi anno embolimico redire evidens est. Cum necesse sit dierum summam illam annuam aequalem fieri numero omnium linearum qui est determinatus scilicet 384, illa itaque solstitialis dies cum sequentibus sex Yang potuit esse (anno embolimico

1) vid. tab. nostram IV. fig. 1.

recurrente) magis solemnis, cum regulorum ac magnorum vasallorum multi quovis triennio ad aulam venire tenerentur. Si quis autem (notat Mencius) statuto tempore aulam imperatoris non veniebat ad reddendam sui muneris et sui regni rationem, prima vice uno dignitatis gradu minebatur, v. g. ex Kong fiebat Heou, (ex Marchione, Comes). Secunda vice parte annui reditus ac regni mulctabatur. Tertia exercitus contra ipsum mittebatur. De his iterum tertia parte disseretur.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Non remotus rursus redit. Non pervenit ad poenitendi locum. Magnum est bonum.

INTERPRETATIO.

Non multum distabat quando revocari coepit. Summa nunquam fuit illius attritio; inde causa boni.

Quando, aiunt interpretes, incipit generare natura Yang, uti exprimitur hac prima linea, ipsius vim et efficaciam quae videbatur velut amissa, non longe abfuisse a terra credendum est. Nam nunquam illa extinguitur.

Idem virtuti accidit, absconditur, non tollitur. Nunquam pervenit ad statum vere omnino miserum ac summe poenitendum. Sapiens, inquit Confucius, nunquam non est aequanimis, tranquillus. Si exspecto virtutem, haec ad me venit, foris quaerenda non est. Quid opus est, addit Mencius, illam procul quaerere, cum sit prope nos? Quid juvat usum illius seu opus in arduis collocare, cum sit in facillimis et quotidianis situm?

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Praeclaro modo rursum redit. Hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Mirum. Suam relegit viam. Et bonum quoque est.

Redeunte principii Yang spiritu seu calore; quod dominatum hactenus fuerat principii Yn frigus, suos item per gradus decrescit, et, quod mirum est, sua illa reversione sive potius decremento juvat principium Yang generans, sequiturque dehinc illi subjectum. Improbitas etiam confert ad incrementum splendoremque virtutis. Quisquis amat, ait Confucius, potestne non exerceri duris; ita discitur imprimis benignitas et patientia. Nihil opus est, inquit Tchou-se in hunc locum, vires suas tunc frangere. Scientia illa e re efflorescit, scilicet ipsa rei exercitatione. Modus ille mirus seu praeclarus est, quia depressione facit benignum et patientem. Ita Confucianus commentarius Siang.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Continenter redit. Est metuendum. Non est malum.

INTERPRETATIO.

Perpetuas habet eundi et redeundi vices. Metuitur, sed tamen sine malo.

Principii Yn frigus quod abit non statim dissipatur, redeunte in terram generativo calore. Mox amissa velut via ascendit, mox iterum descendit eadem resum-

pta. Ascendendo certe timorem periculumque affert; timetur scilicet seminibus recens terrae mandatis; quod tamen hac alterna frigoris caloriſque vice illa perficiantur, potest vere dici fieri sine malo. Ita est de parvo, seu homine parvi animi; itque reditque virtutis viam fluctuans, sed tandem suis jacturis eruditur absterritusque sapit seu sine errore est, ut textus ad litteram sumptus etiam verti potest. Error, inquit Tching-tse, non est in reditu ad viam, sed in abberratione a via. Confucius dicitur a suis discipulis resipiscentes ita complecti solere ac si nunquam peccassent, sed suo in errore boni cupidos et studiosos emendationis, non animo leves, mobiles, inquietos semper in itu et reditu. Hoc hominum genus non potest excoli, ut lignum putre vel mobile non potest sculpi.

Non horam tecum esse potes, non otia recte
Ponere, teque ipsum vitas fugitivus et erro,
Jam vino quaerens, jam somno fallere curam.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Medium agens solus rursus redit.

INTERPRETATIO.

Soli medium tenere recteque reverti datur.

Linea quarta, ait Kong-in-ta, est in medio. Quandoquidem habet supra infraque duas alias sibi similes Yn quae parvos seu improbos adumbrant. In improbitate ipsa medium tenere est jam redire versus probitatem. Est velut contrahere aliquid ex calore, seu jam afflari spiritu principii Yang. Sed id cum non sufficiat, ideo in textu non additur, hoc

est bonum. Vir bonus a medio aequove non aberrat; non proprium commodum ambit. Virtutis medium perfecte scire satis habet, ne quidem sua merita extollit ac commemorat. Ita Tçhing-tse et Tong-tse in regiis commentariis. Medium agit, ait Confucianus commentarius, id est, legem sequitur, ita ut medium sequi idem sit ac legem sequi. At inter tam multos qui legem appellant, vix invenias qui mediocritatem in omnibus teneat. O quam, exclamat Confucius, haec virtus ardua est! mortalium paucorum illam esse, jam vetus malum, vetus querela est.

EPHIPHONEMA QUINTUM.

Ardenter rursus redit, nullus est poenitendi locus.

INTERPRETATIO.

Ita instanter reverti quaerit, ut reversio non sit poenitenda.

Tempus quo calor Yang in terra tenuis est, tempus est velut dominationis frigoris Yn. Sed hoc retrocedere jam debet, redeunte aestate, cum nulla deinceps ex parte corroborari possit, nec ideo in illo bono statu perseverare. Redit itaque tempestive instatque reditui. Unde fit ut rerum natura nihil detrimenti patiatur, nec etiam habet cujus illum poeniteat quisquis ad bonam frugem rediens virtutis instanter medium amplectitur. Huic insistendum est. Hac via tuto itur, itur enim quando ire convenit, tuto et retroceditur quando retrocedere convenit. Cur, inquit Confu-

cius, quidquid negotii aggredimur, per ipsam rei convenientiam non perducimus?

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Rursus redeuntes reprimit. Pessimum infortunium et peccatum. Si utatur militibus incedentibus, in fine magnam jacturam patietur. Sui regni dominum pessimum facit. Usque ad decem annos non poterit coërcere.

INTERPRETATIO.

Reversioni volentium redire jam obstructus est aditus, maximo quidem illorum detrimento, sed non sine gravi illorum culpa. Frustra aditum ut illum sibi aperiant, copias omnes suas viresque explicant; illos manet clades quae etiam usque ad regem pertinebit, non reparabilis ne quidem decem intra annos.

Sexta linea, quae figurae est suprema, demonstrat perventum, ait glossa, esse ad summum terminum reversioni statum extra quem reversioni non patet locus. Haec est ad malum via. Verum, inquit Tching-tse, sciendum est duplex mali genus hic intelligi. Unum in textu Tsai dictum est malum a coelo immissum atque adeo externum; aliud Seng suum nempe erratum, quod malum a se ipso est. Quo loco annotari velim verbis exemplisque eandem tradi doctrinam in libro Chou-king, ubi de strage ultimi imperatoris Tcheou agitur, qui improbitati cumulum addidisse dicitur, dum nec calamitates, quas supremus imperator immitebat velut admonendi causa, minime reformidat sed in luxus et scelera audacius ruit, ita ut nullus deinceps resi-

piscantiae locus datus fuerit, supremo imperatore nullam jam illius rationem habente, contemptis ejus dictis imperioque deleto, quae refert ipse Tcheou-kong, frater novi imperatoris Ou-ouang, sua in oratione ad illum caeterosque principes. Ad quae addit Tcheou: constitutum suis sceleribus excidium effugere comparato ingenti exercitu frustra tentavit. Illius militares copiae deletae sunt. Acerrimus, inquit Mencius, illius defensor et minister Ti-lien fugere coactus est et in angulum tandem a Ou-ouang compulsus debito supplicio periit. Ipse tantum militum numerum ducens ad internecionem deletus est, mandante supremo imperatore, ait Ou-ouang perorans lib. 4. (Tai-chi) sibi tanquam scelerum ultori. Cum ego recéperim imperium ac mandatum, ut sim populorum rector et magister; quicunque ergo peccat teneor ego eum plectere. Ausimne reverendam illam coeli mentem transgredi? Imo eadem malorum distinctione, quam loquitur textus, totidem fere verbis legitur in Choú-king lib. 3. cap. Ta-kia calamitates quae coelo auctore fiunt, illas adhuc levare virtutis exercitatione possumus; quae autem a nobis ob ndomitas cupiditates mala fiunt, ab illis non possumus esse tuti; pereundum est etc. Patet itaque ex comparatione textus propositi cum Chou-king quam magna sit inter doctrinam libri Y-king et historiam libri Chou-king qua parte gesta a Ou-ouang et Tcheou-kong complectitur, similitudo. Nec mirum eosdem animi sensus exprimi utroque libro Tcheou-y et Tcheou-chou, cum eisdem principibus et gesta et dicta tribuantur.

CAPUT VIGESSIMUM QUINTUM. Ou-ouang.

Ou-ouang { ☰☰ Coelum . . . . Kien. ☳☳ Tonitru . . . Chin.

EPIGRAPHE.

Ou-ouang. Magna penetratio oportet sit solida. Si non habet rectitudinem, erit infortunium. Loco ad quem ivit nulla convenientia.

INTERPRETATIO.

Ou-ouang id est sine temeritate esse, vana variaque non agitare consilia, desideriis huc illucque non abripi, id profecto animi perspicacitatem non solum magnam sed etiam solidam requirit. Recto scilicet adhaerendum est. Sin minus, male succedet, nec quocumque eatur bene erit.

Hujus figurae nomen Ou-ouang, inquit Tchingtse, significat summe fixum, constans solidumque. Talis est coeli, cujus symbolum est supra, motuum atque agendi ratio. Producit nutritque res omnes, generandi finem nullo anno facit; suam quaeque res naturam habet; non ergo temere, sed certo solideque. Sit etiam sapientis agendi ratio sine temeritate, constans solidoque sincere nixa, ita ut sua virtute imitetur perfectam coeli terraeque constantiam; magna igitur in eo esse

debet veri perspicacia. At quonam pacto hoc assequetur, ut huc illucque desideriis variisque consiliis non abripiatur fluctuantique animo non sit? Animo et corde, inquit Tching-tse, adhaereat recto et purae rationi; nihil tunc vanum, nihil temere. Cor erit sine vel levissima pravitate. Cur vero? tunc erit conjunctum conveniensque rectae rationi. Contra, si rationi dissentire permittatur, statim perturbatur, quietis optatae expers fit. Malis desideriis vanisque saltem aestuat. Incidit ergo, addit Kiou-fou-kiou, in excessus qui calamitatem illi accersunt. Quae vero utilitas existere potest ex loco homini ita amore sui vanis aestuanti curis, verum rectumque nondum amplexo? ita illi interpretes quorum explicatio ne verbis quidem nisi paucis diversa est. Qui omnes invehuntur post Confucium in imperii administros, qui non in recto sed in emolumento oculos defixos habent. Audaciae magistra est cupiditas. Temeraria parit consilia. Lucri nomine pessumdat imperium.

At, inquit aliquis, Ouen-ouang cujus est epigraphe nihilne emolumenti percepit ex molitione jam parata? percepit quidem, respondent, nihil siquidem temere aggressus est, unam rationem secutus. Princeps, ait Mencius, qui studiose rectae rationi coelestique legi adhaeret magnis bonis cumulatur. Ouen-ouang scilicet non plus suum commodum intendit quam Yao, Chun et Yu, quorum illi in suos ministros, hic in filios imperium transmiserunt, nec illi vanae gloriae spe suos ministros, nec hi privati amoris emolumento filios elegerunt, sed secuti

sunt rationem, coelestem intentionem, vota commodumque populorum.

ADNOTATIONES.

1) Improborum ad bonam frugem reditus, de quo in praecedente emblemate actum est, non debet esse vanus, incertus, sed verus, solidus, sincerus, quod docet emblema nunc explicandum. Duo haec itaque merito inter se connexa sunt. Ita Confucius, Tching-tsu et alii.

2) Exhibet emblema hoc, in commentario Confuciano Siang tonitru agens infra coelum, nec tamen temere est, nec intempestive. Convenit enim tempori generationis annuae (vide dicta supra; tonitru aperitur ad eam via, juxta pandecta philosophica Sing-li) cujus velut praenuntius est. Antiqui reges tanti faciebant hanc convenientiae in omnibus tenendae doctrinam, ut cum id quod convenit et decet sequerentur, populos ad negotia in bonum converterent. In hoc discernendo maxime elucescere debet animi res penetrantis perspicientia. Penetratio, ait idem Confucius in alio commentario Toen dicto, si recta est, coeli voluntati conformis est, si non est recta, nihil reipsa est nisi verum infortunium.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Si nihil perturbatum eat, hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Non perturbate it, seu non it sine vera eundi causa. Quidni inde bonum?

Haec prima linea Yang, inquit interpres, est natura sua firma, intus solida, vicemque refert hominis in quo solida sinceritas dominatur. Talis vir it reditque non te-

mere, non vano aliquo lucri propriaeque utilitatis desiderio trahitur, sed illum vegas ad alios itandi et communicandi causas habere cogitandum est. Ubi sine causa affertur munus, id dicitur donare, ait Mencius se et Confucium tuens adversus expostulationes non paucorum et ministri Tcheousiao sua ad varias aulas itinera, oblata vicissimque accepta majora dona pro suspectis et avaritia ambitioneque infectis habentium. Quando igitur, concludit idem, ratio et aequitas exigit, ne vel unam oryzae scutellam a magnatibus quos adit sapiens licet accipere. Si vero aequitas, honestas et ratio postulat, quamvis alter Chan ab altero Yao totum acciperet imperium, non aberrasse dicendus esset.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Serendo non vult colligere. Incultum solum non vult colere. Loco ad quem ivit, est convenientia.

INTERPRETATIO.

Agricola qui non plus expetit quam re ipsa colligit ex jactis seminibus, qui contentus emolumentis in loco ubi est percipi solitis, non cogitat de agris alibi novandis, iterandis, tertiandis.

Similis est, ait interpres, vir qui recto adhaerens, rationi uni tempestive obsequitur, cujus cor est purum omni inordinato erga se suaque amore, vanaque in futurum spe. Qui praeter ea quae solet sibique conveniunt, nihil novi prius suscepit, nec postea aggredi cogitat, quo-

cumque in loco sit, bene habebit. Nihil est cuiquam ab eo timendum cum quocumque eat, nihil ab eo utpote mentis solidae rectique tenaci viro sit temere suscipiendum. Solus scilicet lucri proprii iniquus amor audaces in suscipiendo contra fas plerosque facit, uti ex Confucio et Mencio supra probatum est.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Infortunium non vani. Forte bos alligatus est. Transiens vir obtinet. Infra muros degentibus est infortunium.

INTERPRETATIO.

Accidit interdum aliquid calamitatis iis qui nihil temere agunt, sed solide et composito, ut si cui bos ad ipsius portam alligatus a praetereunte alio rapitur. Hoc furtum nocet toti pago.

Ille qui ita obtinet, ait Tching-tse cum aliis, non potest dici aliquid acquisivisse sed perdidisse. Nam obnoxium jam inquisitionibus, punitionibus, addit glossa, moeror occupat. Illum euntem anxietas, poenitentia poenaque sequitur. Itaque si quis bene intelligit ista, procul dubio non sinit se ne quidem moveri variis habendi desideriis, e contra recti amator etiamsi amisit, animo tamen quiescit, nec sibi dolens, nec invidens utilitati alienae etc. Quae sententia eadem est ac Confucii. Narratur scilicet approbasse dictum unius militis e regno Tsi suam jacturam ita levantis: scutum quidem perdidi, sed haud dubie aliquis e meis commilitonibus

perditum obtinuerit, nempe licet perditum cessit in commune bonum.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Oportet ut sit solidum. Nullum est malum.

INTERPRETATIO.

Contra animi temeritatem mentis soliditas necessaria est; haec si adest, nullum erit malum.

Nam est haec, juxta communem interpretem, uti haec linea quarta Yang sua indole fortis et firma adeoque potens satis ad se custodiendum, itaque suos animi sensus observandos, ut nihil errati malique admittat. Animi temeritas ab animi levis elatione proficiscitur; fortitudo vulgo nominatur, sed, inquit Mencius, fortitudo duplex est. Parvorum seu ignobilium animorum fortitudo erumpit coeco sanguinis ebullientis impetu, magnorum vero rectae rationis ductu. Fortitudinem veterum heroum, principisque Ou-ouang commendat idem tanquam sublimem magnoque animo dignam, quae unam aequitatis rationem spectaverit. Idem de forti monet Satyricus noster Sat. 9.

Fortem posse animum mortis terrore carentem,
. . . . . qui ferre queat quoscunque labores,
Nesciat irasci, cupiat nihil etc.

EPIPHONEMA QUINTUM.

In perturbato morbo medicinam sumere jucundum.

INTERPRETATIO.

Juvat et in morbo qui non gravis quidem, sed tamen verus non temere censetur, medicamentis uti.

Ita etiam sapiens, quamvis invaluisse, quamvis medium obtinere sibi videatur, non minus quam quinta linea et genere Yang praevalens et loco inter alias media, non ideo tutus est ab omni labe, ut omni remedio curaque abstinere possit. Humanum est peccatum, idque etiam in sapientem cadit. Verum, ait Mencius, antiqui sapientes suas culpas non abscondebant, sed illorum defectus ut solis et lunae eclipses omnes nosse et videre poterant. Sed dum postea solerti industria curaque illos correxere, atque ita pristinum splendorem sicut sol et luna recuperarunt: omnes populi non minus lubenter quam prius illos suscipiebant laudibusque celebrabant. Nunc vero, addit interpres, cura posterorum, cum nulli culpae affines videri velint, tota est non in emendandis suis erroribus, sed in iis aut alta latebra occultandis aut prudentiae nomine obtegendis. Peccare, docet Confucius, nec emendare, hoc ipsum dicendum est peccare.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Si in perturbatione agat, erit infortunium. Nihil est quod conveniat.

INTERPRETATIO.

Sine causa et ratione agere magnum est infortunium et omnino inconveniens est.

Ita Hon-in-ta et Tching-tse aliique non pauci interpretantur et ante illos Confucius in commentario hujus loci: perturbate agere, hoc est magnum infortunium. Contra ait idem qui supra interpres: juxta rationem et aequitatem se gerere magna felicitas est.

ADNOTATIONES.

1) Non convenit inter interpretes de syntaxi aliquot verborum. In secundo epiphonemate volunt aliqui verba hunc sensum efficere: non serit, tamen colligit; is enim sensus, aiunt, clarius exponit vani temereque cupidi animi vitium, a quo absterrere intendit proposita sententia.

2) Idem est de tertii epiphonematis formulis. Quaedam etiam voculae ac particulae caeterorum aliter ab aliis construuntur vel efferuntur; sed in hac tamen grammaticali disputatione plerique omnes in regiis commentariis citati fatentur ad sensum eundem notas quemcunque suas referre debere, cum ille habeatur satis ex adjunctis, ex Confucii commentariis, ex traditione praedecessorum et fine sententiae scilicet intentae contra audaciam et temeritatem consiliorum a principe Tcheou-kong. Ut probabatur ac laudabatur fratris Ou-ouang felix imperii mutatio summo consilio suscepta et perfecta, ita ei invisa erat temeritas nonnullorum audacium a quibus novae molitiones jam timendae erant vix rebus imperii solide constitutis.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM. Ta-tcho vel Ta-yo (hio).

mons . . . . . Ken.

coelum . . . . . Kien.

EPIGRAPHE.

Ta-tcho, id est multum congregare, copiose colligere, et in cumulum adjungere, bonum quidem, dummodo sit solidum. Ut bonum sit, debet haec etiam copia non absumi tota in propria domo, sed dividi, transferri in alios, etiamsi trajiciendus magnus fluvius aliique ad hoc bonum obices essent superandi.

Hac similitudine Ouen-ouang sapientes et verae doctrinae studiosos monet. Illis quidem integrum esse excolenda ratione ac virtute veram agendi scientiam abunde sibi velut intus congregare, at non satis esse si illa ex acquisitis notitiis exsurgat, magna copiosa ac velut cumulata, nisi simul eadem sit vera solideque recta. Id eo in textu dicitur: oportet ut insit soliditas; nam falsa doctrina est doctrina prava quantavis in aliquo collecta supponatur, nempe recta non est. Ast ubi quis veram scientiam copiose comparavit, debet illam dividere in populos; non debet uni soli servari tanta fortuna, nec deberi diutius potest toti imperio. Alioquin erit similis homini domi suae ingentem collecto-

rum numerum absumenti; et verae doctrinae via ita obstruetur. Bonum, ait textus, si domi non comedit; prodest siquidem foris aliis. Ideo et dicitur rerum scientia colligi abunde, quia impendenda est aliquando componendo imperio, nempe difficilibus et periculosis temporibus, quae indicant verba transitus magni seu crocei fluvii, quem Ouen-ouang auctor recusabat transire ejusque filius feliciter superavit; quandoquidem ipsius documentis ad ipsa imperii comitia et curis perfecta aliquando est nec ita post imperii restitutio.

Ita inter alios Tching-tse. At, ait Tchoutse, agendi scientia est primogenius propriusque epigraphes sensus. At quid auctor Ouen-ouang significare ipse velit et quo praecipue intendat, nonnisi summatim dicitur. Transire magnum fluvium, inquit Confucius, est convenire cum coelo seu coelesti mandato. Quonam? nisi de capessendo imperio puniendoque crudeli Tcheou, quem coelum, ait Chou-king, abjecerat a Ou-ouang puniendum.

ADNOTATIONES.

1) Non temere huc illuc abripi desideriis sapientem decet, quod emblemate praecedente expositum est; nec tamen illum dedecet colligere et congregare abunde, ut aliis instruendis sufficiat; quod hoc emblemate docemur. Recte igitur, concludunt interpretes, hoc cum illo committitur.

2) Exhibet emblema gemini symboli conjunctione in medio montium coelum, seu potius coelestem auram in alta valle contentam. Illa certe communicatur omnibus alitque omnia; ita et vera doctrina quae ab antiquitate ad nos manavit sapientum illorum verbis in commentario Confuciano Siang, exemplisque enutrienda est. Eodem modo in alio commentario Toen explicantur haec verba textus: si

domi non comedit, bonum est, id est, sapientes nutrit suâ scilicet doctrinâ quam impertitur.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Est periculum. Oportet recedere.

INTERPRETATIO.

Sapientiae est absistere ab incoepto quod sit periculosum. Scire, ubi opus est cedere, non vulgaris scientia est. Hominem sane perspicacem et experientissimum esse oportet, ut sicut fortiter aggressus est ad agendum, ita cessandi negotiique decore abrumpendi occasionem aucupari sciat. Perfectus sapiens non habet obfirmatum animum in hoc vel illo agendo. Convenientiam sequitur. Qui non est animo valde perspicax, posita quidem ante oculos videt, non vero remota. Suum nihil dubitans insistit iter. Est ille ut linea haec Yang nitens ad superiora, quandoquidem nobilis ac penetrantis naturae est, seu, ut aura coelestis supra tendens, frustra tamen repercussa, scilicet a superiore qui est mons in emblemate. Haec inutilis et inconveniens contentio mera est pertinacia; quo diuturnior fit, eo major error fit, majorque ex errore pernicies. Nihil enim, ait Mencius, adeo perniciosum virtuti constantiae quam homo non perspicax.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Currus camelinam ephippium dilacerat.

INTERPRETATIO.

Currus dilacerato jam equi ephippio destitutus carensque rotis, ait Tching-tse, similibusque id genus necessariis, ulterius incedere nequit.

Ita et qui aggreditur quod naturae suae ingenio non convenit, subsistere debet nec ire longe potest. At si sistit in eo assidue excolendo ad quod factus est, ulterius in dies procedere erit ei facile, ita ut tandem quo intendit perveniat. Qui autem facultatem rei parem non nactus est, etiamsi laborando vires deterat, et velut eundi et procedendi studio assiduo equi ephippium licet firmum currusque rotas disrumpat, nec diu nec ita longe procedet et brevi in eo quo est gradu haerere necesse habebit. Etiamsi velit, ait interpres, ad superiora ferri, cursum cogitur infra sistere.

.... Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt.

Qui ante Ou-ouang imperii restitutionem aggressi fuerant, non fuerant, inquit, ad id à coelo facti ac destinati. Unde factum, ut licet bene erga rempublicam animati tandem defecerint.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Bonos equos curru probat. In laboribus oportet ut sit solidum. Quotidie curruum velut pugnae assuescit. Loco ad quem ivit est convenientia.

INTERPRETATIO.

Qui experientia sua cognoscit equi indolem potest eo uti constanter in viis etiam difficilibus. Potest et illum currui trahendo assuefacere, quemadmodum currus solent ad pugnam exerceri, atque ita ex eo utilitatem percipiet suo tempore et loco.

Nosse homines magna scientia est. Cum virtus sit intimo in sinu cujusque abdita, haec scientia difficilis est. Sapiens princeps nec ob sermonem evehit hominem; multitudo odit quempiam, examinetur; gaudet quopiam et hic examinetur. Loquitur is grandia, observentur gesta; vel unus ita examinatus ac probatus ad magna munia promoveatur. Haec Confucius non uno in loco, cujus sensum Mencius totidem ferme verbis saepe inculcat. At quod illi aliquot post saecula libertate philosophica docuerunt, hic similitudine tempori accommodata princeps Tcheou-kong exponit, ita reprimens, ut conjectura fert, audacem ambitionem multorum, de quorum solertia et viribus nullum factum esset periculum, ad magna novo in imperio munia aspirabant. Primum exerceri equus debet, ut vel currui alligari vel equiti tradi possit; potiori jure rex sapiens ministro res suas committere non potest, quem solo rumore, non experimento idoneum cognoverit; hunc oportet esse rebus gerendis exercitatum, variisque casibus probatum. Cur-

rus, inquit Tching-tse, ut commode eat, debet prius saepe ivisse, quotidie eundo ire assuescit, adeoque est omnino praeparatus. Aptus itaque ad convenienter seu utiliter eundum quo ire animus est. Jam enim scitur illius robur. Quid detrimenti potestne timeri?

EPIPHONEMA QUARTUM.

Juvenem taurum jugo reprimit. Hoc summe bonum est.

INTERPRETATIO.

Taurus facile domatur quando annis tener est, quod optimum est. Tunc, inquit glossa, sine cornibus est. Illum sistere et arcte continere facile est, nec magnis viribus opus, et quidem magno loci bono reprimitur. Qui adhuc juvenes sunt, si antequam in lucem publicam prodeant, arcte a malo prohibeantur, bene est. Quarta haec emblematis linea, ait Tching-tse, exhibet ministrum boni regiminis scientem. Est is inter regem et populum velut constitutus medius. Juvenem regem refert sequens linea quinta, nobiliorem locum occupans, populum potentem linea tertia inferior Yang. Habet ille itaque duo imprimis agenda et cavenda. 1) Ne depravetur cor juvenis principis. Sistendi scilicet sunt illius primi velut impetus. 2) Ne qui e populo existunt improbi tunc invalescant, sed ante reprimantur quam terrere possint. Notant siquidem quod habent annales, saepe contigisse ut ju-

venes e populo selecti ad juvenis imperatoris convictum obsequiumque ita se illius in gratiam insinuaverint, ut potuerint omnia tentare contra eximios et antiquos ministros et interdum contra etiam imperatori debitam obedientiam aut reverentiam. Huic malo ut occurreret, monebat eximius minister Fou-youe imperatoris Hao-thong: cave ne quibus faves gratiamque amas impendere tuam, id illis verbo significes. Si se ita diligi intelligunt, actum est, perierunt; negligentes siquidem fient et irreverentes, ita ut tibi necesse futurum sit illos punire et perdere. His ergo initio obsistendum est a ministro juvenis regis velut magistro, ne juvenes illi fiant deinde feroces tauri.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Porci dentes obtundit. Hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Porco, si ferox est, vis dentium vix elidtur, licet elidere bonum sit.

Haec quinta linea, ait interpres, principem exhibet. Debet is intentus esse in occasiones mandatis suis reprimendae improbitati quae se in populum insinuavit. Non est id quidem tam facile quam principio. Nam, inquit Tching-tse, ad innumeros pervadit popularis quaecumque labes. Si agit tantum legibus atque poenis etiam gravissimis, malum non vincet. Sola vis quae ad porcum continendum adhibetur, non potest illi adi-

mere ferocitatem, ligatur et undique stringitur, sed tamen non mutatur. Si curetur et tunc quia opus sit dentes ei elidere, ferocitas subsidet. Principi utendum quidem poenis est, sed non ita radicitus evellitur improbitas, etiamsi quotidie supplicüs plectatur, quae scilicet in corde est. Debet itaque mansuefieri populus quibus modis ab eximiis illis nostris antiquis sapientibus pravitas olim a gente sublata est, non utique sibi reverentiam conciliando sola gravitate numeroque punitionum, sed subditos excolendo instructione et documentis. Causam praeclarae hujus observationis perstringit Mencius lib. 2. c. 6. virtutis praecepta facilius quam regni leges populos subjiciunt, nam has populi metuunt, illas populi amant.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Coeli via quam late penetrat.

INTERPRETATIO.

Nihil est quod non pervadat efficax coeli vis.

Coeli via, inquit Ouang-chi, seu vis atque efficacia quonam penetrat nisi in terram cui manifestam se facit utilibus effectibus. . . . Quo non penetrat etiam doctrina nostrorum sapientum? nullane est imperii pars cui non prosit? quin et ultimam quoque posteritatem pervadit. Nam licet variae magnaeque fuerint in imperio mutationes ob bella externa et civi-

lia, ut constat ex annalibus, doctrina tamen vera a nostris antiquis accepta numquam excidit, sed contra brevi refloruit. Ita interpretes passim, ita olim Tong-tchou in libello supplici imperatori Han-ou-ti velut praesagiebat, semper futurum. Nam, inquiebat, vera doctrina originem ducit a coelo, quod unum idemque fuit, quod nunc, est eritque semper. Mutarine potest ea quae ab immutabili principio profluit ad vitia extinguenda, ad virtutem excitandam, ad rectum imperii regimen, ad populi mores formandos?

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM. Y.

Y  mons . . . . . Kin.

tonitru . . . . . Tchin.

EPIGRAPHE.

Si sit soliditas, hoc bonum. Mentum aspicit; ipsemet oris frumenta quaerit.

INTERPRETATIO.

Attendendum est ad modum sufficiendi alimenta, quae ad sustentationem requiruntur; sed ille modus debet esse recto justoque solide nixus, ut dici possit bonus felixque.

Agitur hic de recta justaque ratione, aiunt glossa et Tching-tse, habendi alimenta. Aspicere mentum, seu potius maxillam, nihil aliud est quam videre quae et quo modo, qui quidem rectus sit, alendo corpori necessaria parari debeant. Is modus autem, si est rectus, felix est. Alendum, addit interpres idem, est quidem corpus, sed simul alenda virtus est. Verum haec non alitur, si in illo non servatur rectitudo. Coelum et terra res productas nutriunt foventque, at certa et unicuique rerum generi congrua ratione, quae proinde recta est omnibusque fortunata. Servetur itaque in quaerendis cibis aliisque ad vitam

fovendam necessariis via aequa et recta. In rectitudine est felicitas, in pravitate infortunium. Difficiliorem casum proponit Mencius et ita solvit ut recti amore nulli ex antiquis Stoicis cedere videatur. Naturali, inquit, affectu vitam summe diligo, diligo et aequitatem. At en tibi occasionem in qua non possum utrumque servare. Quid facto opus? utrum potius eligendum est? Certe projicio vitam et servo aequitatem.

ADNOTATIONES.

1) De colligendis ita ut abunde sit, actum est capite proximo emblematis Ta-hio. Hoc praesenti quod dicitur Y exponitur ratio his utendi, in alendo scilicet corpore fovendoque populo. Est itaque hujc post illud debitus locus. Ita vulgus interpretum ad sensum Confucii de ordine figurarum.

2) Infra montem existens tonitru, ait Confucius in Siang, exhibet haec figura Y. Sapientes accurati in iis commendandis quae ad nos pertinent, regulas etiam de alimentis praescripserunt. Si populus, aiunt, non habet unde vivat, dilabitur, latrocinatur, rebellat. Penuria est summe periculosa, nec minus metuenda quam exhalatio ignea seu tonitruosa in sinu montis, quae nisi forte dissipatur, tandem sursum et perniciose eruptura est.

3) Non erit abs re hic annotare vocem Ki, quae nihil nisi fortuitum significare nonnullis in Europa visa est, in hujus epiphonematis et praecedentis, ut alia taceam, omnibus commentariis, ita accipi pro bono quod est in virtute, ut aliter interpretandi locus non sit. Merito itaque et a Tartaris et a nobis ita versa est, praeeuntibus scilicet philosophis Sinis. Nam vox Ki generice sonat idem ac bonum, quod reipsa debet ita latine etiam vocari, sive sit a recta ratione, sive sit a felici successu, cum utrique conveniat. In Ch ou king bonus magistratus, rectus suumque officium implens vocatur Ki-jin, ut a latinis vir frugi, ideo felix quia bonus, qui dum non deest suo officio, recta sua gubernatione feliciter regit populum. Tunc enim res plerumque succedunt. Sapientia felix dicitur a satyrico Sat. 12.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Tam admirabilem testudinem deseris; meum (quod movetur) mentum aspicis; hoc malum.

INTERPRETATIO.

Cessas imitari testudinem mire vivacem quae suo velut succo diu vescitur. Nam in alios maxillis mandentes, seu copiosum rerum usum habentes cupide adeoque male intendis.

Princeps, ait Sou-chi-che, superiori in loco constitutus, sollicitus esse debet de annona populis suis undique sufficienda. At ei qui in inferiori loco est, cum non habeat nisi se suamque familiam alendam, satis est vesci labore redituque suo. Si luxui sumptuique superiorum invidet, si eum tantas impensas videntem subit libido sumptuum, eum magnum etiam apprehendit manetque malum, ingens scilicet animi aestus, ab exteris timor, a superiore loco calamitas. Principis est habere quae subditis dividat; privati, habere quod sufficiat. Si unus multorum opes studet colligere, aliorum familias aut dissipat aut mancipat sibi; utrumque malum est reipublicae. Nimium colligere est aliis multum eripere; mali civis collectio cedit in monopolium, boni principis in commune bonum. Dispersione opum, ait Confucius de principe, colligitur populus, opum collectione populus dispergitur, dissipatur scilicet ob penuriam in alienas terras. Ad patriam vero simulque ad suos revocatur necessaria rerum copia; nec tamen in his de populo sublevando documentis licet sint philosophi Sinae infiniti, tributa improbant, satis, ut

ex historiis apparet, gravia. Sufficiat nunc illud Mencii de mitissimis omnium imperatoribus imperiique conditoribus Yao et Chun. Horum praeclara gubernandi ratio sancivit tributum unam partem ex decem.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Mentum invertit. Consuetudinem perturbat. Mentum in monticulo constituit. Si eat, hoc pessimum.

INTERPRETATIO.

Caput ad ea quae sunt tergo convertere est contra morem. Ad ea quae sunt a fronte et supra attollere multo pejus est.

Nec licet, aiunt interpretes, quae sunt ad sustentationem necessaria populo aut cuicumque e subditis ab alio accipere quam a suo vero principe. Ab alio haec subsidia exspectare est caput ad eum advertere, est ad illius partes propendere. Nam, inquit Tching-tse, imperatoris est alere imperium. Regulorum, qui tunc multi erant, clientelarium est alere sua regna. Magistratus atque omnes praefecti debent quique stipendia a suo principe accipere, atque ita pendet tota victus ratio a superiore ad inferiores. Sed nec ab imperatore nec a suo regulo expetenda sunt plus quam aequitas et meritum exigit. Qui audacius et cupidius ac velut elato capite petit, non solum rejiciendus est ut vanus petitor, sed etiam poena dignus est, utpote molestus, ambitosus etc.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Mentum perturbat, licet solidum, pessimum. Ad decem annos ne utere. Est quod conveniat.

INTERPRETATIO.

Licet ratio habendae annonae (ad movendas maxillas, seu mentum) sit solida, si tamen cum perturbatione fiat, perniciosa est. Et etiamsi ad decem annos usurparetur, nulla est. Ita non agere utile est.

Non servare, ait Tching-tse, rectum in colligendis ad vitam sibi populoque necessariis est verum malum, seu est vera infelicitas. Si collectio fit in aliorum alimentaria subsidia, consentanea est utique aequitati. Virtutis etiam est providere suae sustentationi. Modus in his non debet pugnare cum justitia. Si quis inductus est ei contrarius, non fit melior usu multorum seu decem annorum. Decem ibi significat finem numeri; ad finem usque illo non est ideo utendum. Sed non satis est habere modum rectum, dum ad executionem ipsam devenitur, omnis perturbatio vitanda est atque acerbitas. De Ouen-ouang quem imitatus est filius, canitur in libro Chi-king Ode Tching-youe, a divitibus quidem ut aliquid moderate exigat princeps aequum et decorum est. Sed pauperes, orphani et senes omni liberorum ope destituti sublevari debent. Multa similia ad rem alimentariam et vectigalium exactionem praecepta reperire est in libris philosophorum atque interpretum. Sed satius est brevitatis causa nunc ea omittere variis postea in locis interserenda.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Mentum invertit, hoc bonum. Tigridis visum timendo timet. Illius contra aviditatem contendendo contendit. Nullum est erratum.

INTERPRETATIO.

Convertere caput ad ea quae retro sunt aliquando faustum, ut si adest tigris minacibus in subjecta oculis. Hujus avidae ferocitati totis viribus obniti, errare profecto non est.

Quaerunt interpretes, cur convertere caput in secundo epiphonemate censeatur culpabile, in hoc vero laude dignum, bonum, faustum? Responsionis summa est: in secundo caput convertitur ad petendum ab eo, a quo peti non debet, nempe stipendium a suo non domino. In hoc quarto respiciuntur quibus debentur alimenta, subditis nimirum. In hoc fortiter resisti debet injustae avaritiae potentium populique oppressoribus. Imperator Tcheou crudelitate aut habendi aviditate tigridi voraci similis magno gentis bono compressus fuit a Ououang, qui, inquit Mencius lib. 2. cap. 7. solos populi oppressores unquam impetiit ac punivit. Nemo alius ex illius molitione detrimentum passus est.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Consuetudines perturbat. Si in soliditate determinat, hoc bonum. Non expedit transire magnum fluvium.

INTERPRETATIO.

Annonae penuria perturbatis populi moribus si qui praeest tunc facienda solide definiat, uihil erit mali. At illo tempore non expedit ad nova aggredi negotia ipso crocei fluvii transitu non faciliora.

Tunc, aiunt interpretes, satis est unumquemque continere in eo gradu in quo est. Utendum est principi non satis ad hoc facultatis habenti aliquo eximie sapiente solidaeque mentis viro, qui rei frumentariae fide integra notaque provideat praesitque et qui illo tempore excogitare possit modos populi interea alendi et quiete sustentandi, extinctis subito turbarum seminibus. Sollicitudine principis delinitur populi animus. Praefectorum curis inopia sublevatur, si non tota tollitur. Pacatum imperium tueri tunc sat superque est. Non est tempus augendi, suscipiendi magna, nec audendi tam difficilia, quam fuit principi Ououang trajicere famosum fluvium croceum. Imitandus tunc potius ejus filius Tching-ouang. Is dotibus regendo imperio destitutus profecto non erat, turbatis tamen rebus a regulo regni Koen et nonnullis aliis populi miseria abutentibus necesse habuit uti opera principis Tcheou-kong. Et quidem feliciter sublata populi perturbatione omnibusque ad pristinam quietem revocatis, fuit et paucos post annos rei agrariae fovendae et tuendae cura demandata ipsi imperatoris avunculo Tcheou-kong, quo in munere ita se gessit, ut illius nomen hac etiam aetate celeberri-

mum sit; quae omnia ex variis interpretibus eorumque notis collecta sunt.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Ex mento periculosum, sed bonum. Oportet transire magnum fluvium.

INTERPRETATIO.

In alendo populo pendere velut ex alio, habet aliquid periculi, sed tamen suam quoque habet utilitatem (populo scilicet in officio permanente). Tunc si quam molitionem tam difficilem quam transitum magni fluvii crocei adoriri placet, opportune potest.

Sexta linea, ait Tching-tse, simul cum glossa, exhibet illum ministrum cui cura providendi datur, quinta regem. Si est debilis qualem illum exhibet linea quae est Yn seu negotio non omnino par, sequi debet suam administrum, ut in praecedenti epiphonemate dictum est. Nonne inde est metuendi causa principi? minime vero, ait. Imo bonum in populi quiete positum. Si minister similis est illustribus Y-yn sub secunda familia et Tcheou-kong sub tertia incipiente respublicas administrantibus. Imperatoris Tai-kia, filii Tching-tang, minister, tutor magisterque fuit Y-yn cujus repetitis quae sunt in Chou-king admonitionibus evasit Tai-kia in imperatorem patre dignum. Tching-ouang secundus familiae Theou a tutore et magistro Tcheou-kong ad rectam administrationem ac negotia licet difficilia recte gerenda eruditus est. Utrique juniori utilissimum cum fuerit pendere voluisse ab his ministris, idcirco prae reliquis appellat commentarius.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM. Ta-ko.

Ta-ko  aquae montium . . Toui.

 venti et lignum . . Suen.

EPIGRAPHE.

Ta-ko. Trabs ex parte depressa est. Loco ad quem ivit, facit ut conveniat. Penetrat.

INTERPRETATIO.

Ta-ko summa provectio similis est trabi jamjam casurae. Ut in eo gradu ad quem pervenit, convenienter manere possit, id non fit sine magna animi penetrantis provisione.

Ta-ko significare quidem potest quidquid multum excedit, quidquid longe praeterit, aiunt interpretes, sed non putandum hoc in loco significare excessum vel progressum ultra rationem. Nam quodcumque negotii fiat ad rectam rationem legesque imperii exigendum est. Qui potuit pervenire ad mediocritatem, quae est inter nimium et parvum, illiusque usum consecutus est, illius solum provectio dicenda est magna. Qualis dicitur provectio legislatorum Yao, Chun, Tang, profecta scilicet a ratione veraque virtute. Non potest illa non esse in medio, non potest non esse constans. Ita et intelligenda est haec hujus epigraphes Ta-ko summa provectio.

Verum res ita habent, ut quod summe crevit, sit decrementis obnoxium, quae assurrexere hactenus, paulatim deciderunt. Sublimia nimis aedificia ruinam brevi minantur. Trabs totius domus columen sensim debilitatur, deprimitur, ruere incipit, sustentanda est cauta industrieque adminiculis. . . Illis solis viris, illis excellentibus seu heroibus, qui aggressi sunt excedentia longe captum communem, datum est a coelo satis facultatis ad coepta illa summa et velut nimia sustinenda. Eo e numero fuisse auctorem epigraphes Ouen-ouang omnes Sinae pro certo habent. Quod itaque sic senserit scripseritque, duplex causa occurrit. 1) Modestia principis apud tot magnates ad imperium invitantes suam causantis tenuitatem, quod non semel annotavimus. 2) Prudentia in reprimenda ambitiosorum turba, turbatis rebus exsurgere solita, docens eos, summum culmen esse periculosum, nec in eo, si huc quis pervenit, durare posse sine eximia raraque animi provisione, quam instillat coelum iis, quos ad hoc producit, volens illos quoque caeteris hominibus rerum peritia ac scientia antecedere; quae observatio est etiam Mencii lib. 2. cap. 3.

ADNOTATIONES.

1) Rationem victus et alendi populi repraesentabat emblema 24. dictum Y. Sed quod nihilum aut nimio proximum esse in hoc potest, castigatur in hoc vigesimo octavo Ta-ko. Ita interpretes praeeunte Confucio.

2) Refert hoc emblema symbolum geminum, aquae scilicet et venti Toui et Suen. Ab utroque petit Confucius in commentario de imaginibus Siang, ut plerumque, similitudinem. Aqua, ait, extinguens lignum vocatur Ta-ko seu convenit figurae Ta-ko. Quonam autem modo fit, ait Tching-tse, ut humiditas aquae, quae alit ligna, ea deinde corrumpat, nisi summo excessu. A vento nimirum

dejicitur lignum in aquam ad cujus littus comitum est, infra nimiam aquam retentum putrescit. Non ita evenit sapienti, deprimitur, sed inde vel solus, notat ibidem Confucius, assurgit intrepide. Imo ex ipsis saeculi voluptatibus abscedit sine tristitia, nec in malis nec in bonis sordescit.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Ad tegendum utitur alba palea. Nullum est malum.

INTERPRETATIO.

Potest et ad usum adhiberi palea vel levissima quin inde sequatur malum.

Si, inquit glossa, adsit sollicita diligentia. Palea est res levis, sed tamen illa usum habet, qui multi fit, nec immerito, dummodo sciatur quo loco, quo tempore ea utendum sit. Ita interpretes ad mentem Confucii in appendice Hi-tse dicta, cujus verba obiter exponunt, docentque juxta hujus epiphonematis sensum, levissimis non raro subsidiis negotia perfici posse, si convenienter adhibeantur, ita ut successus non tam ex rerum gravitate quam ex temporis locique convenientia pendeat.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Sicca herba gemmas producit. Senex vir juvenem puellam uxorem ducit. Nihil non convenit.

INTERPRETATIO.

Ex convenientia multa succedunt. Exempli causa, accidit ut herbae siccae radix rursus gemmas emittat, senex ducta juveni uxore filios suscipiat.

Vir praestans, ait Confucius, ex convenientia cujusque rei statuit. Convenientiam significat haec secunda linea, quae medium locum tenet. At cum sit natura sua Yang, valens potensque, nimium firmitatis haberet, nisi inferiori Yn se ipsa debili conjungeretur. Temperans vero ingenitas sibi vires tenuitate inferioris, medium illud obtinet, quod efficiendis rebus gerendisque recte negotiis convenit. Ita potissimum interpres Tching-tse, qui cum omnibus aliis sentit, quae de herba sicca florente et de sene filios suscipiente in textu afferuntur nihil nisi meras similitudines exemplaque esse; quibus probetur multa praeter communem opinionem succedere, ex convenientibus et velut concurrentibus loci, temporis, coeli animique affectionibus. Poterat quidem princeps Tcheou-kong alludere ad Tcheou imperio deturbatum. Is enim videtur susceptus fuisse ab imperatore Ti-y, jam sene a juniore uxore. Errant enim qui existimant principes Ouei-tse et Ouei-tchong fratres imperatoris Tcheou omnium natu minimi genitos esse ab eadem matre. Nam Mencius his temporibus quovis annalista vicinior scribit lib. 1. Insuper imperatoris Tcheou fratres Ouei-tse et Ouei-tchong ex alia matre

geniti virtute excellebant. Verum haec ipsa allusio meri exempli meraeque similitudinis vicem solum habere potest, cum nullam vim habeat ad probandam doctrinam a principe intentam quae ab alio quocumque simili casu non repeti possit.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Trabs una parte depressa est. Hoc malum.

INTERPRETATIO.

Unum trabis caput suo e loculo esse dejectum, perniciosum est.

Homini quantumvis valenti si e medio debito decidit, nihil boni succedere potest. Est ille similis uni trabi una ex parte in terram abjectae, cui fulcra frustra adhibeantur. Ita iste convenienti in loco stare nescius frustra ad promovendum negotium aliquem accerseret. Non potest uno consensu simul agere, conatus ad idem eorum mutuus non esset diuturnus. Hoc malum, ait commentarius Confucianus, id est, nemo potest adjuvare.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Trabs elevatur. Hoc bonum. Est alius poenitendi locus.

INTERPRETATIO.

Conentur trabem alia parte elatam retinere, res proderit, nec aliis incommodis subjacebit.

Conari elevare trabem nihil in hoc loco est, ait Confucius in commentario, quam non sinere inferius deprimi, seu illam prohibere ab ulteriore lapsu, itaque illam continere ac firmare ut usui, nedum damno, esse possit. Exhibet illa, inquit interpres, quarta linea Yang unum ex magnis magistratibus qui non abest a solio imperatoris, quod refert proxima linea quinta. Is potens suaque potentia ferox, ut inferioribus sit gravis, prolabi incipit ad infimum. Si retinendus est in lubrico, opera utendum est hominum indole mitium; atque ita fiet ut cum omnia benigni sui exsequantur, mores feros posuisse munerique suaviter implendo par esse videatur. Sed enim plerumque accidit ut ferus feros amet adhibeatque. Si vis, inquit Mencius, nosse unum praefectum in urbe regia degentem, sitne sapiens an non, vide quos et quales in suam domum recipiat. Ut aves siquidem concolores, sapientes sapientibus, insipientes insipientibus convolitant; ita ciconiae pulli eadem sumptis quaerunt animalia pennis.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Sicca herba floret. Mulier senex juvenem sponsum sibi assumit. Nullam malam, nulla laus.

INTERPRETATIO.

Sunt quae nec vituperio nec laude digna sint, ut si vidua senex juveni nubere cogitet, velitque, sicut herba tantum non sicca reflorescere.

Licet viduitas apud Sinas tanto sit in pretio, ut

certi a legislatoribus decernantur honores, extentque etiam monumenta publica viduitatis constantiae dicata, nihilominus per leges licet viduis exacto luctus tempore alteri nubere. Licitum itaque id quidem est, ait Confucius in hunc locum, sed verecundum, nec damnandum, nec approbandum; interdum etiam accidit ut flos ex herba quae putatur sicca enascatur. Sed, ait ibidem, si talis herba efflorescit, quomodo diu durabit?

EPIPHONEMA SEXTUM.

Generose nimis transit fluvium. Caput totaliter absconditus. Hoc malum. Sed sine peccato.

INTERPRETATIO.

Causa alterius audacius quam convenit trajicere fluvium, cujus aquis est totus cooperiendus, res est quidem magno infortunio obnoxia, non tamen graviter culpanda.

Exhibet, aiunt interpretes, haec sexta linea Yn hominem angusti ingenii, nec aptis ad publica aut magna convenienter agenda dotibus instructum. Huic innata temeritas inest, non vera animi magnitudo. Non curat an res quae ab eo petitur sit conveniens loco ac tempori, an a ratione exigatur. Non timet, nihil dubitat; irruit in fluvium, nec nisi aquis immersus cognoscit se in summum ultro ac fidenter incidisse infortunium. Tanti stat scilicet convenientiae ignoratio.

CAPUT VIGESIMUM NONUM. Kan.

Kan  aqua . . . . . Kan.

aqua . . . . . Kan.

EPIGRAPHE.

Repetitum Kan est solidum. Cor penetrat. In actionibus habet aliquid laude dignum.

INTERPRETATIO.

Aqua jugis suam et habet vim. Vis ejus ad cor usque penetrat. Aliqua etiam efficit praeclara.

Illi similis est, ait glossa, vir vere perspicax in periculosis ac metuendis. Cum sit cordis puri ac sinceri, penitius perspecta claraque habet forinsecus vitanda. Idcirco ut agit, utiliter agit. Neque enim, addit Tching-tse, agit nisi habita perfecta notitia. Hac instructus et se periculis subducere et gloriam sibi comparare potest.

Docet itaque iterum Ouen-ouang suos ad immutandum imperium aggressuros noscenda sibi imprimis esse quae ab his, quae ab illis metuenda, nec ulli labori curaeque parcendum ut omnium horum enucleatas distinctasque animo intelligentias concipiant, quibus ut aqua vultus eorum, ita et corda eorum repraesententur. Sin minus temere in pericula itur, indecore ex periculis exitur. Verum nec omnia pericula vitari

possunt, nec omnia vitanda sunt. Mentis perspicacitas, inquit Mencius lib. 2. qua aliquis pollet, fere in adversis elucet. Exundante aqua omniaque devastante tempore legislatoris Yao, enituit vel maxime magni Yu perspicacia. Etiamsi aqua metuenda sit, semper (Confucius in commentario hujus loci) confluendo, non tamen sua semper copia disrumpit. Etiamsi metuenda efficiat, non desinit tamen esse perspicua.

ADNOTATIONES.

1) Eos qui ad summum longiusque progrediuntur emblemate praecedente adumbratos manet plerumque casus in aquam altam similemque abyssum. Namque hoc quodcumque periculum exponit praesens similitudo aquae his lineis utriusque symboli seu Kan potius ejusdem repetitis expressa. Quod itaque haec priori figurae succedat, nihil mirum est. Id enim ordo postulat, de quo agit Confucius in suo opusculo de ordine figurarum inter se, et caeteri interpretes consentiunt.

2) Quid causae est, aiunt aliqui, quod in hoc textu annotetur repeti Kan seu symbolum aquae dictum Kan? nonne in secundo v. g. emblemate repetitur Koen seu symbolum terrae. Quaestionem solvit unus doctor Hou-chi-youen. Causa est, quod ea quae metuenda sunt ab aqua non existunt nisi ab ipsius incrementis quae exprimit repetitio Kan symboli aquae.

3) Symbolum aquae, ait glossa, exhibet lineam Yang inter duas lineas Yn; perinde ac si principium Yang in medium principii Yn incidisset. Sed hoc, nisi explicetur, parum omnino facit ad aquae naturam explicandam. Distinctius philosophi lib. 27. Sinicam hanc physiologiam exponunt. Aquae radix et principium intrinsecum Pen est materiae Yang coelestis spiritus subtilis Ki, ut est activus mobilisque. Non dissipatur tamen ob circumstantes Yn terrestris materiae particulas, quae impediunt quo minus exeat. Vincunt itaque illum et sub imperio tenent. Unde fit, ut ad motum quidem ab eo intrinsece continenter incitentur, at licet ad motum quemcunque incitatae crassitudine sua infra tamen feruntur. Aquae

ait Mencius, natura sua fluit; an ad orientem potius quam ad occidentem, loci dispositione fit. At minime indifferens ad currendum, sursum vi sola ascendit.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Repetitum Kan ingreditur in profundum lutum Kan. Hoc pessimum.

INTERPRETATIO.

Habet et jugis aqua suum lutum; quod si altum sit, in illud incidere perniciosum est.

Vivo mediocriter perspicaci non omnia patent; decipitur externa pulcri specie. Inde est quod in tam altum fossae aqua quieta plenae coenum cadit, ut non possit deinde sese recipere. Neque enim locum novit nisi jam in hoc coeno volutatus. Tunc sui non compos ne quidem scit qua redeundum sit; ita et est vitiosus amissa tandem recta via, ut est corde parvus impotenti animo abripitur, aut malae molitioni sicut coeno tenaciter adhaerescit. Ita Tching-tse et Tchang-chi-ken. Confucius vero in commentario Siang concludit: legem transgredi pessimum est. Eadem similitudine viri in coenum delapsi utitur Chou-king loquens de infelici Tcheou. Vide supra.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Est periculosum Kan. Si roget, paululum obtinebit.

INTERPRETATIO.

Aqua tantis licet sit obnoxia periculis, potest tamen interdum aliqua via obtineri ad illa deprecanda. Nempe si is qui in pericula incidit, sit vir summa perspicacitate et fortitudine non absimili principio seu materiae coelesti Yang, cujus symbolum est haec linea secunda inter alias media. Princeps celeberrimus Yu diluvii aquas juxta earum naturalem propensionem coercuit. Aquarum alveos naturali cursu deduxit. Videre et sequi id quod convenit est, scire et tenere medium. Vir vere perspicax et fortis est tenax medii, facile obtinet qui illum adjuvet, viamque aliquam licet forte arctam sibi aperiri. Differt a primo, quod is sit pravo angustoque animo, nec idcirco habere possit a quo adjuvetur. Sapiens scit ex periculis in quae incidit, se recipere. Scit scilicet via oblata quacumque incedere. Obtinebit itaque, ut ait textus. Cur enim vero? quia, ait Confucius, nondum dedidicit insistere medio. Caeteri quod nunquam medium tenere sciverint, passim offensant, velut infra aquam lapsi, mox velut ex aqua exstantes, a quibus non ita abludit Horatius noster:

Pars hominum vitiis gaudet, constanter et urget
Propositum, pars multa natat modo recta capessens,
Interdum pravis obnoxia.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Sive veniat, sive abeat Kan Kan, quod est periculosum in principio fecit ut quiesceret. Ingreditur in profundum lutum Kan; ne utaris.

INTERPRETATIO.

Non utendum homine qui sive eat, sive redeat, movet pericula, aquae increscenti similis. Vix factum est ut evaderet quiete ex negotio aliquo periculoso, quando iterum in aliud ingreditur coenoso itinere minus explicabile.

Imprimis, aiunt, principi non expedit eo uti tanquam ministro. Debet sapiens scire procedere et recedere. Qui hoc nescit ad negotia inidoneus est. Velle procedere quando non convenit inhonestum est. Recedere non posse quando licet est durum. Usque ad finem nulla est gloria, ait Confucianus loci hujus commentarius.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Vas in quo includitur vinum est Koue (nomen mensurae frumenti) ad augendum scypho utitur. Sponsorem per fenestram recipit. In fine nullam est nullum.

INTERPRETATIO.

Exiguum quidem est pro munere offerre certa mensura vasculum vini, cultus causa addere unum pocu-

lum. Fidei datae cautionem solertia aliqua et velut per fenestram admittere, nihil tamen in eo culpae est.

Quarta linea, ait Tching-tse, Yn, quintae lineae Yang imperatoris locum exhibenti vicina est refertque magnum illius ministrum, non tantis tamen instructum dotibus, ut possit malis et periculosis temporibus imperii res componere. In hac tamen facultatis mediocritate est unice sincerus, fidelis, et apud principem auctoritatem habet summam. Potest idcirco ea uti ad animum ejus clara rerum notitia instruendum, et cum ob difficultatem omnia non possit, debet id facere, quod ipsi integrum est, erga principem reverens et sincerus, in amando bono perseverans. Nec dubium quin in his angustiis, si offerat aliquid leve observantiae causa (v. g. solum unum vasculum vini bibendi, unum poculum utendum) si fidei suo principi magis ac magis obligandae cautiones non aperte procuret, seu non more solemni, uti decet ministrum, sed industria aliqua ac velut furtim et per fenestram obtineat, illius agendi ratio placebit principi, licet id totum aberret a rectitudine rituum vel consuetudinum. Officiis fideique cedunt ritus, caerimoniae etc. Caetera quae apud loci hujus interpretes est, vel eodem recidunt, vel ab argumento aberrant. Quid enim ad epiphonematis sensum facit quidquid v. g. Tching-tse tradit de monitis imperatori palam dandis datisque olim, quae ipse refert?

Non omittendum tamen putamus id quod in glossa communi annotatur, hujus epiphonematis textum alludere ad ritualem librum Tcheou-li, qui ritus a Ououang seu potius ab ipsius familia regia Tcheou inductos auctore Tcheou-kong complecti dicitur. Nam in magna caerimonia, quorum meminit textus usui tunc fuisse et omnino observari ex eo constat.

Notum habemus itaque (ne id observandum omittamus) consentire tres libros Y-king seu Tcheou-y, Tcheou-chou, Tcheou-li familiae ejusdem Tcheou librum de mutationibus sensuque figurarum a Fo-hi relictarum, librum de historiis rerum tunc gestarum, librum de caerimoniis ac consuetudinibus illo tempore usurpari solitis. Ex quibus proinde manifestum est peti posse aliquam lucem, qua affectata interdum obscuritas, aliquando vero vel ex rebus jam non obviis, vel ex sententiae brevitate exsurgens illustretur.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Kan non impletur. Cum pervenerit ad aequalitatem, nullum malum est.

INTERPRETATIO.

Aqua nondum quidem fossam implevit; aequalis fiet tandem cum subjecta planitie altitudinis; nihil tunc mali.

Princeps ille, ait interpres, quem designat quinta linea regiis dotibus praestat. Potest imperium componere, sed id non potest statim et sine alieno auxilio. Satis est si mala decrescunt ut lutum quod aqua crescente diluitur, bona vero paulatim succedant, quando omnia erunt plana; tunc solum poterit dici nihil mali superesse. Nam, antea medium nondum est factum magnum. Ideo in textu dicitur: non impletur. Ita commentatur Confucius hunc locum,

EPIPHONEMA SEXTUM.

Ad alligandum trium torulorum fune utitur. Super spississimas spinas reponit. Ante tres annos non parcit. Hoc pessimum.

INTERPRETATIO.

Hebes imprudentia velut funis ex tribus torulis textus in carcere virum alligat. Eadem velut inter densa vepreta illum versat; nec ante tres annos his liberum dimittit. Quanta calamitas!

Virum rerum nescium et tamen in audendo imprudenter facilem exhibet, juxta interpretes, sexta haec linea. Imago, ait glossa, summi periculi quod ad extrema pervenit. Is vel incidit in calamitatem qua ita involvitur, ut ea expediri amplius non possit, vel saltem innumeris ac molestis negotiis se implicat quorum curis velut densarum spinarum aculeis pungitur, nec potest liberari, nisi moribus emendatis, juxta consuetudinem qua rei qui sua peccata corrigunt post tres annos vinculorum in carcere transactos liberi dimittuntur: id observat Ou-chi-ting. Inter instituta novi imperatoris Ou-ouang ejusque familiae regiae hoc erat in more positum ut magnorum vitiorum reos fune omnium densissimo ligatos praefectus carceris haberet. Si poterant sese emendare, post tres annos dimittebantur; si non poterant, e carcere ejecti occidebantur. Ad haec alludit Tcheou-kong, utpote tempore suo fieri solita. Nihil ut absurdius sit quam in his post impensum in vindicta principis Tcheou triennium certissime institutis, velle, nescio quae antiquiora aut futura eventa detorto textu requirere. A quo

tam inani stadio ita abhorruere sapientes Sinae ut a Confucio despectus et castigatus fuisse narretur discipulus Tsai-go, quod quaerenti regulo cur campum Sinice Che functionibus publicis destinatum antea pinis, postea cupressis, jam castaneis consitum haberent, ita respondisset de mente veterum ac si in his mysterium foret, ubi nullum erat. Conseverat, ut ibi notatur, quaeque familia regia mutato aulae loco quas soli ingenium amabat arbores.

CAPUT TRIGESSIMUM. Li.



EPIGRAPHE.

Li oportet ut sit solidum, ut sit penetrans. Si lactariam vaccam pascit, hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Li. Quod pulchrum est debet niti vero; ita penetrabit in oculos animosque. Non dominari sed subjacere debet non minus quam subjectissimum animal vacca. Tunc pulchrum erit et utile.

Pulchritudo digna aestimatione est, ait glossa, si ex vero recta existit. Corpus recte conformatum apta scilicet partium inter se consensione hoc ipso dicitur pulchrum, quo sensu inter res sua, inquit Tching-tse, cuique est pulchritudo; inter homines sua est cuique cum alio consensio. Haec ex vera ratione profluit, Haec est omnium negotiorum moderatrix; quae ab ea sunt merito pulchra dicuntur. Ut igitur hominis agendi ratio sit pulchra, debet solide inniti vera rectitudine. Tunc potest penetrare et sese insinuare animis, simul ac movet oculos delectatque. Subjacet itaque pulchrum vero; ad id significandum adhibetur nota similitudo vaccae et quidem lactariae quod sit summae subjectionis animal et ad

alendae submissionis curam domi proponendam idoneum. Quandoquidem pulchrum existit a vero rectoque, huic parendum est. Dominari saepe affectat pulchrum. Si non servit cui debet non est pulchrum; non est enim tunc apta partium compositio, tunc non est consensio; turpis est pars cum reliquis non consentiens. Rursus quod solido non innititur, non est pulchrum; tunc namque non innititur vero. Sol et luna, ait Confucius in Toen commentario hujus loci, coelo innituntur; tot diversa arborum, herbarum fragumque genera terrae innituntur; multiplex horum splendor vero innititur, et ideo annua conversione orbem perficit.

ADNOTATIONES.

1) Quod periculosum est longe ante prospici debere, aquae similitudine id Tcheou-kong capite proximo docuit. Nunc a periculoso recedendum et recedere ab eo pulchrum esse hoc emblemate admonet. Nomen LI significat vulgo recessum. Inter symbola Fohiana est nomen ignis, sed in hac epigraphe sumitur pro Li pulchro. Igne ut nihil pulchrius, ita vitandum ubi vicinius est. Ita commentatores quorum sententias simul conjunxi ne de re levi et tantum non inutili pluribus dissererem, nempe de nomine.

2) Ignis symbolum Fohianum hoc exhibet lineam Yn in medio duarum linearum Yang. Hoc vel oculis patet et a philosophis ita explicatur. Oportet ut Yn seu materiae terrestris aliquid igni insit, quod ejus soliditatem et firmitatem faciat, sed illud circumstat multiplex Yang linea e materia coelesti suam juxta naturam activa atque motrice, atque adeo Yang in igne dominatur atque vincit, qui modus loquendi Sinarum philosophorum non est magis reprehendendus quam interpretum Aristotelis et plurimum recentiorum v. g. Du Hamel de fossil. lib. 2. de igne loquens ait: ignis vel calor gignitur, cum subtilis materia regnat.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Pedes inextricabiliter sunt impediti. Si observat, nullum est malum.

INTERPRETATIO.

Enixe ab ascensu prohibetur. Observatione et cautione vitatur malum.

Ascendere est proprium ignis et principii Yang cujus index est haec prima linea. Si ascenderet, esset pulcher visu, hic vero est infra detentus a terra quam refert linea secunda Yn. Impeditur itaque quantum potest ascendere illum, cum non conveniat, nec sine pernicie contingere possit. Nec ulli pulchrum est eo in loco esse qui tunc ei non convenit. Sit quis natus ad summa, non omne tempus est ascendendi aut in excelso loco sedendi tempus. Quando id conveniat a nullo nisi valde perspicaci satis advertitur; at hujus perspicaciae alendae ratio est ipsa observatio et cautio. Ita interpretes Tching-tse, Ouang-chi, Fong-tsai, in commentariis regiis approbati.

Easdem metaphoras in reprimendo ambitionis aestu nostros etiam apud auctores reperire est quas ut vitiosas damnare debet quisquis Sinas ut nimios in hoc arguit. Satis sit illud

> Rectius vives . . . neque altum
> semper urgendo.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Flava lux, magnum bonum.

INTERPRETATIO.

Lux temperata multo magis delectat, beat.

Flava dicitur, ait communis glossa, quod flavus color sit color medii vel medius inter colores, et quod nitor illius sit in vera mediocritate inter nimis vividum et languidum, ideo visu pulcher est. Quod magis ferit oculos non semper delectat; ideo dictum est pulchritudinem debere niti vera rectitudine, quae tunc sita est in certa quadam aptaque proportione nimii ad parum. Pulchritudo, observat etiam Tullius noster, corporis apta compositione membrorum movet oculos et delectat, hoc ipso quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt. At hunc leporem non debere esse adscititium ex epiphonemate colligitur, sed ex medio et interiore decore honestique amore profectum.

Caeterum hoc epiphonema non ita differt a 22° dicto Pi. In Pi pulchrum id dicitur quod externae personae compositionem virtute tamen moderandam attingit. In hoc Li potissimum intelligitur pulchri nomine quod est publice decorum in partium consensu praecipue positum; sed hoc quoque ex recto veroque seu ex interiore virtute exsurgere docet Princeps Tcheou-kong,

EPIPHONEMA TERTIUM.

Claritas solis deficit a meridie. Instrumentum sonorum non cantat; cum sit decrepitus suspirat, hoc pessimum.

INTERPRETATIO.

Quod pulchrum est non durat. Solis splendor post meridiem videtur deficere, tympanum quantumvis suave aegre audiri incipit. Qui diu laetus vixit, ubi octogesimum annum attigit, ad suspiria cogitur. Nonne haec tristissima sunt?

Vox Sinica quae in versione decrepitum sonat a Sinis dici solet de sene 80 annorum. Itaque tempore principum Ouen-ouang et Tcheou-kong, saeculis ante Christum undecim, mortalium vita reburque corporis hoc in oriente, ut in occidente nostro, hodiernis sat cito urgebatur infirmitatibus malisque. Ouen-ouang tamen decem pedes altum refert Mencius lib. 2. c. 6. at ut docet epiphonema, nihil est tam viribus firmum, tam visu pulchrum, tam auditu jucundum, quod non sit totum suis obnoxium decrementis.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Veluti subito casu veniens, veluti comburens, veluti moriens, veluti deserens.

INTERPRETATIO.

Subito atque inhoneste irrumpenti, incendium excitanti, temere occidenti, deseri digno similis est.

Minister vitiis foedatus quem exhibet quarta linea sedi principis, quintae scilicet ut in aliis figuris, vicina. Ad hunc gradum re-

pente ascendit seu irrupit, nulla consueti moris habita ratione, ante cognoscendus quam introducendus aut tam alte promovendus. Cum non sit virtutis alumnus, ad principem accessisse videtur ut incendium excitet, quandoquidem ad bonum eum non traducit, sed ad damna atque multorum perniciem, amissa quae in punitione servari debet justitia. Ita infensus virtutis adversarius deseri utique dignus est ab omnibus, quod illi turpissimum est. Sed homines id genus ex infimo loco repentina fortuna ad summum auctoritatis fastigium excitati abutuntur plerumque auctoritate. Venit subito, ait Confucius in Siang, id est, indulgenter tractare homines nescit, terrere malis mavult quam opportuna indulgentia placere.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Lacrymae ex oculis impetu decidant. Tristis est velut singultibus anhelans. Hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Mali agniti sensu vehementer affligi, tristitiam testari et ad meliora sollicite aspirare bonum est.

Et licet pulchrum non habeatur nihilominus convenit regi quem quinta linea repraesentat; ubi is sui ministri indignas artes et perniciosam agendi rationem cognoscit, non debet pulchrum putare illum tueri illiusque instare vestigiis. Malit tunc carere a quo adjuvetur. Malis suis edoctus timeat, sit sollicitus, omnia intelligere studeat. Etiamsi haec cura tam alte animo ejus insideret, ut illi eliceret lacrymas et suspiria, hoc nihilominus bonum esset regnoque fortunatum; quandoquidem inde oriretur illius provectio et salus. Ita Tching-tse cum aliis.

Toen commentario traducit. Coelum et terra mutuo motu mutant res et mutando omnia producunt. Vir excellens movet mutatque hominum corda, qua conversione imperium pacificum reddit.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Pollicem digitum movet.

Movendo pedis pollicem, ait glossa, videtur velle ingredi ad agendum.

Sed enim nondum potest, sive naturae virium gradus infirmus hac prima linea exprimitur, seu vir adhuc inidoneus, cujus et eadem symbolum est. Utriusque actio illo in statu, ait Tching-tse, similis est motui pollicis digiti pedum qui certe non sufficit ad gradiendum. Quoniam pacto sufficeret ad movendos homines, qui plerumque moveri non solent una vel levi propensionis significatione, sed mutuae opis assiduitate, etsi non moventur, quae potest esse animorum actionum communicatio?

Licet autem hic sermo sit de motu mutuaque actione, totius tamen figurae sensus pertinet ad quietem et tranquillitatem, quae ex studiorum sibi invicem correspondentium consensione habetur; ita notat glossa, ita interpretes. Sed haec, addit Tching-tse, maxime patuit tempore Ouen-ouang et filiorum ejus. Quoties exsurrexit aliquid negotii, tanta egere animi consiliique communicatione, ut in quiete paranda ac fovenda praecipuum bonum posuisse videantur.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Poplitis junctúram movet, hoc pessimum. Si stat, hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Articulos cruris explicando exercet, velut sine alius ope ingressurus. Haec res si male succedet, bene vero si manet.

Aut, inquit Tching-tse, si determinetur alio. Exspectet scilicet dum a superiore moveatur pars corporis inferior a superiori, ad cujus motum ductilis sequaxque esse debet et cujus praesidio defenditur. Confucianus commentarius ad haec notat: in textu dicitur pessimum, mox subditur hoc bonum, id est, si sit obediens, nullum erit infortunium.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Coxendicem movet et sequantur quae habet illi adhaerentia, si eat, poenitebit.

INTERPRETATIO.

Moto femore movetur et qui adhaeret pes ad ingrediendum. Si ulterius progreditur, poterit esse poenitendi locus.

Femur, ait interpres, est supra pedem. Non potest moveri solum. Sequitur motum corporis ut movetur pede. At cor motuum corporis dominum potius dicere debemus; quo cor fertur illuc et corpus

sequitur; illud est intra et alendum est in medii amore; hoc est extra, scilicet hominum facta: quae malis consuetudinibus saepe conjuncta. Si subditi, si filii caeterique sequi jam non timent, futurum est aliquando ut illorum vestigiis institisse olim pudeat. Confucius, teste Mencio, olim ajebat, quod passim dicunt: si apprehendas, custodis, si dimittas, perdis. Nullo non tempore intrat et exit, quo vergat nemo scit, adeo mobilitate viget. Numquid revera de corde intelligendum est? addit interpres. Alendo itaque et custodiendo cordi maxima cura impendenda est.

ADNOTATIONES.

1) Quae ad interpretationem attuli excerpta sunt ex censura notis interpretum ab imperatore adjecta; inania quippe sunt pleraque, quae illi afferunt de similitudine inter figurae lineas et corporis membra; et quidem inconstanter. Aliis quippe duae lineae inferiores sunt pes et crus, aliis quarta est cor etc.

2) Istae formulae Sinicae digitum pollicem, poplitem etc. movere non multo duriores sunt his: ad rem digitum intendere, rem levi brachio perstringere, rei manum imponere, e re discedere, pedem referre etc. quae apud latinos scriptores leguntur.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Si solidum sit, bonum est. Nullus est poenitendi locus. Cum magna sollicitudine vadit et venit. Amici tuam mentem sequuntur.

INTERPRETATIO.

Cor recti tenax est causa boni, ita ut nihil eveniat illi poenitendum. Si cum impetu aestuque huc,

quo non debet, aliquando fertur, inde etiam refugit, etiamsi amicos male consentientes sibi habeat.

A corde, ut in aliis articulis, a poplite, a femore hujus epiphonematis similitudo, ait glossa, desumitus. Etiamsi, inquit Tching-tse, non dicatur movet cor, nihilominus subintelligenda est cordis vox. Praeterea cor, aiunt, non solum esse dominum motuum corporis, sed esse viam ad movendos alios homines, ita ut ira sua iram, amore amorem aliis velut afflet ac aspirando accendat. Contra est si solide rectum cor est. Causa est veri boni. Poenitendi causas non habet, quandoquidem extra rectum nihil esse vult

> responsare cupidinibus, contemnere honores
> fortis et in se ipso totus teres atque rotundus.

Talis vir ubi invenitur, statim adhiberi potest ad administrationem reipublicae. In imperio regendo quid opus est tot artibus, tot curis? omnes artes, modi, seu omnes regendi imperii viae eodem recidunt, ad unam scilicet, ad unam, inquam, viam, quae ad centum pertinet. Negotiorum quoque sunt innumerae species; in negotiis sunt casus infiniti; nullum est tamen quod non referatur ad unum, nempe ad sensum solide rectum. Haec ferme refert Tching-tse ex Confucio.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Scapulas movet. Nullus est poenitendi locus.

INTERPRETATIO.

Terga obvertit iis quorum illum poenitere potest.

Tergum, inquit interpres, est obversum cordi. Dicere: tergum habet obversum, idem est ac dicere:

est aversus a privato amore proprii commodi. Qui potest non commoveri iis quae videt, potest rectum servare in regendis tractandisque populis quorum rex est. Nullum itaque poenitentiae locum relinquit; imo, inquit Mencius lib. 2. vir quicumque, modo sit vir verus recti amator, non solum par est oneri unius regni, sed etiam totius imperii sustinendo. Imperium tunc erat divisum in multa regna.

Caeterum ad sensum nihil facit dissidium interpretum circa vocem Sinicam Mei. Kong-in-ta citat auctores antiquiores qui praeferendi haud dubie essent ubi agitur de diversa lectione. Sed obvertantur terga, vel humeri, scapulae, hoc idem intenditur, avertere se scilicet ab eo quod poenitentiae obnoxium est.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Mentum, genas et linguam movet.

INTERPRETATIO.

Hoc est, inquit Confucius in commentario Siang, ore et loquela impudenter superbit.

Confucium sequuntur alii commentariorum auctores, voluntque hac sexta linea adumbrari hominem parvum seu non solum genere et conditione sed moribus animoque vilem ad summi ministri munus repente evectum, de quo hominum genere eadem dicunt quae apud nostros auctores legere est. Illi efferuntur fastidio et contumelia; neque quidquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest.

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM. Heng.

Heng. tonitru . . . . . Tchin'g.

ventus . . . . . Suen.

EPIGRAPHE.

Heng est penetrans. Nullus est error. Oportet ut sit solidum. Loco ad quem ivit, est convenientia.

INTERPRETATIO.

Heng diuturnum, perseverans proprie dicendum, quod tale est ut penetrare ad futura tempora debeat, sincerum, solidum, conveniens.

Perseverantiae doctrina, inquit Tchingtse, posita est in his quae convenit penetrare in multa tempora. Quod est cum culpa seu cum errore non est dignum penetrare. Potestne ad veram perseverantiam pertinere? Sapientia instructus seu verus sapiens in excolenda virtute perseverans dignus est dici perseverans quia durat in eo quod sequi debet. Parvus seu insipiens qui permanet in sua improbitate non solum non est perseverans vocandus, sed ipsam perseverantiae viam amisit, si quidem devius est a recto cui soli inest vis velut ingenita penetrandi in omnia tempora, quandoquidem soli rectitudini et virtuti cedere omnia compertum est. Sexcenti sunt anni, ait Confucius, a tempore quo Ouen-ou ang in-

teriit, sed manet tamen hac nostra aetate lex ipsius et doctrina. Coeli, ait in commentario hujus epigraphes, et terrae lex durat, non cessat. Stata quatuor temporum revolutione producere semper potest. Excellentis viri pariter lux diu durans perficit orbis conversiones.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Continuitas profunda. Licet sit soliditas, pessimum. Non habet conveniens.

INTERPRETATIO.

In humili perdurare non est solidum, sed potius perniciosum. Certe non convenit.

Haec spectare, aiunt interpretum alii, hominem ad humilia natum, qui, juxta glossam, propendet ad infima. Is vix ac ne vix quidem ad sublimia erigi potest. Ejus animo nihil convenit eorum quae ad faciendos aliis animos adhiberi solent. Noverit saltem non esse sibi, unde tanquam de animi constantia glorietur. Non est haec animi constantia seu firmitas sed abjectio animi. Alii haec verba referunt ad insipientes, hortantur illos ad progressum. Omnia, inquiunt interpretes Lou et Heou, suum habent initium. Haec primordia quae forte sunt valde tenuia paulatim temporis vel sola continuitate crescunt ac perficiuntur. Ipsi Yao et Chan non ad summum pervenere nisi ingrediendo viam virtutis et progrediendo. Legislator Chan, refert Mencius, quis homo fuit? et ego quis homo sum? possum agere quod ille egit.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Nullus est poenitendi locus.

INTERPRETATIO.

Qui, interpretatur Confucius in commentario Siang, potest perseverare diu in medio, seu aurea virtutis mediocritate, illi nullus est poenitendi locus.

Medium, aiunt interpretes, exhibet haec secunda linea inter duas media, quarum inferior ad molle pertinet, superior ad durum; inter utrumque est virtus. Excessus dat poenitentiae locum. Ubi hoc medium servatur, in nullum extremum incurritur. Hic agitur de perseverantia, quia paucorum est perseverare. Solebat Confucius dicere de nonnullis philosophis qui suis ut populis sapientiae eximii cultores rudibusque ingeniis viderentur, semper in ore habebant veterum sapientum apophthegmata et moralia praecepta. Quorsum tot illae citationes veterum? quorsum toties appellare Li-ki (liber officiorum), passim ingeminare: liber Musicorum, liber Musicorum, si veterum documenta vita moribusque non exprimunt. At hoc commune est vitium ubique,

Mores antiquae plebis et idem
Si quis ad illa Deus subito Te agat, usque recuses,
Aut quia non sentis quod clamas rectius esse,
Aut quia non firmus rectum defendis.

Sed hoc hominum genus non virtutem, sed virtutis famam sequuntur. Ad hoc, inquit Mencius, unum omnia referunt ut probri ac vituperii puri esse videantur.

Tanto major famae sitis est quam
Virtutis.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Si suam virtutem in continuitate non constituat, forte aliquando illum pudebit. Licet sit soliditas illum pudebit.

INTERPRETATIO.

Cujus virtus non est in perseverantia illum pudere debet, quocumque nitatur fundamento. Contingere etiam potest ut reipsa pudore suffundatur.

Vir, ait Quang-ki-tse, virtutis sectator, ubi praeterit medium, non potest perseverare. Ista linea quae non est media et est firmi principii Yang index virum quidem animo fortem referre potest, sed fortem ultra medium seu auream mediocritatem. At animi impetus est, quae extra medium excurrit dicta fortitudo.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Si venatur, nulla est praeda.

INTERPRETATIO.

Venanti nullamque praedam capienti.

Similis est qui non perseverat in recta agendi ratione. Diuturnitate sola pariuntur fere merita. Ita Tching-tse cum aliis. Pereunt merita ante obtentum praemium, ut venatori elabitur praeda arcum armaque citius reponenti. Infelicius etiam succedet, si praedam quaeris ac venaris extra locum animalibus idoneum. Si, ait Confucius, non in propriae praedae loco, quonam mo-

do praedam obtinebis, si extra rectum vagaris?

EPIPHONEMA QUINTUM.

Suam virtutem in continuitate constituere est quid solidum. Erga mulieres est bonum, erga viros pessimum.

INTERPRETATIO.

Solidum est perseverare in virtute cuique propria, mulieres in obedientia bonum est; contra viros in audiendis illis v. g. uxoribus (plus quam satis est).

Si mulierem seu uxorem, ait Confucius in commentario, sequeris, hoc pessimum; quod de excessu quodam intelligendum docent interpretes, cum tam multa alia habeat philosophus de concordia domestica.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Superbam continuitatem efficere, hoc pessimum.

INTERPRETATIO.

In variis animum consiliis perseverantem habere infelicissimum est.

Qui est, aiunt interpretes, in alto loco quem exhibet sexta haec supremaque linea, a principe collocatus, debet habere animum quietum ac suis bonis tot tantisque contentum, ita ut satis esse putet suo in illo tatu perseverare posses. Sed enim hoc hominum ge-

nus animo infirmum est, sicut est linea sextae Yn debile genus. Vix ad verticem munerum publicorum ascendit, quando aliis atque aliis effertur consiliis et acquisita acquirendis continuare nititur; dum suis ipse molitionibus se suamque domum pessumdat; ita illi concludunt.

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM. Tun.

EPIGRAPHE.

Tun penetrans. Si parvum habeat soliditatem, debet ita esse.

INTERPRETATIO.

Insitum est rebus ut quod est tenue sensim invalescat.

Rerum nomine intelligimus et naturalia et civilia, ita ut tum in physicis tum in politicis verum sit rerum conversiones statusque revolutiones existere solere. Ita interpretes Sinae (quod in aliis figuris notatum est) civilia reipublicae administrandae praecepta petunt explicantque ex coeli terraeque mirabilis ordinis similitudine.

Tun vox, ait glossa, haec significat recedere, declinare, decrescere. Figurae lineae inferiores pertinent ad principium Yn seu illius frigus cujus ascensum et incrementa praenuntiant. Tunc enim oportet principium Yang seu calorem decedere, imminui. Ideo sexta luna dicitur Tun quae sequitur solstitium aestivum, quo sol incipit decedere; ita et ferme accidit ut sapientium potestas paulatim decidat. Licet autem illorum personae cogantur aliquando decedere, il-

lorum tamen doctrina non labilis est, at constans et in omnia tempora penetrans. Est cujusque rationi ac naturae consentiens, ingenita, innata, ut vocat Mencius, ad virtutem sequendam, ita ut in contrariam partem, ut vimineae virgae si vitiose torqueantur, contra vim enitatur.

Lineae itaque ultimae seu inferiores, aiunt interpretes, quamvis exhibeant adumbrentque graphice insipientes quorum dominatio sensim velut per vices exsurgit, nihilominus ut illi digrediuntur: ita illorum doctrina, utpote rationi naturaeque velut adscititia, exiguo tempore concidit. Sapientes virique illi eximii, ait Mencius lib. 2. Cap. 8. non solum dum vivunt, sed etiam postquam desierunt futuris omnibus saeculis sunt morum norma, disciplinae magistri vitaeque exempla. Insipientium postquam florere desierunt institutum tam est odiosum quam nomen. Sicut observat Confucius de nomine ultimi familiae Yn imperatoris Tcheou, quo cuilibet criminibus et ferocitate insigni a populo tributi tunc solebat.

ADNOTATIONES.

1) In praecedenti figura actum est de perseverantia ac diuturnitate. Sed cum in rebus humanis non expeti potest longior, obnoxiae quidem sunt revolutionibus, de his admonet praesens emblema tum de recessu et declinatione quod ideo priori a perseverantia Kyn dicto adjungendum est. Ita Confucius et caeteri interpretes disserunt de ordine nexuque mutuo horum emblematum seu imaginum.

2) Infra (ait Confucius in commentario Siang, sensus imaginum) coelum montes imago haec exhibet. Sapiens insipientes quam longe potest, submovet, non quod oderit, sed quod regiminis severitas ita poscat. Monti, inquit interpres, similis qui aurae fluere incipientis cursum sistit quantum potest.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Declinantibus in cauda est periculosum. Noli uti loco ad quem est iturus.

INTERPRETATIO.

Insipienti cedere usque ad extremum, est se exponere casui. Locus ille ad quem ita recedis, non is est ut in eo manere possis.

Concedere tantillum insipientibus improbisque interdum expedit, ne, inquit Confucius, malum potius exasperetur quam mitigetur. At ita cedere ut sensim sive adulatione sive metu omnia fere concedantur, nihil est periculosius quam opportune non obsistere huic improborum generi. Non jam petet, sed imperabit, non jam te sibi volet cedere, sed te praecipitem dare. Habet, ait interpres, cedendi doctrina suas leges suosque terminos intra quos solos recta consistit.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Assumens corium flavi bovis eo utitur. Quidquid sit, non frangetur.

INTERPRETATIO.

Non vincitur cedendo qui in hoc mediocritatem tenet, perinde ac non abstrahitur ab ea re quam quis apprehenderit corrigiis ex corio bovino flavi coloris.

Interpretatio tota est ex notis glossae communis et celebris interpretis Tching-tse. Qui scit me-

EPIPHONEMA QUARTUM.

Licet amet, declinat. Viro sapienti hoc bonum, Desipienti pessimum.

INTERPRETATIO.

Ab iis quae quis amat aliquando discedere necesse est. Hoc sapienti cedit in bonum, insipienti vero in malum.

Quia solus, ait glossa, scit potestque se ipsum vincere. Parvus non potest hoc a se obtinere. Ad haec pauca verba referuntur aliorum interpretum notae et commentarii.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Declinantes sunt laude digni. Si sit soliditas, hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Praeclarum est scire recedere unde oportet. In hoc habere constantiam bonum est.

A quibus recedendum, juxta interpretes, est, ea omnia causas habent in inordinatione rerum vel temporum. Si res est inordinata amore proprio, ab ea discedere utique quicumque debet, ut dignus laude habeatur, ait Tching-tse. At si agitur de admittenda aut dimittenda magistratiis dignitate, de prosperitatis ac adversitatis varietate similibusque rebus, videndum an cedere conveniat. Sapiens, in Confuciano commentario Toen, considerat quid tempus ferat et sese

tempori accommodando agit. Mencius duo hominum genera distinguit. Dignitas hominis duplex est, alia coelestis, alia humana, illa a coelo confertur; pietas, aequitas . . . diciturque coelestis dignitas hominis. Supremum imperii ministerium, magistratus officium, munus publicum est humana dignitas ab imperatoribus vel tribunalibus collata. Alii vocantur coeli ac velut coelestes homines, utpote qui uni coelesti legi assidue attenti, si vident se imperio prodesse, publica munia suscipiunt, sin minus, saeculum fugiunt.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Declinantes liberales sunt. Nihil est quod non conveniat.

INTERPRETATIO.

Facile cedere ampli cordis est. Illi nihil non convenit.

In epiphonemate quinto laudatur qui scit recedere, in hoc sexto qui hoc facile potest sine ulla animi aegritudine, ut qui in tertio velut aegrotus et irretitus producitur, in sexto velut liber amplique cordis quavis ex re prodire sciens proponitur. Haec est explicatio celebris interpretis Hiang-chi, haec discrimina ingeniose observantis; nec caeteri, licet verbosius, in alium sensum textus verba interpretantur.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Fortitudo necessaria est in digitis pedis; si ea pessimum erit certissime.

INTERPRETATIO.

Fortitudo imprimis requiritur ubi est aggrediendum ad aliquid. Qui sine ea aggreditur, non dubium quin in illum calamitas impendeat.

Nactus, monet Confucius, loquentem grandia, observato quod agat. Non itaque ex verbis etiam vulgi, sed ex cujuscumque factis aestimanda est fortitudinis magnitudo, ne negotio impari, sicut onera pedibus debili, si imponantur, eodem casu debilitentur.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Si sit soliditas, hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Fortitudinis bonum est ab ipsius soliditate.

Bonum, ait Confucius in commentario, hoc sane existat si in medio se continet fortitudo, seu nec temeritate a recto excidit nec socordia deficit; tunc siquidem solida veraque est. Quo itaque sensu nostri stoici olim fortitudinem definivere esse virtutem propugnantem pro aequitate; eodem Sinae philosophi et interpretes in his officiis fortitudinem constituunt; quae sunt ex media laude justitiae, quapropter damnant eam fortitudinem, quae in expeditione militari oculata non est, sed caedit nullo discrimine

inter nocentes et innocentes, sive obsistant, sive cedant. Id est virtutem projicere, aiebat Yo ducens exercitum contra rebelles; quantuscumque sit bellator, si ita abripi se sinit, fit igne ipso exitiosior. Is enim fragiles et inutiles lapides absumit, at non gemmas nec lapillos pretiosos.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Parvus homo seu desipiens violente agit. Sapiens non advertens agit. Licet sit soliditas, periculosum est. Aries vallum fortiter concutiendo sua cornua inextricabiliter implicat.

INTERPRETATIO.

Parvus homo, seu animi vilis impotensque viribus suis seu potestate sua violente abutitur. Sapiens videtur ne quidem ad eas advertere, dum agit. Licet id quod potest firmum sit, id omne adhibere periculosum est. Potest siquidem et nimium urgenti idem accidere quod arieti interdum contingit, ut dum vallum ex arundinibus cornibus assidue impetit, illis magis ac magis sese suo malo implicet nec recipere se jam possit.

Vir animo vilis impotensque qui in textu dicitur parvus homo, ait Tching-tse, nihil tanti facit quanti virium et potentiae magnitudinem. Inde est quod eis ferociter et non sine inani ostentatione abutatur. Sapientis vero consilia cum sint ratione firma, non debent fulciri violentia. Agit itaque ille perinde careret viribus et potentia. Animum quidem et ille fortem habet, sed suam ipse fortitudi-

nam scit intra aequitatis limites continere, ne turbulenta negotia excitet virium immoderato usu. Enimvero quid aliud contingere solet huic parvo seu impotenti, nisi incidere in infortunia, aut ad ea ita proxime accedere, ut vix ac ne vix quidem a lapsu prohiberi possint? Id patet ex similitudine arietis quae affertur.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Si ejus soliditas hoc bonum. Nullus est poenitendi locus. Vallum aperiendo non implicatur. Fortitudo ejus est veluti magni currus axis.

INTERPRETATIO.

Recta fortitudo constans est, parit bona, prorsus ut illius constantiae non poeniteat. Quin perrumpit tandem vallum, et velut axis validus magni currus onus sustinet.

Negotia scilicet difficillima quaeque negotia, quae tandem superat ita ut ea explicata planaque fiant. Is est interpretum, sensus qui alioquin ex textu satis apparet.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Facile arietem amittit, nullus est poenitendi locus.

INTERPRETATIO.

Scit sapiens sine ullo damno carere magnis viribus in agendo, ac velut, quando opus est, arietando contra alios.

Quinta haec linea exhibet principem tam pientem illum quidem sed debilem ob potentiam vassallorum quos adumbrant quatuor inferiores lineae, praevalentis principii Yang indices. Si vult vi illos regere ac velut luctando aut arietando obtinere, id difficile poterit, et est hoc ipsum semper bono principi molestum ac poenitendum. Dissimulet itaque et velut exspectet dum possit benevolentia et morum facilitate illos sibi conciliare. Tunc enim etiamsi adhuc remaneat magna illa cohors subditorum non minus potentium quam est rerum principium Yang, eorum potentia aut erit sine usu, ita ut princeps nullo negotio carere possit, aut erit perinde ac si totam arcta animorum conjunctione fecerit suam; ita interpres Tchinghtse cum aliis regii commentarii doctoribus explicant, et ita factum a Ouen-ouang et a Oú-ouang erga principes tum vassallos, tum e domo regia Chang ab eis solio exturbata docent libri canonici Tcheou Chou in Chou-king et ode Ouen-ouang in Chi-king. Isti familiae Chang etiam sint tanto numero, quam libenter se subdunt! Parent tanti imperatori quam conferti et certatim in nostra aula assistunt!

EPIPHONEMA SEXTUM.

Aries vallum fortiter concutiendo non potest redire, non potest convenire. Nulla est convenientia; si sit difficultas, hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Sicut arieti qui fortiter impetendi assiduitate vallo ita cornua implicavit, ut nec inde retrogredi nec ulte-

terius progredi possit, nihil magis conveniisset magnoque fuisset bono prius difficultatem experiri;

Ita et bonum est difficultates intercurrere quibus probentur vires et facultates eorum qui natalibus suis humiles debilesque ad magna reipublicae munera ambitiose viam affectant, ne scilicet negotiis quibus sunt impares ferendis a ruina prohiberi nulla ratione possint.

Ita interpretes et philosophi disserunt pluribusque excurrunt scilicet inde in moralia praecepta quibus monent nihil ultra vires suas probe sibi cognitas audendum. Brevius Confucius, in hujus loci commentario, ait: non potest redire, non potest convenire quia non accurate examinavit quantum posset. Quapropter

Versate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

Eo omnia istorum scriptorum monita recidunt.

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM. Tsin.



EPIGRAPHE.

Erga pacificum. Hoou utitur bene multis equis dono datis. In die ter solem convenire est.

INTERPRETATIO.

Imperatoris est erga principes (Hoou) clientelares, suosque magnates beneficum esse, et equis idque genus rebus instruere, quorum opera uti cogitat. At principum est imperatori suis studiis officiisque non minus assidue respondere, quam solet inter conjunctissimos se die ter invisentes.

Haec figura, juxta interpretes post Confucium in commentariis Toen et Siang, exhibet in parte superiore ignem Sè, ut illi explicant claritatem, lucem, in inferiore terram. Prima pars est symbolum benefici imperatoris, pars inferior est symbolum subditi beneficentiae regiae respondentis.

Rex et vassallus, ait Tching-tse, mutuo sunt sibi adjumento mutuoque splendori. Rex qui supra est suum splendorem longè lateque cum eo communicat, quem sibi tam prope admovet. Vassallus qui ita promovetur satis superque ex eo mutuatur, ut om-

nibus praelucere atque etiam ex longinguo spectari possit, unde iterum concludit princeps Ouen-ouang imperatorem et principes Heou atque magnates debere velut beneficiis officiisque certare, ut vera ac sincera sit benevolentia quieto imperii regimini necessaria. Se ter in die invisere, inquit Tching-tse, est consuetudo amore conjunctorum et uti legere est in ipsis libris Hie-king et Tsiao-hio mos est filiorum erga parentes, quorum imitationem proponebat Ouen-ouang eo scilicet tempore quo dissidium exoriri coepit inter principes clientelares et imperatorem Tcheou. Quanto autem populus odio arserit, ut olim arserat ad exitium principis Kie, colligi potest ex hac populi voce in Chou-king relata. Iste sol, se velut solem esse jactabat ille, quandone tandem occumbet? Dummodo occidat, nos communi cum illo casu opprimi non recusamus. Sol juxta Sinas est quidem imago regis, sed regis digni, erga suos benefici, in se virtutibus excolendo attenti. Claritatem, commentatur Confucius, supra terram exire est emblema quod dicitur Tsin. Rex sapiens suam ipse personam virtutum splendore illustrat, qui deinde suos in magnates propagatur.

ADNOTATIONES.

1) Ut res invaluerunt, suum obtinent decus, quod quidem non diu durat illibatum, sed potius ut summum attigit, jam incipit ut lux declinare et velut exire e terra, ait Confucius. Invalescere pertinet ad emblema praecedens 34, Ta-tchouan; ingressionem usque ad egrediendi periculum aut initium adumbrat haec imago 35 dicta Tsin.

2) Nihil communius est apud Sinas quam vocem Ji nunc solem nunc diem interpretari, nec apud nostros latinos insolens. Sine nube soles, id est dies pulchros et serenos, uti notum est ex contextu.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Velut ingrediens, velut repellens. Si sit soliditas hoc bonum. Licet non credatur, si est pacificus, nullum est malum vel erratum.

INTERPRETATIO.

Vassallus sit semper solide rectus, licet varios experiatur eventus, nunc ingredienti antea aggredienti similis. Amore quietis publicae sibi fidem facit. Quisnam itaque fuerit error?

Exempla fratris sui tacito nomine docet Tcheou-kong principes clientelares debere animum in rectitudinis bonique publici amore constantem habere, in quo id quidem velut decisum et approbatum supponit, quod tamen a nonnullis in dubium, ipsius etiam Mencii tempore, proponebatur his verbis: Kie et Tcheou erant veri imperatores, principes Tching-tang et Ou-ouang erant vassalli. Licuitne illis invadere imperium? Verum aetate, qua incredibili, ut dictum est supra, odio tota Sinensis natio truculentum Tcheou prosequebatur, cujus acerbitas diuturnitate temporis apud aliquos remiserat vivente Mencio, omnes tunc suam salutem in principis Ou-ouang suffectione positam censebant, ita ut minime mira videri debeat haec principis Tcheou-kong doctrina de constantia omnium obicum et eventuum victrice, praesertim iis proposita principibus qui boni publici rectique defensores, etiam favente coelo a populis praedicabantur. Dicitur, ait in commentario Confucius, velut repellens velut ingrediens, quia unicus recto institit scilicet Dux, Ouen-ouang. Nullum est malum quia

nondum accepit mandatum, id est coeli mandatum, quo ex Sinarum doctrina communi imperium confertur, interprete tamen imperii populo. Populus, aiunt, est verus imperii thesaurus, imperator est coeli filius dilectus. At si quando populus aerumnis premitur, imperator non sublevat, tunc justae populi querelae a coelo admittuntur. Ingruit vindicta, irruunt mala quibus princeps ad pietatem erudiatur. Nam quod adagio communi dicitur: coelum videt id quod populus videt, id audit quod populus audit, est verissimum. Tunc quae fiebant pro perniciosis habebat populus. Coelum eadem nonne damnavit immissis his calamitatibus?

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Velut ingrediens, velut afflictus; si sit solidum, hoc bonum. Istam magnam felicitatem a matre regis recipit.

INTERPRETATIO.

Principis constantia in coeptis etiam velut aegre urgendis proficiscitur a felici institutione matris.

In commentariis regiis id ab imperatore observatur de vera istarum figurarum explicatione adumbrari principis et vasalli ab eo dependentis rationem, quoties linea quinta Yang habet sibi secundam Yn infra correspondentem. Haec vero secunda Yn si quintam Yn sibique similem habet, tunc lineis significari praestantium mulierum correspondentem successionem. Sunt

porro imprimis scriptorum encomiis celebratae Tanmou tres matres, scilicet Tai-kiang mater reguli Ouang-ki, Tai-jin mater reguli Ouen-ouang, et Tai-sse mater imperatoris Ou-ouang, auctorisque epiphonematum Tcheou-kong qui sui fratris suamque felicitatem totam prosperosque susceptae molitionis exitus grati animi causa referre hic videtur institutioni matris suae, ut ipse notavit Confucius, Tai-sse et forte aviae suae Tai-jin. Nam utraque merito dici potest Ouang-mou mater regia. Non dicitur, addit interpres, Mou mater, sed Ouang-mou, regia aut regii mater, quod scilicet in domo regia institutio matris, dum pater publicis negotiis vacat, sit et magis assidua et magistrorum voci praevalens. Mater princeps (dicitur in Siao-hio) Tai-jin filium Ouen-ouang rem unam docebat et ille ex una centum inferebat, qua scilicet erat animi sagacitate.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Multi credunt. Non est poenitendi locus.

INTERPRETATIO.

Ubi virtus cognita fidem sibi facit, prius suscepta animi aegritudo evanescit.

Virtus vulgo non apud omnes fidem sibi facit, sed apud plerosque ingenii perspicacia aut rerum usu nobiliores, sicuti supra dictum est de Ouen-ouang filioque Ou-ouang, nimirum apud principes, magnates et sapientiores quoscunque tantae auctoritatis quanta

EPIPHONEMA SEXTUM.

Cornibus ingreditur; tantum contra Y (seu Lo-y, aulae) subditos oppositione utitur. Licet periculosum, sit bonum, licet solidum, erit cujus illum poeniteat.

INTERPRETATIO.

Tanquam aries cornibus utitur ad aditum sibi faciendum, ita et gubernanti aliquando opus est, ut vi copiisque armatis ad suos egregia in coepta adigendos. Est quidem aliquid in hoc periculi, at etiam multum boni. Id certe culpari non potest. Si solidum rectumque est, erit aliquando tempus, quando illos pudebit restitisse.

Sententiae hujus de adhibenda interdum a principe vi sensus ita est perspicuus, ut pluribus explicandus non videatur. Unum tamen inquiri posse intelligo: ex quo rerum illius temporis eventu praeceptio illa principis Tcheou-kong in vulgus velut elapsa sit? Nec longe a textu petendum est responsum. Nomen siquidem aulae imperatorum a nova familia Tcheou subactis pacatisque populis instauratae est Lo-y. Id omnino constat ex authentico libro Chou-king praesertim capitibus Tchao-kao et Lo-kao quibus multa narrantur quae gesta dictaque sunt dum sedes regia in Lo-y ponenda fuit, auctore operis totius principe Tcheou-kong. Si quid ideo factum est invitis multis etiam magnatibus, id causatur Tcheou-kong factum necessitate et ratione majoris boni, uti experientia deinceps compertum est. Imperator Ou-ouang in Chao-kao narratur, aulam volebat huc transferre, at per tempus

non licuit. Nunc itaque demum perfectum est quod voluit fieri. Qui successere, Han, ouang et alii ex diversis etiam familiis imperatores, urbem Lo-yang, ut vulgo vocata est, perpetuam aulae sedem judicaverunt; quandoquidem tot saeculis eam imperii caput esse voluere. Caeterum mutare aulam aut alio transferre non erat quidem, etiam non mutata dominatione, inauditum. Nam id factum multoties sub prima et secunda familia fuisse constat ex annalibus et authentico Chou-king; sed tamen, si recte expendatur historia, multa cum populi et magnatum offensione conjunctum. Extant in eodem Chou-king orationes imperatoris Pan-kang [1]) ad suos et quidem gravissimae, quas principes Ou-ouang et Tcheou-kong duobus solum fere saeculis posteriores certo ignorare non poterant. Si ego, ait inter alia [2]), hic diutius remansero, me et vos, o magnates, perdidero. Quanam ratione non invisus merito fiam abavo meo Tching-tang, ob inclementiam meam qua fieret, ut cum facile possem omnes servare, omnes perire permiserim. Cum mei praedecessores olim hunc in locum venere aulam regiam habituri, poterantne praevidere futurum, ut populus eluvionis calamitatibus obnoxius sensim periret. Ab eorum ita mandati coelestis studiosorum et populos amantium mente id certe longe aberat. Jam quinquies mutata est aula alioque translata a tempore fundatoris Tching-tang. Si eximios illius decessores, qui ad salutem populi mutandum aulae locum putarunt, hac in annuae eluvionis calamitate non sequor, nonne videbor nihili facere

1) ante Chr. 1406.

2) Chou-kjng lib. III. cap. 9. 10. 11.

hinc librum Y-king occurrunt, quas ultro omisimus et omittemus, tum quod nihil ad Sinicae sententiae sensus omnino faciant, tum quod perpaucae probabilesque occurrant. Ex paucis autem quarum (ut in incredibili vocum et formularum numero) similitudo vitari non potest, nihil de utriusque gentis genii certi aut verosimilis concludendum, credo, est, nisi forte libet insanire non minus Croesio, Homerum esse Hebraeum ejusque Odysseam nihil nisi historiam itinerum Mosis et Patriarcharum probare simili modo volente.

CAPUT TRIGESIIMUM SEXTUM. Ming-y.

Ming-y	☰ ☰	terra	Koen.
	☲ ☲	ignis	Li.



EPIGRAPHE.

Oportet ut in adversis sit soliditas.

INTERPRETATIO.

Mente solida virum res adversae probant.

Confucius in commentario hujus epigraphes ita explicat emblema sensumque. Lucem terra intectam exhibet figura haec Ming-y simulque sapientem intus seu animi perspicacia clarum, exterius seu corpore velut oppressum, servientem, maximis laboribus adversis exercitum. Talis fuit ipse Ouen-ouang, dominante, ut dictum est, crudeli Tcheou, in carcere detentus, caeso ante ipsius oculos optimo filio Pe-y-kao, et postquam liber dimissus est, innumeris insidiis ac calumniis appetitus. At illum solida vere mente principem nec vultus instantis Tyranni, nec improba aulae studia ab officio dimovere potuerunt; ita ut, notat Confucius, invicta patientia familiae Yn, qua opprimebatur, semper servierit. Adversorum experientia, juxta interpretem, veram scientiam acquirit sapiens, quod et rerum humanarum casus sentiat et virtutis periculum subeat. In hoc potissimum est, ait Tching-tsu,

emolumentum sapientis qui ita eruditus adversis scit apta dare consilia.

ADNOTATIONES.

Haec figura est inversio praecedentis. Symbolum ignis est jam infra symbolum terrae. Ignis, lux, supra terram prius exhibebat principem sapientem animi perspicacia clarissimum summo in loco existentem; nunc vero sapiens quantumvis animo perspicax velut in tenebris occultus atque sub umbra delineatur. Nomen itaque Ming-y a laesa claritate et tantum non oppressa aut a clara laesione deductum figurae convenit docetque ut in natura ita et in negotiis humanis succedere tenebras luci; de qua figura praecedens.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Ming-y volat. Ejus alae fatigantur. Sapiens in agendo tribus diebus non manducat. Esquo eat. Dominus habet quod dicat.

INTERPRETATIO.

Ignis splendore licet velut obtecto, ad superiora rapi non cessat, sed ejus agitationis vis sensim frangitur. Sapiens non ita ardenter agit, ideo diutius durat etiam impastus. Idem scit quo conveniat ire; et si dominus est, scit quid sit dicendum.

Juxta, addunt interpretes, temporis locique varietatem, non vero ad similitudinem ignis ad idem semper, nempe supra, sese moventis, rapideque fulminiocyus alis. Ita interpretes fere et imprimis Tching-tse textum hunc intelligunt. Quod ascendere proprium sit ignis, et principii Yang, cujus est haec prima linea, ideo dicitur volare. Sed cum hic terram quae opaca est subeat, illius vis laedi dicitur. Non

potest suam vim totam exerere. Parum aut nihil efficit ac velut frangit alas. Parvus homo seu animo vilis et abjectus minister, ut est hoc hominum genus elatum et praeceps, plerumque nocet suo principi, deterendo scilicet illius negotia agendaque quaecumque. Sapiens ita agit, ut, si necesse sit, plures, v. g. tres dies non comedere ad negotium clare perscrutandum, jejunus insistat. Vult vel minutias negotiorum videre, initia licet exilitate velut latentia statim introspicit, quod maximi momenti est, ne ex ignis scintilla quamvis obtecta incendium sensim prodeat. At vulgus hominum aeque ac magistratuum, cum hac sapientis perspicacitate minime valeat, nescit detegere malum, nisi quando increvit.

Caeterum facile est intelligere quod dicitur: tres dies non comedere, referendum esse ad morem ministris caeterisque id genus negotiorum causa principem adeuntibus consuetum, quo nisi jejuni et mane (ut nunc vulgo fit) venire jubebantur, sive reverentiae solius causa id fiebat, sive etiam rei maturius liberioreque animo examinandae ac principi aptius proponendae necessitas hoc modo cuilibet imponeretur. Ita certe interpretes sensum Confucii, qui morem hunc servasse a discipulis narratur, interpretantur, ut et reverentiae principi debitae et negotii explicandi gravitatis rationem habuerit.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Ming-y. "Plagam in sinistro crure patiens, si in curando equi viribus utatur, hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Cui inflictum est aperte vulnus, etiam sit solum in crure sinistro, prodest celeriter mederi.

Et procul dubio curabitur si prompte; quae tota interpretatio est communis glossae, ideo latine ad verbum a me expressa, quod caeterorum interpretationis summam complectatur. Ideo jubet textus, *ait* Tching-tse, ad curandum equi viribus utatur, quia nisi mali principiis celer occurris potenti medendi ratione altius penetrat. At de sinistri lateris plaga mentio fit? Manuum pedumque dexteri summus est usus; nullus est qui sinistro diu uti velit et dextrum non habeat praecipuum, laedi itaque in sinistro latere perinde est ac non alte laedi, non in praecipua parte plagam accipere. Cui praecavendi diligentiam excitare debet exceptus jam in alia ictus, licet minor. Ita philosophantur isti commentatores, paucis tantum voculis inter se dissentientes.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Ming-y, id est, aperte laesus in venatione ad meridiem magna. Capita excipit; non expedit solum urgere.

INTERPRETATIO.

Ubi est aperta laesio, v. g. in expeditione australi, ibi instandum est dum praecipua mali capita obtineantur. At interdum expedit ob integras eorum vires non festinare.

Ita se gessit Tching-tang fundator secundae familiae, detentus turre imperatoris Kie. Ita et Ouen-ouang tertiae domus regiae conditor ab imperatore Tcheou. Haec addit glossa communis textus interpretationi satis alioquin obscuri, ut non immerito de sensu aliquarum particularum disputetur. Haec verba: ad meridiem accipiuntur a non paucis dicta exempli causa, ita ut nihil singulare habeant. Aliis ut Doctori Thing-tse placet meridiem ideo appellari quod meridiana plaga sit prae caeteris lucida ac clara (Ming) indicetque, id totum, quod docet epiphonema, non posse fieri nisi a viro magnae claritatis seu eximie perspicacis. Probabilior est conjectura eorum qui alludi putant a principe Tcheou-kong ad meridionales imperii plagas in quibus victoria relata est, tum a Thing-tang imperatore Kie fugere cogito in Nang-gao locum a Chen-si tam australem quam qui maxime, tum ab Ou-ouang. Conjecturae favet communis glossa, principis utriusque agendi eadem ratio, et vox ipsa sinica quae ad litteram plerumque quidem venationem significat, accipi etiam potest pro quavis expeditione; imo accipitur a

nonnullis pro commoratione saltem temporaria, v. g. ad tres annos; quos totidem tum exilio australi principis Hie, tum principis Ou-ouang expeditioni tribuit historia.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Ad laevam in ventrem intrat, claritatem recondens corda possidet. Per januam exit domo.

INTERPRETATIO.

In penetralibus maligne latet. In latebris subditorum corda traducere ad se laborat. Idem tentat egrediens domo.

Sensus istius sententiae, ait glossa communis, distinctus nescitur. Conjiciendo et suspicando dici potest ventris nomine significari locum occultum, obscuras latebras. At cur obtegit quidquid habet splendoris? Quia, inquit Tching-tse, vacat securius abducendis cordibus a principe. Si exit domo, est quia fidem jam invenit in externorum animis paucis. Ista linea falsus subditus seu Vassallus adumbratur. Quis vero sit inter illius aetatis magnates? Et quorsum haec referantur? Nihil ubibi enucleati traditur imo ne conjiciendo quidem quaestio in commentariis explanatur. Secus est de sensu sequentis epiphonematis.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Claritas (principis) Hi-tse abscondita debuit habere soliditatem.

INTERPRETATIO.

Principis Ki-tse clara virtus licet se obtegere coacta nihil de sua soliditate deperdidit.

Clarissimus est hujus epiphonematis census ex exstantibus adhuc historiae antiquae monumentis quorum jam memini. Princeps Ki-tse erat filius Tai-ting imperatoris secundi ex secunda familia regia, primum dicta Chang et deinde Yn. Fratres habuit imperatorem Ti-y, ex quo natus est crudelis Tcheou a solio tandem deturbatus, et principem Pi-kan truculente regio jussu interemptum. Monitis ipse ut frater Pi-kan, suis tum privatis tum publicis nepotem suum in pejora labentem ad bonam frugem traducere conatus est. At cum saevitiam illius non mitigari consiliis sed exasperari animadverteret, efficta soliditatis specie obtegendam credidit veram illam qua valebat in negotiis peritiam ac sapientiam. Hunc vero postea tanti fecit novus imperator ut ubi primum imperium adeptus est, illum suam in aulam revocaverit, consuluerit prae caeteris magnatibus, ut patet ex Chouking lib. 4. eumque demum Coreae regem constituerit. Atque ex hoc exemplo concludit Confucius in Commentario: Qui inter adversa et labores potest aequabilis animi rectitudinem tenere, est alter Ki-tse.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Si nulla sit claritas erit obscuritas. Primum ad coelum ascendit, postea ad terram ingreditur.

INTERPRETATIO.

Claritati succedit obscuritas. Splendor oriens toto coelo diffunditur at postea cadens sub terra latet.

Ita saepe accidit sapientiae illustrissimorum principum et reipublicae administrorum, quorum gloria et splendor invidorum luminibus officit. Contra hanc itaque insurgunt, fitque ut tot eorum integumentis atque turbationibus interdum obscuretur. Quae omnia videntur iterum principem Ki-tse spectare et velut esse connexa cum praecedentibus encomiis. Qui laude dignissimi sunt, ait Mencius, innumeris obtrectatorum linguis impetuntur. Respice Confucium, respice ipsum Ou-ouang. Id ex oda Mien-mien lib. Ta-ya constat. Itaque infesta exterarum istarum gentium in se odia non valuit extinguere. Nihil tamen inde de sua existimatione deperdidit.

CAPUT TRIGESIMUM SEPTIMUM. Kia-jin.



EPIGRAPHE.

Kia-jin. Mulier debet habere soliditatem.

INTERPRETATIO.

Kia-jin id est domesticis quae praeest mulier sit solidae virtutis.

Kia-jin, ait interpres, nomine intelliguntur homines unius domus. Hujus figurae quinta linea est Yang et secunda Yn, illa symbolum viri haec mulieris. Unaquaeque sui symboli Suen et Li medium occupat significatque conjuges debere animo tenere medium rectitudinis, si mulier sit vere cordis recte, actione externa non poterit suam rectitudinem non probare. Quibus uxorem Tai-tse a Confucio in opusculis [1]) laudatam allumbrare videtur princeps Ouen-ouang. Hanc sibi in uxorem expetierat, quod eam solida virtute ornatam sciret. Illius opera sic filios totamque familiam instituit ut illi domus regiae tanta, haec quae consecuta est felicitas magna ex parte debeatur. Contra pernicies secundae domus

1) vid. Tchong-jong et Liun-ju.

Chang a truculenta foemina Tai-kia illo tempore imminebat; neodum obliterata erat memoria exitiosae foeminae In-ki-hi [1] imperatoris Kie cujus morte extincta est prima familia Hia; de quibus merito conquerendo in antiquis versibus canitur nomine scilicet totius utriusque posteritatis una mulier perdidit nos; domum nostram subvertit; terram nostram spinis replevit, desertam scilicet et incultam reddidit. Facta omnium malorum (quae utraque familia passa est) via etc.

Ne quid igitur suae quae a populis ad imperium vocabatur posteritati simile quid accideret, hac epigraphe Ouen-ouang monet filios et nepotes quam magni momenti sit eligere in uxorem quae mente et virtute solida sit, qualis reipsa fuit conjux filii Ou-ouang regina Ye-kiang a Confucio decem sapientissimis regni administris annumerata. A qua natus Tching-ouang-y, quae ad imperii diuturnam felicitatem a restitutore, septem intra annos mortuo constituta, nondum fuerant, sub tutela tutoris Tcheou-kong excitavit absolvitque; omnium populorum scriptorumque encomiis celebratus. Sinae enim ut nostri censent de filiis

> Gratum est quod patriae civem populoque dedisti,
> Si facis ut patriae sit idoneus, utilis agris
> Utilis est bellorum et pacis rebus agendis.

Vir, ait Confucius in commentario Toen, et mulier recti imitantur coeli terraeque aequabilem in agendo constantiam. Quando dicitur domus habet dominum legum observantissimum, de patre et matre dictum puta. Pater sit pater, filius sit filius, natu minor

---

1) Scribendum esse Mei-hi videtur. J. M.

ut natu minor se gerat, natu major ut natu major, maritus ut maritus, uxor ut uxor, hoc ipso composita est domus; imo restitutum est imperium, si quaelibet nimirum domus ita se componat.

ADNOTATIONES.

1) Hoc emblema constat duobus symbolis ignis et venti; ignis, velut interiore, venti, velut exteriore. Ventilo, ait Tching-tse, non semel excitatur ignis, et vicissim ignis factus vehemens producit ventum. Dici itaque potest ventum nasci ex igne; in hoc convenit figura Kia-jin de domesticis. Ex interiori debet prodire actio; si agendi ratio est intus, et domi clara ac perspicua recta; exterius foriscue ut aura bona, prodibit ex domo hac, ita bene ordinata, exemplum in alias spargitur proderitque toti imperio.

2) Domo tectus ac tenebris velut laesus splendor exhibitus ex emblemate praecedente Ming-y; unde vero ille existit? nisi a virtute domi diu exculta et exercita, de quo exercitio velut domestico jam in hoc emblemate agitur Kia-jin; bonae mentis germen, ait Mencius, quantumvis exiguum crescit, si probitatis exercitatione alatur, sin minus, perit.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Qui habet domum illam gubernat. Nullus est poenitendi locus.

INTERPRETATIO.

Domus arcte custodienda est, ne quid sit postea poenitendi.

Domus bene gubernandae, ait interpres, initium hoc est: domum custodire ac velut recte januam obmunire. Quo pacto facile inducitur

institutio proponi in exemplum digna, et obstruitur poenitentiae aditus. Si domus patet, ita ut quo uniquique libet, huc dilabatur, serius, ocyus, dominum subibit poenitentia.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Nihil est quod non possit intus. Ergo comedentes occupatur. Si sit soliditas, hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Mulieris potestas circumscribitur interiore domo. Illius est vacare quotidianis domui providendi curis. Constantia in his magno bono est.

Scilicet toti domui et familiae, imo et ipsi cujus vere, ut aiunt interpretes, laudis magna pars posita est in illo domestico successu accurate servando. Is ne brevi fastidiosus sit illam in domesticis negotiis sedulo occupatam ideo dici observant.

Insuper Confucius in hunc locum: hoc bonum notat: bonum hoc est in obedientia qua sequitur uxor mariti voluntatem circa sumptus caeteraque, ita ut invito illo nihil ab hac suscipiendum philosophentur Confucii ipsius interpretes. Obedire est laus decusque mulieris, sin minus, fit odiosa.

In sumptibus etiam domesticis debet sequi voluntatem mariti, cujus est sufficere metirique velut expensas ad opum suarum modum.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Si famuli sunt tumultuarii, licet sit aliquis poenitendi et periculi locus, hoc bonum. Si famulae effraenatis risibus, in fine erit poenitendi locus.

INTERPRETATIO.

Molestum ac periculosum quidem est domum habere famulos nimis ardentes et negotiosos. Potest tamen ex hoc studio interdum percipi utilitas. At ex joculari famularum licentia nihil nisi poenitendum existere potest.

Damnatur effraenatus, ait Confucius in haec verba, ille risus, quia domesticam modestiae doctrinam deperdit.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Domum ditat. Hoc magnum bonum.

INTERPRETATIO.

Mulier rei domesticae fovendae studiosa illam divitiis auget, quae est magna felicitas.

In eo, aiunt interpretes, posita est haec felicitas, quod hae fortunarum accessiones fiant assiduis curis et occupationibus sapientis mulieris, non turpi avaritia indignisque artibus comparari supponantur. Unde fit ut quae ad secundam lineam describitur erga comedentes occu-

CAPUT TRIGESIMUM OCTAVUM. Kouei.

Kouei ignis . . . . . Li.

aqua montium . . . . Toui.

EPIGRAPHE.

Kouei. In parvis rebus, bonum.

IETERPRETATIO.

Subire discrimina in parvis rebus, prodest.

Ut res bene ordinatae ac constitutae sunt, incipiunt dilabi, non repente tamen, at sensim et quasi per gradus. Unde fit ut diverso tempore diverse discrepent. Has discrepantias, haec discrimina vicesque saltem in parvis rebus experiri emolumento est. Hunc certe sensum subesse sententiae principis Ouen-ouang similia experti docent plerique interpretes, et quidem satis intricate, ut in capite difficili. Mencius utilitatem ex his mutationibus, etiam praeter spem contingere solitis, principi proponit. Si ille hostem non habuerit, si nihil a vicinis timuerit, unc turba adulatorum cinctus, regni cu-m negliget, otium amabit, deliciis indul-ebit. Exurgent interea populis querendi usae ex neglectis querelis seditiones, et seditionibus regni excidium. Vides igi-ex rebus nimium secundis, ex otio et ex

deliciis oriri etiam interitum. Contra prodest probari adversis. In parvis rebus, ait textus, quia, observat interpres Ho-chi-ki, si in parvis addiscit omnia in bonum vertere, ad idem in magnis consequendum eruditus erit.

ADNOTATIONES.

1) In praecedente capite actum est de recta domus institutione. In hoc agitur de hujus labe juxta conditionem rerum mortalium. Hoc itaque caput Kouei de labe seu de rerum discriminibus conjungendum est primi ad ordinem doctrinae figurarum. Ita disserunt interpretes prorsus ad sensum opusculi Confuciani de earum serie.

2) Habet emblema Kouei in parte superiore ignem, in inferiore aquam. Ignis tendit supra, sed aquae liquor pendet infra, ut intelligatur rerum discrimen et diversa conditio, qua fit ut haec deprimatur dum illa attollitur. Ita Tchingtse aliique imo, et Confucius in Siang (de imaginibus), ignem esse supra et aquam infra, dicitur Kouei. Sapiens licet unus est tamen diversus, seu diverse se agens pro diversitate temporum et negotiorum.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Nullus est poenitendi locus. Si equum deseras ne in illum incurras, ultro ipse redibit. Videt improbum virum, nullum est malum.

INTERPRETATIO.

Sapiens potest ita semper agere ut non illum poeniteat. Si cum improbis faciet ut nihil illi afferant mali, sed ad officium redeant, sicut solent equi solutis habenis sibi permissi, qui sponte redeunt ad dominum.

Improbi, inquiunt, interpretes, sunt a se ipsis diversi; in varia abeunt. In rerum mutationibus simul convenire solent plurima vilia capita angustique animi homunciones. Ab illis sese omnino separare, nihil aliud est quam facere nomen sapientis odiosissimum. Si sapiens non agit cum hominibus illis summa benignitate et patientia periculosius errandi causas illis dare censetur, dum malum exasperat; atque longe abest, ut possit ad officium pristinamque phasin traducere. Sapientis itaque in tractandis illorum animis tanta debet esse tum rationum efficacitas, tum agendi suavitas, ut etiamsi animum moresque non mutent, illi saltem a malis coeptis absistant, et licet bonum non amplectantur, in illud tamen propendeant. Confucius, aiunt, ab Yang-ho, schedula honorifica licet invitatus, non ivit, iterum donis sollicitatus iterum non ivit; non declinavit tamen ab itinere in quo ipsi occurrit. Simul in eodem loco fuerunt, locuti sunt, egerunt. Numquid ideo iidem? Imo propensione diversi. Facere ut omnes ad idem bonum propendeant, nec antiqui sancti assecuti sunt; ut vero boni cum improbis sine dissidio viverent, hoc sancti effecere, excitata in his ingenita coelitus probitate, qua semper patet aditus ad cor cujuscumque aut continendum aut reformandum etc.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Hero occurrit in via secreta. Nullum est erratum.

INTERPRETATIO.

Sapiens qui domino suo occulte (quando quidem aperte non potest) succurrit, non est culpandus.

Variantibus rebus subditum sapientem, seu qui est a consiliis, abscedere et longe abesse a principe magna est culpa. Si non potest accedere via recta est occulta, ut ait textus. Quo nomine intelligit, si non potest aliter, etiam per circuitus et diverticula eundum. Caput est ut illum conveniat. Licet circumeundo illi succurrat, id totum tamen non est indignum sapiente. Non est fallaciter agere, non est exire a via recti, non est a fortitudine deficere etc.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Visum currum detinet; ejus boves moratur; illius hominis capillos radit; nasum praescindit. Nullum est initium, est finis.

INTERPRETATIO.

Ut tandem improbi nocere desinant, sapientis est uti variis poenis, bonorum aliqua privatione, v. g. currus boumque; ignominia v. g. capillitii tonsione; corporis aliqua mutilatione, etiam more barbarum nasi. Ita quibus hominibus nunquam occurrit initium benefaciendi, vel invitis imponitur.

De sensu hujus textus non una est interpretum sententia. Expositio quam hic damus videtur caeteris praeponenda, tum quod verba explicantur ut sonant, ita ut illa ad sensus non obvios detorquere nihil opus sit; tum quod eorum contextus minime in varias sententias dividendus sit, sed totus ad unam referatur, quae scilicet est de vexandis improbis quorum imago juxta omnes commentarii interpretes est haec quarta

linea; tum denique haec explicatio cum notis et observationibus plerorumque componi possit.

En eorum notas in singulas textus partes.

ADNOTATIONES.

1) Currus cum bobus impedire usum aut eripere, est idem ac velle velut redigere ad summam paupertatum. Etiam nunc Tartaris Mongolibus est mos mulctare bobus, ovibus, majori minorique numero, quemadmodum nostris in regnis fieri solet de mulcta pecuniae.

2) In rituali qui circumfertur nostra aetate familiae regiae Tcheou, quae tunc temporis imperare incipiebat, praecipitur ut qui thesauro regio in locis destinatis et secretis addicebantur, raderent capillos, seu ut tonso capite ab aliis differrent, ut si effugerent, facile dignoscerentur, statimque reprehendi possent.

3) De amputatione nasi apud barbaros Miao-tse[1]) usurpatam jam dictum est supra. Hic tantum addemus observare ab iisdem interpretibus abscissionem nasi similesque crudeles ac difformes poenas quarum in legibus Sinicis nulla fit mentio et quarum tamen aliqua in historiis exempla leguntur, turbato solum imperio saeva aliquorum tyrannide contra nationis sensum fuisse usurpatas, aut solum in casibus quibusdam extraordinariis pervicaciae terrore majori frangendae, uti minatur Pan-keng suis magnatibus in Chou-king[2]), aut multo minus dominante Ou-ouang et ejus familiae subditis et sequentibus omnibus.

1) In Tcheou-li.

2) Chou-king lib. III. c. II.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Segregatus orphanus occurrit majestuoso viro. Si mutuo sibi credant, licet timendum, nullum est malum.

INTERPRETATIO.

Princeps a suis desertus velut orphanus, si potest accersere virum notae probitatis et auctoritatis, debet illi fidem adhibere. Mutua fide et sollicita cautione malum vitatur.

Hanc interpretationem debemus potissimum interpretibus Kong-in-ta [1]) et Ouang-chin-tse. Hi enim hanc quartam lineam volunt referri ad superiores, ita ut cum quinta exhibeat pro more locum principis, haec quae illi proxima est supponat pro subdito sed rerum administro et quidem antiquae probitatis et magnae apud populum auctoritatis. Contra Tching-tse [2]) hanc quartam cum inferioribus lineis comparat; qua suppositione videtur sibi belle exponere nomen orphani; sed cum id metaphorice dici perspicuum sit, potest merito tadere in principem, variante fortuna ita derelictum, ut inferiores illius salutis desertores sint, quod solum probat observatio interpretis Tching-tse. At minister principi fidelis et concors si illum adjuvet, si mutuo sibi, ait Confucius in Siang, credunt, nullum est malum, mentem siquidem assequuntur.

2) Kong-in-ta vivebat seculo septimo.
3) Vivebat seculo undecimo.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Nullus est poenitendi locus. Mordet carnem superioris. Si est, quodnam est malum seu erratum.

INTERPRETATIO.

A sapiente ministro fit ut princeps poenitere non habeat. Etiamsi illi non desint molestiae, ut totidem ingrati boli, vorandae, si quid tam eningrediatur negotii, aberit malum aut error.

Sensus satis est perspicuus ex sola interpretatione et ex dictis alibi. Doctor Tching-tse huc iterum refert exemplum ipsius Tcheou-kong, qui junioris imperatoris Tching-ouang nepotis sui ministrum agens, ita, ait, se gessit ut orbis (Tien-hia) seu imperium Sinicum non minus quam sub Ou-ouang, sed aeque, floruerit. At quam multas Tcheou-kong molestias vorandas habuerit, et ex aula exulare et fratres deinde suos exauctorare coactus, jam supra narravimus. Addi his observationibus unum potest vocem Kpue esse hanc ipsam vocem qua se compellat Ou-ouang dum in Chou-king agit de vindicta principis Tcheou, ut magis ac magis ex multis appareat similitudo inter Tcheou-chou librum historiae, Chou-king, et istum cujus figuras explicamus, Tcheou-y, de qua fuse et saepe supra.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Segregatus orphanus videt porcum coeno infectum. Supra unum currum diabolus positus est. Prius arcum praeparat, postea arcum remittit. Non est hostis, cognationem contrahit. Eundo si pluviae occurrit, hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Vir ultra modum perspicax a suis se deseri velut orphanum statim suspicatur. Si forte videt aliquem ex suis in malum negotium velut porcum in coenum incidisse, jam putat diabolum advenire, quo (ut pueri) territus mox parat arcum suum contra illum, at postea posite metu arcum quoque ponit, noscens illum non esse ex hostibus, sed ex suis sibi conjungi nitentibus. Quod tam felicitur accidit quam gratum utileque est cadere pluviam post aestus, quae inquit Tching-tse, existit ex nobili principio Yang, vili cum principio Yn immixto. Ut itaque illa grata, aiunt, decidit, ita et ex conjunctione principis cum subdito, amotis suspicionibus et dubiis unanimis agendi ratio laeta utilisque regno fit. Confucius in haec verba, si pluviae occurrit, ait, multitudinis suspiciones dubiave evellenda sunt. Periculosum est multitudinem suspicari se principi jam factam esse suspectam.

Caeterum tota haec interpretatio potissimum est e notis ac commentariis celebris interpretis Tching-tse, quibus nec semel verbo ad verbum institi. Diabolus, inquit, est sine forma corporea. Cum igitur dicitur diabolum esse supra currum, non est credendum esse, sed non esse. Suspiciosus tamen videt virum

sibi suspectum perinde ac si videret diabolum, aut velut audiret aliquem e vulgo clamantem, ut solet, diabolus venit, fuge, ut Kouei lai lao. Ex his colligunt interpretes, suos politicam perspicaciam habere limites. Hoc praeterire, sit idem Tching-tse, vitiosum est, extra quos aestuat saepe inanibus curis et interdum periculosis.

CAPUT TRIGESIMUM NONUM. Kien.



EPIGRAPHE.

Kien. Inter occidentem et meridiem convenit. Inter orientem et septentrionem non convenit. Oportet convenire magnum virum. Si sit soliditas hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Difficillimis temporibus convenit ire via magis plana, sicut est ea qua versus meridiem, quam ea qua versus septentrionem imus. Caput rei est ad aliquem virum praeclarum confugere cujus solida virtute in bonum convertatur quidquid mali est.

In rerum difficultate, ait Tching-tse, cum plerisque aliis, convenit sequi viam terrae planae. Non bonum est ultro sistere in loco periculoso. Nam tunc sistere idem est ac se injicere in difficultates alias ex aliis exstituras. At difficillimis illis temporibus certo exurgunt viri (Ching) excellentes quibus datum est liberare imperium a difficultatibus. Ideo dicit textus oportet illum convenire regiminis scilicet peritum, recti servandi tenacem, in recto constantem; atque in hac recti observatione positum est bonum de quo loquitur textus.

ris matrem nonnisi post vota, Chang-ti, summo imperatori, facta, concipere potuisse. Ipsam verb Kiang-youen quae una ex his imperatoris Ti-ko reginis in antiqua imperii historia dicitur, atque adeo vera erat certo conjux, licet tamdiu convixisset nullis susceptis filiis, decimo nihilominus a morte mariti mense peperisse principem Heou-tsie. At similia aliaque in odis poetice dicta tum in honorem matris e sterili repentino motu foecundae, tum filii ferarum aviumque obsequio sublevati, Mencio sapere non poterant, qui in locis libri Chi-king imo et Chou-king etiam magis verosimilibus docet suos discipulos, ut supra resulimus, non attendendum esse ad verba sed ad sensum ab auctoribus intentum. Nempe, *ut* multi monent interpretes libri carminum Chi-king ad commendationem principis Heou-tsie, tertiae regiae familiae Tcheou tunc regnantis Patriarchae, ut scilicet tanquam vir prae reliquis eximius et velut extra ordinem positus datusquae haberi a gente non immerito posset; nec Confucius nec Mencius nec Doctores quique ad similia recurrerunt ut Ouen-ouang, Ou-ouang suosque eximios viros Ching praedicarent effingerentque. Priores litterati, inquit Tchou-tse [1]) de illo partu, id procul dubio habuerunt. Nihil ergo solidi concludi potest ex his quae supponit Mencius; fluxerint 500 anni, quod non est, a Yu ad Tching-tang, a Tching-tang ad Ouen-ouang, et si vult ab hoc ad Confucium, inane est inferre etiam deinceps extituros similes post quinque saecula. Sed haec mittimus utpote philosopho parum digna, licet a multis interpretibus cum plausu excepta.

Confucius in commentario Toen totam hanc epi-

1) in Tsi-chou.

graphen explicat de sapiente seu perfecto principe, qualis erat illius auctor Ouen-ouang. Kien, inquit, significat hic laboriosum, difficile, quando velut a fronte instat periculum, illud sustinere et quasi sistere sapientis soliùs est. Inter occidentem et meridiem ire, est mediam viam ire, seu tenere medium inter plus et minus. Quae est inter septentrionem et orientem, ubi scilicet est oceanus, via, limites habet ultra quos excurri non potest. Oportet magnum virum convenire, nempe illum adire illique se adjungere, est bene mereri de imperio, est veram gloriam consequi. At debet esse soliditas in eo qui in dignitate acquirenda laborat; erit bonum quod tandem hac soliditate regnum statuet rectum. Quam belle confuciana haec explicatio congruat principi Ouen-ouang et filio Ou-ouang paternis monita et exempla secuto ex historia sinica sicut sine dubio ita sine oedipo intelligitur. Sed hujus jam meminimus non semel nec obiter in explicatione secundi emblematis Koen ad haec verba: intra occidentem et meridiem possidet amicos; intra septentrionem et orientem perdit. Qui enim intra occidentem et meridiem, principes foedere vel cognatione conjunctos his in partibus degentes, ut dictum est ibidem, amicos possidet huic temporibus difficilibus convenit ire inter orientem et meridiem. Caetera per se patent, nec difficile est quo pertineant omnia ex dictis iterum concludere. „Quod sensum, inquit imperator in sua censura, horum verborum inter orientem et meridiem, inter occidentem et septentrionem, una est priorum litteratorum sententia illum repetendum esse ex interpretatione secundi emblematis koen terrae et symboli ken montis.“

ADNOTATIONES.

1) Mutationes rerum quae accidunt et quae emblemate Kouei adumbrentur, sequitur dolor, periculum, labor, cujus emblema hic dicitur Kien. Subjungendum itaque, ait Tchin-tse post confucium, fuit priori Kouei.

2) Ab iisdem notatur hoc emblema exhibere suis symbolis aquam supra montem ad quam proinde hauriendam ingredi, scilicet ire ascensu laboriosum et difficile est, atque haec est causa nominis figurae.

3) Imperator in censura hujus epigraphes observat, non esse intelligendam de homine qui vult ingredi statim seu ascendere, sed potius de eo qui sibi interim recedendum putat, licet habeat ascendendi animum, quod nondum sit tempus montis superandi, seu difficultatis vincendae. Igitur dicitur quidem, ait, in textu, convenit at non dicitur nunc convenit etc. melius siquidem censent vel e medio cursu recurrere quam male currere.

4. Observat denique in mappa (parte 1.) quae a Fo-hi ordinata dicitur et (ut dictum est in Koen) ad octo horizontis plagas translatis nominibus traducta etiam est, punctum medium inter occidentem et meridiem dici Tchin a tonitru, quod vero inter jacet orientem et septentrionem vocari Suen a symbolo venti. Verum hoc in emblemate alludi quidem ad antiquam octo symbolorum mappam sed mutato ordine inversam a Ouen-ouang; a quo inversus tunc status imperii non male exhibebatur. In hac autem inversione punctum medium inter occidentem et meridiem vocatur Koen a symbolo terrae et medium inter orientem et septentrionem nominatur Kon a symbolo montis. Quae omnia facilius intelliguntur ex figuris quam ex explicatione longiore. Ea tamen non omisi obiter perstringere, tum ne in commentariis non animadversa lectorique prorsus ignota videantur, tum quod ea nostrae interpretationi aliquod momentum afferant. Si enim Koen est inter occidentem et meridiem, tunc ipso ex textu constat referre ad sensum secundi emblematis Koen, sin minus, textus dissentiat necesse est, quascunque illa sit ab hoc sensu aliena. Sed de his satis.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Si iverit, pericula, si venerit, laudes recipiet.

INTERPRETATIO.

Iniquis temporibus etiam cum periculo in negotia ingredi sapienti aliquando convenit, aliquando etiam non ingredi laudabile est.

Ire, inquit Tching-tse, ulterius, est ingredi, venire est non ingredi, abstinendum itaque ab ingressu interdum est; scire vero quandonam agendum sit rara scientia est. Confucius in Commentario textus nihil definit, satis habens dicere: significant haec quod oportet expectare.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Regis subdito ex periculo periculum, non est illius causa.

INTERPRETATIO.

Iniquis temboribus fideli ministro non suâ sed sui regis causa pericula quaeque obvia adeunda sunt.

Animum debet, ait interpres idem, habere principem e periculis in quibus versatur liberandi, et licet forte quod debilior sit, non possit illa superare, nihilominus est summa laude dignus, nedum aut imprudentiae aut temeritatis tunc argui potest. Eum absolvit Confucius in commentario hujus loci, dicens: nulla tenus erravit. Mencius refert exemplum discipuli Confuciani Tse-sse inter regni Ou-ei administros

externo ingruente bello versantis; is ad fugam a suis litteratis invitatus respondit: „Si ego abiero, ecquis ad defendendum regem manebit? absit ut fugiam. Pro rege et patria mori decorum.“ Exemplo scilicet sapientis continentur caeteri et defectio impeditur.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Si eat, erit periculum. Redeundo venit.

INTERPRETATIO.

Quando ulterius provehi volenti incurrendum est in praesens (fortunarum aut capitis) discrimen, tunc retrocedendum est vel subsistendum. Retrocedendum, docent Tching-tse aliique sub familia Song scriptores; subsistendum, interpretatur Kong-in-ta cum suis sub familia Tang commentantibus. Levior est haec disputatio quam ut eam pluribus prosequamur. nam sive recedatur, sive subsistatur, illud inter eos convenit non lacessendum tunc periculum.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Si eat erit periculum. Veniendo curabit.

INTERPRETATIO.

Quod eunti timetur discrimen, illius praesentia depellitur.

Narrant de Ou-ouang dandestina adversariorum

consilia sua celeritate antevertisse, ita ut eo praesente nihil movere ausi sint, et vel inviti suis sub signis meruerint. Confucius ait: „curabit, id est, vere dignitatis sedem obtinuit.“

EPIPHONEMA QUINTUM.

Est magnum periculum, amici veniunt.

INTERPRETATIO.

In ingenti periculo quisquis fidelis est debet succurrere.

Hic agitur de periculo regis, quod ideo dicitur juxta interpretes magnum seu non vulgare. Amicorum nomine intelliguntur fideles subditi qui ad illius auxilium veniunt. Haec interpretatio est communis et tam textui quam figurae convenire videtur. Nam licet haec quinta linea principem indicans hic ut alibi sit in medio, nihil tamen hoc in emblemate quod est de periculo significare boni potest, quandoquidem in medio periculi versari non est mediocriter periculosum. Ita illi satis argute respondent objicientibus: quod in medio est seu aurea mediocritate situm, non potest dici periculosum. Solidius et brevius monet Confucius in commentario, medium cujus toties meminit Y-King liber, non eodem semper modo haberi, sed esse medium juxta circumstantis.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Si eat erit periculosum. Si veniat fiet magnus. Hoc bonum; oportet convenire magnum virum.

INTERPRETATIO.

Animi magnitudo etiam elucescere potest in periculo quod jam aditum erat deserendo opera magni viri qui convenitur.

Insectatur, docent interpretes, Tcheou-kong falsam animi magnitudinem quae in adeundis periculis cernitur, at quae prudentiam negligit. Ne suae gloriae aliquid desit virorum praestantium opera consilioque carere mavult quam secure cum publica auctoritate abscedere in quod imprudenti audacia irruit. Addit princeps his quae antea et alibi dixit de doctrina suo quoque tempore cedendi, non esse magno viro et cum fuerit bello clarissimus, magno duce indignum receptui canere interdum a periculis jam aditis implorato et expectato aliorum auxilio, ubi praesertim utile est. Nam juxta sapientes sinas et juxta nostros philosophos, animi elatio si aequitate vacat nec pugnat pro utilitate publica sed pro suis commodis sua que gloria in vitio est. „Vir contra utilitatis publicae magis quam famae cupidus abscedere sciens est, inquit Confucius, vir consilii dicendus est.“

CAPUT QUADRAGESIMUM Hiai.

Hiai tonitru . . . . . Tchin.
aqua . . . . . Kan.

EPIGRAPHE.

Hiai intra occidentem et meridiem convenit. Non est quo eat. Veniens si rursus eat, hoc bonum. Si eat, quo vadat, et rursum incipiat, hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Hiai ad vitantum periculum convenit ire via plana, simili ei qua iri solet versus meridiem. Non habet alio eundum, et si alio ire tentaverit, optimum fuerit redire. Imo bonum est etiam quam primum reverti ex itinere ita inito.

Convenit inter occidentem et meridiem id est, ait glossa, convenit esse in plano, aequabili, quieto, qualis est terra ab occidente ad meridiem. Quandoquidem non est quo eat alio, oportet haud dubie illum redire ad pristinae quietis locum; quod si existimat alio se ire posse, experturus cito eat, et citius redeat periculum expertus; neque enim sapientis est inter turbas sine causa versari.

Monet etiam, interpres Tching-tse, cujus explicatio cum glossa convenit, eum qui ex periculis se et populum liberavit non debere unquam asperius agere

cum quibus dimicatio fuit, idque nec magnanimi nec prudentis principis esse quo nihil dignius placabilitate cordisque amplitudine. Offert exemplum ipsius Ou-ouang. Is ulturus saevitiam imperatoris Tcheou evertit quidem ipsius solium, at nihilominus animi facilitatem amplamque benignitatem reservavit ad reliquos adversarios ipsumque filium Ou-ken quem, ut dictum est, dictione regulique titulo donavit; quod dicitur in commentario Confuciano Toen, convenire inter meridiem et occidentem, id est, eundo obtinere populos referri quidem potuit ab interpretibus ad Ou-ouang, cujus aula constituta fuit ad regionem quae ab urbe Si-gan-fou nunc nominatur. Est siquidem illa in parte occidentali imperii ad meridiem declinante. Videtur tamen aptius cadere in Ouen-ouang vel potius in illius atavum caeterosque majores, qui primum exiguae tantum regionis in occidentali provinciae Chen-si limite dynastae cum tota sua gente aggressi sunt iter et pervenerunt in terram Pin, nunc Pin-tcheou, uti canitur in odis libri Chi-king et post aliquot saecula ulterius progressi aulam fixere ad Ki-chan, ubi nunc visitur urbs Fong-tsiang-fou.

ADNOTATIONES.

1) Tonitru in pluviam solvi, ait Confucius, incipiens videtur in hac figura dicta Hiai. Quod sapiens non semper inardescat ad excedentium punitionem, non ideo vult crescere eorum peccata. Vult solum, aiunt alii, cordis amplitudine illos a periculosis exacerbationibus revocare ad quietae securitatis fovendae studium. Verum multi se magnos existimant si multa moveant et se cuique rei immisceant. Stare nesciunt in loco quem natura aut sors quietum dedit. Vix intelligo, inquiebat suo tempore Confucius, quomodo fiat ut homines rerum tam ignari sint tam activi et tam expediti ad quaecunque tractanda negotia, ni tamen illis creditur.

2) Nóminis Hiai ex glossa sensus est, explicare difficultates, discutere periculum; est ex commentario Confuciano, dimovere periculum, vitare. „Ubi, ait, tonitru in pluviam abit, ea praeter spem omnia genera fructuum, arborum, herbarum recreantur. Pericli depulsi aut vitati, Hiai, tempus magnum est laetitiae et utilitatis ex eo emanantis magnitudine.“

EPIPHONEMA PRIMUM.

Nullum est malum.

INTERPRETATIO.

Nullum est malum, si quae ad rem, quae difficilis videtur, componendam adhibenda sunt, durum et molle, ad aequam convenientiam exigantur. Ita commentarius Confucianus, caeteri interpretes nihil melius habent.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

In venatione tres vulpes capit. Sagittam flavam obtinet. Si soliditas hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Ad periculi amotionem, sicut vulpes in venatione capiuntur, ita viros subdolos deprehendere bonum est. Sed ad hoc obtinendum magno inesse debet animo soliditas, ita ut non magis a recto declinet, quam a scopo sagitta valida, ut aurea.

Hujus textus, ait glossa, sensus non habetur particulatim distinctus, ignoratione scilicet rerum et

personarum illius temporis quo ista scribebantur a Tcheou-kong recenti actorum dictorumque memoria.

Forte, ait interpres, tres vulpes alludunt at tres lineas In, subditorum infimi pravique animi, ut alibi notatum est, seu parvorum indices; forte etiam ad tres e ducibus conditori novae monarchiae insidiantes similes saltem tribus principibus Ou-keng, Chosien et Cho-tchou, a principe Tcheou-kong deprehensis et debita poena sub filio imperatoris Ououang affectis. Id genus insidiatores subdolosque ministros detegere licet magni momenti semper sit, non est interdum vulgaris perspicaciae. Magna utique opus est mentis soliditate tum in discernendo tum in agendo. Oportet enim (in Confuciano commentario) medii legem tenere. Si percutiendum est, ait interpres, utendum est aurea sagitta valida quidem sed flavi coloris seu coloris medii.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Onustis humeris sedet in curru; inducit latrones; licet soliditas, est poenitendi locus.

INTERPRETATIO.

Qui opes quibus sedens oneratus est velut ad pompam in curru ostentat, allicit latrones. Licet sit animo solidus seu intrepidus, debet illum poenitere.

His, inquit Tching-tse, recte adumbratur quisquis ex ministris suam dignitatem in pompa constituit. Confucius hanc pompam non solum inanem, sed reipublicae periculosam, utpote ardentis inferiorum cupi-

ditatis fomitem reprobat. Si nos magistratus latrones induximus, ecquis erit e populo quem poeniteat aliqua audere?

EPIPHONEMA QUARTUM.

Aperit pollicem. Venientibus amicis fidem adhibet.

INTERPRETATIO.

Ut ad agendum aggreditur sapiens, ad illius, tempore difficili, auxilium veniunt alii sapientes, ut amici quibus fidere potest.

Sola illorum sapientum consultatione difficultates superare potest. Sed enim abigi debent parvi, seu parum sapientes, animi viles, a quibus potius, ut in praecedenti, accersitur periculum quam avertitur, ut scilicet pateant aures principis solis sapientibus quippe solis recti et sinceri amantibus. Si patent aliis, forte sua audacia fidem aliquam sibi faciet improbitas.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Sapienti duntaxat aperire, bonum. Expedit facere ut parvus, seu desipiens credat.

INTERPRETATIO.

Princeps ad quem aditus solis patet sapientibus, hoc ipso sibi etiam fidem facit et auctoritatem apud vile desipiensque vulgus.

Coactum ex conquisitis toto imperio sapientibus concilium tantum fama apud omnes vel infimam rudemque plebeculam valere necesse est, quantum postulat auctoritatis tuta ac quieta reipublicae gubernatio. Improbis ferme ad turbas et seditionem propensis et praesenti regimini obtrectare solitis, os occluditur communi populi plausu, ipsiusque fide erga eos quos aestimat omnis turbandi causa tollitur. Ita censent philosophi Sinae. Confucius in haec verba „aperire sapienti“ notat, his indicari retrocessionem parvi seu desipientis vel potius ineptorum improborumque ab adytis consiliisque principis summa populi approbatione.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Kong (dignitas sinica) avem nominatam Siun vel Chun in alto pariete sagittans capit. Nihil est quod non conveniat.

INTERPRETATIO.

Qui sibi non cavet ex alto gradu aeque facile dejicitur quam avis (accipitris genus) sublime volans in ipso parietis excelsi fastigio configitur a principe. Et quidem ita fieri omnino convenit.

Ex interpretatione sensus patet, id addam utique unum, a Confucio non intelligi de solo incauto, ut ab aliis fere omnibus, qui nec intus nec exterius attendit securusque est, sed etiam de eo qui temere audacter injusteque insurgit in principem. „Avem sagittat, id est, rebelles dissipat seu „rebellionem dissolvit.“

CAPUT QUADRAGESIMUM PRIMUM. Sun.

Sun mons . . . . . Ken.

aquae . . . . . Toui.

EPIGRAPHE.

Sun. Si sit solidum, magnum est bonum, nullum est erratum. Expedit ut sit rectum. Loco ad quem ivit est convenientia. Si quaeras quanto utendum sit, in oblationibus expedit uti duabus mensuris Koue.

INTERPRETATIO.

Sun, seu (vectigalis causa) minuere, subtrahere, non solum culpabile non est, sed valde utile. Si recte fit quocunque in loco fieri convenit. Quantumne? parce omnino quantum ad publicos usus; et si v. g. duae scutellae Koue in plebejorum oblationibus usurpatae sufficerent, satis esset eas exigere.

Si exactio, inquid Tching-tse, cum aequitate et rectitudine fit, potest fieri perpetua. Nam quod rationi, convenit facile a caeteris hominibus admittitur. At forte ratio ipsa offenditur, vel quia nimium est, vel quia dari nondum potest, vel non semper debet.

Princeps Ou-ouang hujus epigraphes auctor dicitur et ab historicis et a Mencio dum suam antiquam borealem dictionem administravit, non accepisse ex 100 nisi unam partem frugum, licet ita fuerit severus in exigendo labore a populo, ut poenam statueret iis qui terram non colerent, qui cannaben et moros non sererent circa domos suas, quantum vestiendis suis cuique familiae sufficeret. Ut tamen crevit principis hujus et filii Ou-ouang potentia, plus exigendum fuit. Deventum est ad antiquam morem unius partis ex decem praeter ea quae communibus principam regulorumque contributionibus imperii vel tuendi vel proferendi causa fiebant. Antiqui, refert Mencius, sedi imperiali attribuerunt mille Stadia (seu ex nostris magnis leucis centum) ad vectigal exigendum. Si pauciora tribuissent, non habuisset satis patrimonii imperator ad sumptus necessarios in excipiendis liberaliter principibus statuto tempore adeuntibus aliisque id genus subeundis. Boreales, (quorum exemplum objiciebatur) populi exteri nomine Me non urbes habebant nec palatia, nec parentales aulas, nec sumptuosas parentationes, nec mutua principum se invisentium munera, matutina ac vespertina convivia, nec tam multa officiorum genera, nec illis fungentium innumera paene stipendia. Pauciores itaque ab illis sumptus fiunt, adeoque vel una vigesima pars ex collectis frugibus, quam illi contribuunt, abunde est.

ADNOTATIONES.

1) Emblema hoc montem supra, lacum infra exhibet. Mons attollitur, lacus alte descendit; is alteri subjacet, at

aquae humor spiritusque supra ascendens herbas, arbores et omnes plantas rigat recreatque, ita ut in montis qui ita viret decus et commodum cedere videatur. Non aliter ex subditi populi tributis existit principis potentia splendorque, et ita fieri necesse est, ne regnum sine sufficientibus propriae magnitudini viribus aut vastitati cuicumque subjaceat aut exhaustum consenescat. Recreatur autem annuis tributis totum sicut annuis imbribus rectaque derivatione revirescit, quae omnia ex variis licet commentarii locis collecta debeo imprimis interpreti T c h i n g - t s e.

2) Ab his tamen videtur differre Confucius in S i a n g imaginum explicatione. Ait enim: i n f r a m o n t e s a q u a e l a c u m h a b e t figura Sun. S i g n i f i c a t suppressam subjectamque s i b i h a b e r e i r a m et cordis desideria d e b e r e i m m i n n e r e. Verum haec reipsa tantum cadunt, ut loquitur textus, in r e c t i t u d i n e m qua imperans exigensque vectigalia eminere debent, quae certe non habetur nisi domitis cupiditatibus. Nam in commentariis hujus epigraphes T o e n clare eam intelligit de subditorum suo principi contributionibus; i n f e r i o r i b u s s u b t r a h i t, s u p e r i o r i b u s a d d i t, h a n c l e g e m s u p r e m a m f a c i t, vel, ut verba etiam sonant, praecipue vigere vult ac velut dominari supra omnes, ut dum singuli de suis privatis thesauris aliquid minuunt, superioris nempe principis publicus thesaurus crescat aut impleatur, quae est propria significatio vocis Sinicae. Liquet itaque ex hac utriusque commentarii Confuciani collatione eandem esse philosophi cum caeteris interpretibus sententiam.

EPIPHONEMA PRIMUM.

A negotiis suis se recipiens, abit celeriter. Nullum est erratum. Convenientiam minuit.

INTERPRETATIO.

Est veri subditi sua emolumenta deserere, ut adsit principi; nec quod non ita attendit an conveniat, culpandus est.

Ita variarum aetatum interpretes epiphonema intellexere, Tching-tse, Tchou-tse, sub familia Song prima regia Kong-in-ta cum suis sub Tang: His adumbratur verus subditus qui sibi ipsi parcus est, vultque velut se exhaurire, ut serviat superiori (scilicet suo principi). Nec, inquit Tching-tse, meriti decus honoremque quaerit. Suo non defuisse officio satis est. Qua certe doctrina nihil reipublica utilius aut ad veram laudem ei vilia inter negotia parandam aptius tradi commendarique potest. Ne nostri quidem antiqui Stoici animos altius extulere, teste Tullio illorum doctrinam exponente: Si qui rempublicam fundarunt, si qui in patria liberanda egerunt, rogentur quid spectaverint, quid secuti sint, num quis existat, cui voluptas cui divitiae, cui denique praeter officium fortis et magni viri quidquam aliud propositum esse videatur.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Oportet ut sit solidum. Si abeat, hoc malum; non minuendo auget.

INTERPRETATIO.

Sit constantia in servando medio; ut deseritur, calamites existit. Augetur respublica non nimia rei privatae imminutione.

Oportet ut sit soliditas, id est juxta Confucianum commentarium, mentis intentio sit defixa in medio. Si eat, ait Tching-tse, si discedat a medio, perdit vim quam ipsa dat

laudabilis mediocritatis tenacitas. Contra turbationes et calamitates ex excessu emergere, in nimiis contributionibus, in populo solitas. Ita quoque Doctor Ling-che youen aliique nonnulli quos referunt commentarii regio typo recens editi.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Si tres incedant, unus minuatur. Si unus incedat, amicum obtinet.

INTERPRETATIO.

Inter plures, etiam non plures quam tres, qui ad idem negotium concurrere debent, plerumque interest, aliquem saltem unum qui nocet suo dissensu, eo e numero detrahi. Soli vero facile est obtinere unum cum quo animi conjunctione agat.

Vox simica significat utrumque et nocere et subtrahi debere qui in contribuendo ad negotium aut ex officio ut ex jussu peragendum, etiamsi tres duntaxat esse supponantur, a sociis sententia refugit. Utilis veraque in gerendis negotiis societas, ait Yang-tse, posita est in unanimitate. At haec in turba vix coire potest. Tang seu turba vel ex tribus constituitur, in qua facile unus sententia discrepabit; nonne igitur satius est ut turba uno minuatur atque hoc pacto mutua sit ad idem conspirantium fides.

Interpretum nonnulli exemplo utuntur uxoris et mariti, ad probandum posse subsistere inter duos

perfectam illam de qua agi hoc in loco putant negotiorum participationem. Verum a textu nec duos nec omnino tres, sed paucos designari a Tcheou-kong communior sententia est, quae satis aliunde patet, ita ut velit princeps in negotiorum penetralia non admitti nisi paucissimos et eorum executionem plerumque, non virorum multitudine, sed selecto ex iis numero, promptius securiusque haberi. Inter tres, inquit commentarius Confucii, procul dubio existet suspicio, quae concordiam in agendo saltem minuit.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Morbum minuit, si celeriter fiat, erit gaudium. Nullum malum.

INTERPRETATIO.

Si qua animi aegritudine peccatum est in negotiis, illud corrigi quam primum debet. Ita laetum hoc erit, ut malum nunquam fuisse videatur.

Ira similique inordinato animi impetu in negotia non tam ire quam rapi viris etiam publico in loco constitutis interdum contingit. Morbus est, ait Tching-tse, defectus ille virtutis quae in negotiorum administratione desiderari sine damno non potest. At quia morbus ille cito, ut ait textus, depellitur, ideo, inquit Sou-chiche, gaudium enascitur. Et oportet gaudere; notat commentarius Confucianus hujus loci.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Videtur augere decem regni gazas. Non expedit recusare; magnum est bonum.

INTERPRETATIO.

Utilissimum est regno thesauros habere etiam decem sensim collectos ex tributis annuis quae ideo non expedit recusare.

Princeps, ait interpres, supponitur esse cordis puri avaritiae sordibus qui opportuno tempore juxta morem toto ex imperio vectigalia accipit quibus auget regni gazas. Idem solum licet pollixe repetant caeteri, nihil hic addemus nisi observationem Confutii: bonum est, scilicet est sub praesidio superiorum, aut sicuti nostra aetate superioris, nempe supremi, tribunalis Hou-pou, in cujus manibus est thesaurus imperii ex quo nihil extrahitur, nisi praesente aliquo praeside, et in quae expèndendum sit praemonito, ut tota extractae pecuniae ratio coram illo toto tribunali confici possit, quae supplici libello imperatori quotannis legenda offertur. Huic aliunde est domi thesaurus, ex bonis suis collectus, villis, agris, bobus, ovibus similibus que ad proprium familiae regnantis dominium pertinentibus, discreta, ut utar verbis Taciti, domo et republica.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Non minuendo auget, nullum est malum. Si sit soliditas, hoc bonum. Loco ad quem ivit est convenientia. Habet subditos; non habet domum.

INTERPRETATIO.

Inutilibus expensis dum non minuitur thesaurus regius tamdiu crescit ex annnatim relictis; in hoc nullum est malum, imo si constanter recteque fit, bonum est, quod populo convenit. Id in loco quaerere principis est ad subditos unice attenti non ad suam propriam domum.

Dominus, ait imperator in censura interpretum, imperii non sibi lucra quaerit sed populis. Si id observat, licet commodis fruatur, habebitur is verus princeps, expers privati amoris et in eum vere cadet quos dicitur in textu: habet subditos, non habet domum. Alluditur ad legislatores Yao et Chun qui nulla filiorum habita ratione successores ex aliena domo sibi adsciverunt. De illis ad litteram dici potest, non habet domum. Sed haec verba non ita stricte accipienda sunt: ille non habet domum princeps, qui reipsa postponit privata publicis. Habere subditos, non habere domum,' inquit Tching-tse, est corda omnium sibi devincta habere perinde ac corda domesticorum; ita ut nullo discrimine qui sunt prope, qui sunt longe, qui domi qui foris aeque agantur. Ad hanc explicationem non minus quam ad primam nostra accedit interpretatio, non solum quod sit majoris auctoritatis,

sed quod sit et ingeniosior et distinctior, nihil habeat detortum, adscititium nihil, uti patebit comparanti. Utriusque autem sententiae una est doctrina. Thesauri publici eum modum servandum ab imperatore quem a patrefamilias acervi domestici, quod licet multis explicent doceantque non melius tamen Adriani dicto: ita se rempublicam gesturum ut sciret rem populi esse non propriam. Quamquam dici potest Adriano melius hanc bene regendi regulam servasse multos imperatores Sinenses, ut liquet ex his quae jam variis in locis retulimus de Yao, Yu, Ouen-ti, aliisque quibus possent addi multo plura, sed ad intentum finem inutilia.

CAPUT QUADRAGESIMUM SECUNDUM. Y vel Ye.

Y ventus . . . lignum . . . Suen.

tonitru. exhalatio ignea . Tchin.

EPIGRAPHE.

Loco ad quem ivit est convenientia. Convenit transire magnum fluvium.

INTERPRETATIO.

Y, seu augmentum opum, cuicumque regioni aut regno imprimis convenit, si quando adversa, fluvii crocei transitu non minus ardua, superanda sunt.

Augmentum hoc, ait Tching-tse, opum pertinet ad imperii utilitatis rationem. In hoc vero imprimis posita est, ut in loco seu ubicumque exurgat periculosum difficileque negotium, quo illud componatur in promptu sit. Hunc sequuntur caeteri interpretes, approbatque imperator in censura interpretationibus ab ipse adjecta.

ADNOTATIONES.

Satis patet ex nomine Y augmenti hoc emblema fuisse committendum cum praecedenti Sun de imminutione. Nam quemadmodum populos imperii atque imperatoris causa expendere necesse est, sibique, (quod Sun significat) sua subtrahere, ita, inquit Confucius in hanc figuram Y, princeps

summus ex comparatis inferiorum collatione opibus, ita augere juvareque subditos debet, ut populi contenti esse possint. Debet idem imitari coelum et terram, quae effundendis quibus humanum genus indiget, non exhauritur etc. ut tamen convenienter fiat mediocritas aurea servanda est, ne sine necessitate collectae opes in inutilia dissipentur, ne cum necessitate populi in horreis publicis retineantur. Spectare in recte utendo utilitatem, (de qua interpretes) est, ut loquitur Confucius in commentario Toen, adimplere legem ligni, metaphora apud veteres novosque usitata. Illi quinque seu rerum elementa, ut vertere nonnulli, seu rerum plebi utendarum genera, uti postea dicetur parte tertia, metallum aut aurum, lignum, aquam, ignem, terram esse volunt symbola caritatis, aequitatis, urbanitatis, prudentiae, sinceritatis. Ita Tching-tse in philosophia Sing-li libro 27.; ita alii in variis commentariis philosophantur de aequitate ad omnia civilia officia utili sicut de ligno, quod, aiunt, pro omnibus aequaliter crescit et sive in struem domus colligetur, sive in utensilia (ligneis antiqui utebantur) scindatur, aeque cuicunque utile est.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Oportet uti initio magno. Si sit magnum bonum, nullum est malum.

INTERPRETATIO.

Etiamsi ad bonum publicum aliquando redintegrandum plus exigatur, nihil in hoc est reprehendendum.

Alludit princeps Tcheou-kong ad imperii restitutionem a se et fratre Ou-ouang indictum, sicut non sine magno conatu suo, ita nec sine magno sumptu ex

principum foederatorum simulque ex populorum collatione, annuis vectigalium contributionibus, majori quod ita fieri tunc debuisse et quoties de salute imperii debere, boni publici ratione defendit. „Privatum bonum, ait Tching-tse, omittendum ab inferiore est ad auxilium superioris, cum sit imperii negotium.“ Id vero definire quale et quantum sit, superioris est, quia, ait Confucius, hunc in locum, inferiores negotia non ponderant.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Videtur augere decem regni gazas; non expedit recusare ut sit perpetua felicitas. Hoc bonum, ut rex utatur in sacrificiis erga Chang-ti supremum Imperatorem, hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Thesauros habere collectos imperatori omnino expedit, tum ad populi quietem perpetuo tuendam, tum ad sacra Chang-ti supremo imperatori magnifice, ut solet, facienda.

Sensus patet ex dictis. Satis est notare quod capite praecedenti ex Mencio delibatum est, non solum ad sacrificia supremum erga imperatorem, sed ad caeteros etiam ritus v. g. regulis imperatorem visitantibus colligi partimque impendi vectigalia. Ab eo siquidem illis adhibebatur honoris causa „bos cornua cubito alta habens“; vinum ex herbis raris Yo et Chang aurei odoris (Kin-kiang) confectum effundebatur, aliaque id genus, praeter dona, varia praestabantur quorum meminit liber Li-ki, et quae nihil opus est sigillatim referre, cum haec pauca sufficiant ad

probandum quod interpretes ut omnibus cognitum supponunt de concursu magnatum varii ordinis principumque ad imperatoris aulam, in qua summo honore magnaque manificentia statuto more excipiebantur; quod, ut ait Tching-tse citans Mencium: virtute imperatoris quatuor marium populi seu omnes gentes caperentur.

Quid autem nomine sinico Ti quo utitur textus, et quo in versione nostra nominatur supremus imperator, isti interpretes sinae libri Y-king intelligant, facile est quidem dicere. Omnia vero eorum dicta colligere operosum; ad instar omnium sint pauci praecipuique inter hos ommentatores a me citatos. Tching-tse ait Ti imperator significat hic coeli dominum rectorem Tien tchi tchou tsai, alter Tse-chi in Y-King interpres: Ti est idem ac Tien tchi tchou coeli dominus. Tchou-tse fama eruditionis celeberrimus, nec ipsi Tching-tse suae sectae principi inferior, ait Chang-ti supremus imperator. Hoc nomen sonat idemque est ac Tien-tchi tchou tsai, coeli dominus-rector. Ita illi caeterique obvium nominis sinici Ti et Chan-ti sensum exponunt, cuinam vero numini seu figmento tam eximium titulum philosophi isti applicent, aut etiam adhibere (sua dogmata exponentes) soleant, non est hujus loci ulterius inquirere, cujus expositioni sufficit sensus obvius et litteralis. Nam si nomine Chang-ti significatur coeli dominus-rector, patet hoc ipso vocem Hiang quae, ut caeterae, late aut stricte a sinis accipitur, significare hoc in textu sacrificium vere et proprie dictum, quale facere solet hac nostra etiam aetate imperator de quo loquitur textus; rex utatur, id est, inquit Tching-tse, coeli filius, utique imperator. Constat ergo huic versioni omnimodo fides.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Augendo utitur malis negotiis, nullum est erratum; cum sit solidum medium agit, admonendo Kong (principem) utitur Koue (tabella quam subditi utraque ante faciem manu tenebant, quando regem admonebant aut alloquebantur.)

INTERPRETATIO.

Ad augendos thesauros publicos qui utitur bonis quae ob mala negotia confiscata sunt non errat, at in his modus constanter servandus est et reverenter consulendus princeps.

Mala negotia, aiunt interpretes, in textu hoc vocantur infelicia negotia, infortunia seu fortunarum eversiones. Fuere illo tempore qui omnino male haberent, non solum quod mutata fuisset consuetudo principis Ouen-ouang non exigendi nisi unam partem ex centum, uti notatum est supra, in antiquum imperii morem quo decima ab ipsis legislatoribus imposita erat, sed etiam quod bona reorum defectionis a principe aut erga populum magnae iniquitatis in publicum addicerentur.

Sectarii Me-ti in ea erant haeresi, ut legere est apud Mencium et Confucium, omnia bona debere esse communia, omnibus aequaliter providendum, nec plus amicis, cognatis, bene meritis quam caeteris. Rei cujuslibet venalis, v. g. calcei, idem debere esse pretium, quod nonnisi ad usum qui boni malique idem est, non vero ad formam bonam malamve exigendum est. Peccari contra charitatem si industria pluris aestimetur quam labor; si uni plebeio denegetur quod

alii cuicumque abundat. A nullo acervos ex alienis frugibus etiam aut pretio aut auctoritate legitima habitis asservandos esse. Si cuicumque jus est in ea quibus indiget, multo magis est in ea quae sunt suae familiae, crimine unius etiam capitis minime facta aliena, adeoque in publicum non addicenda, vel ut solet cum suetonio dici non confiscanda, tradenda scilicet fisco regio.

At in his esse debet medium solidum, seu modus servandus. Modus qui tunc temporis intra auream mediocritatem videbatur, erat, si privati cujuscumque rei bona partim fisco, partim quoque alendis aegre licet filiis consanguineisque addicebantur; si réguli merito exturbati regnum non in ipsum etiam facti poenitentem sed transferretur jussu imperatoris (cujus non fiebat) in alium ex magnatibus vel de imperio bene meritis vel jam pauperioribus. Hujus moris meminit Mencius libro 2.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Medium agere, admonitum Kong sequitur. Credendo oportet uti translatione regni.

INTERPRETATIO.

Princeps qui medium in opum publicarum distributione tenet, suo obsequio omnes ita addicit, ut illorum fide auxilioque mutare imperium possit.

Haec explicatio communis est, et per se loquitur translationem imperii per domus regiae Tcheou principes, inter quos eminebant Kong, seu, ut nos loquimur, duces aut comites Tcheou-kong et Tchao-

kong sub nepotibus fratris Ou-ouang imperatoris rerum omnium administri. Ideo in glossa refertur illud ex Tchun-tsieou: Quando imperium Tcheou defluxit ad orientem auxilio ei semper fuere regna Tsin et Tching. Cur ita? quia scilicet quando fundatum est ex opibus ac dictionibus sibi acquisitis, utilitas redundavit in inferiores, quo e numero erant quibus hac ditiones collatae sunt; horum itaque praesidio fideque imperium Tcheou tunc regi omnino oportebat.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Qui solidus, habet commiserationis cor. Non est quod quaeratur. Hoc magnum bonum. Qui est solidus nostram virtutem in commiseratione constituit.

INTERPRETATIO.

Quando principis erga subditos benignitas constans est, nihil opus est quaerere an populi felicitas etiam sit magna ac constans. In hac ergo benignitate virtutem suam constituat princeps.

„Magnum bonum, ait interpres, est imperii bonum, quies, felicitas non fallax, sed principis si qua populos premitur calamitate, commoveri facilis, assiduo beneficio fota. Si populorum dominus illis vere summeque beneficus est, populine non summe vereque benevoli erunt?“ possunt ne tunc imperio opes roburque deesse? minime vero. Possidendi imperii, ait Mencius lib. 2. datur vera ars; qui possidet populos sibique servat fideles imperium secure possidet.

Possidendi et conservandi populos datur vera ars, qui populorum benevolentiam possidet sibi servat fideles etc.“

EPIPHONEMA SEXTUM.

Non est qua augescat. Aliquoties ferit. Qui cor stabiliunt non perseverant. Hoc pessimum.

INTERPRETATIO.

Absit a summo thesaurus publicus. Sin minus, fieri potest ut impetatur e quibus collectus est. Quantum infortunium imminet ab hac popularis animi immutatione?

Opes publicae, ait Kong-in-ta, si crevere ad summum, jam utilitatis modum excessisse dicendae sunt. Dum acquirendi nullum subit fastidium, in plebeculae invidiam incurritur. Incumbere ad sine fine habendum, nihil est quam erigere corda populi ad deficiendum, ex qua defectione existunt mala et calamitates culpabilis avaritiae fructus. Celebre est Confucii effatum de principe avaro seu in exactionibus nimio: „Colligere divitias est dispergere populum.“ Quo tempore imperium erat divisum in multa regna a quibus nimium exigebatur, ita ut nullus superesset laboris fructus, aut aegre admodum traducenda vita, tunc illis deserta domo et agris suis in alias sub alio regulo terras transire mos erat.

CAPUT QUADRAGESIMUM TERTIUM. Kouai.

Kouai  aquae . . . . . : Toui.

coelum . . . . . Kien.

EPIGRAPHE.

Kouai in palatio regis splendescit; solide adunantur; periculosum est; ipsemet civitatem admonet; non oportet uti militibus, loco ad quem ivit est convenientia.

INTERPRETATIO.

Kouai, rescindendi (vitiosum) ars, concilii principum imprimis nota esse debet; conjungendi sunt in eandem rectam sententiam probi; tam caute agendum quam fit in periculosis. Admonitionibus seu moralibus praeceptis populus prius est instruendus quam vi cogendus ad emendationem quae ita convenienter inducetur.

Dicitur in palatio regis debere splendescere, quia, ait Tching-tse, in eo debent principi adesse viri perspicaces seu conspicui scientia mali a bono secernendi et rescindendi. Summo conatu efficiendum est ut probi simul vires conjungant, sed tamen cum sit semper aliquid metuendum in vitiosorum morum abscissione scilicet illos defendit numerus junctaeque umbone phalanges, ideo circumspectione opus est, admonitione, instructione, nulla

festinatione, impatientia; ita Hou-ping-ouen, aliique in commentariis regiis quos omitto. Hoc addam ex alio interprete: Si princeps ipse aggrediatur ad instruendum populum emendatio quam promptissima erit, uti accidisse narrant historiae de ipsis majoribus avisque principis Ouen-ouang v. g. de Kong-leou, de Kou-kong seu Tai-ouang, in suo populo instituendo ita felicibus, ut tam vicinis quam remotis percrebrescente ubique fama veneratioui essent exemplumque caeteris populis imperii. De Ouen-ouang populorum magistro in odis Chiking canitur: „nullus erat animus qui ei non assentiretur, nullum cor quod eum non amaret.“ Prorsus ut (aiunt) habuerit populum vitiis purum et ita in omni civilium officiorum genere exercitatum ut peregrinantes illaeque transire aliquo casu coacti ad virtutes erudirentur. Haec tamen, addunt plerique, ad imperii emendationem brevissima est via et ab antiquo trita ab optimis imperatoribus aulae scilicet regiae propriaeque personae reformatio ex sapientiorum ministrorum et censorum consiliis. Qui aliis praesst, aiebat Han-ouen-ti [1]) si est sine virtute qua ad regendum instruatur, populorum imperio indignus est. Qui ei adstant, si non habent animum admonendi quae peccat, malorum imperii rei sunt. Mando itaque vobis magnates caeteriquc ut in mea vitia culpasque inquiratis, ne quid me lateat invitum; ita fiet ut de omnibus admonitus omnia emendare possim. Post data monita abstinuit ab ipsa venatione cui addictus nimis erat et a caeteris id genus ab administrationis perpetua cura alienis, tantaque secuta est morum emendatio ut carceres diu vacui fuerint, uno quoque ne tam eximio principi displiceret

1) ante Chr. 178.

suum officium implente. Similia referuntur in Sinicis imperii annalibus de optimis quibusque imperatoribus, qui emendatione sua et suorum, semper populi et morum reformationem, et non semel coeli auxilium contra calamitates tum urgentes tum imminentes obtinuerunt. Satis sit huc adducere dicta de Song-tai-tsong: quis audeat deinceps asserere coeli mandata esse irrevocabilia illiusque vindictam averti non posse a terrigenis? mutatione morum quos emendant virtutis exercitatione coelum mutatur fitque ex irato clemens.“ Tempore Tai-tsong [1]) arebant omnia; jussit imperator tribunalia abrumpere moras quas nectere solebant in judicandis reis carcere detentis. Eadem qua datum est mandatum die largus imber decidit. Cometa a 30 diebus minax visus erat, at eadem nocte evanuit qua Imperator amnistiam toto imperio vulgandum decrevit. Undenam haec tam felix subitaque coeli mutatio, nisi ab ipsius amore erga populum cujus erat pater et mater .... quod quidem sint alii supra alii infra hoc a coelo est, sed a coelo amante populum. Hinc fit ut si qui supra sunt jura inferiorum non servant, aequum invertunt, eos negligunt, vexant opprimunt, coelum irae vindictaeque signa principibus ostentet sicut accidit imperante Tai-tsong. Verum quia Tai-tsong se agnovit peccasse, suam melius instituit personam, virtutem impensius colere coepit, iniquitatem tribunalium emendavit, jejunavit, musica ludisque abstinuit, sontibus veniam concessit, coelum mutavit sententiam.

1) Post. Chr. 978.

ADNOTATIONES.

1) Augmento succedit, aiunt, decrementum, ad quod pertinet hoc emblema dictum Kouai quod nomen idem significat ac Kue reseeare, rescindere, et hoc emblema praecedenti apponitur. Eadem est mens Confucii in opusculo toties laudato de connexione mutua figurarum.

2) Emblema hoc exhibet in parte superiore aquas, in parte inferiore coelum. Aquae illae in tam alto loco collectae seu nubes aptae sunt ad adumbrandam subitam imminutionem mortalium et caducarum rerum tum quae accumulatione velut in immensum jam accreverunt, tum quas deinceps ultra et nimium crescere periculosum est. Nubes scilicet quo plures conglomerantur, eo facilius decidunt. „Stellicidia, ait Seneca, quamvis jam inclinant se et labantur, nondum tamen efficiunt lapsum, sed ubi plura coiere et turba dedit vires, tunc pluere dicuntur.“ Ut autem nubium dissipatione ita et opum saepe utilitas multiplex existit, quod hoc emblemate primum significari volunt interpretes. At tantae illi nubium conglomerationi modum nisi ponat aut ventus dissipans aut calor solvens, quod secundum advertendum est, nihil est periculosius et ad terrorem magis. Unde, notat idem philosophus, fit naturali ratione ut nimbi facile abscindantur, nec diu invalescere possint.

3) Ad primum alludit Confucius in commentario Siang imaginis istius. Sapiens princeps quae collegit in stipendia ita distribuit, ut ad sibi inferiores perveniat emolumentum. Ad secundum vero dum ait, eundem sibi invigilare et cavere exerenda virtute ne vitiosa ac periculosa inter populos cessatione accrescant. Nam mores et vitia regis imitari genus obsequii est, ut docent annales.

4) Notant interpretes his verbis: non oportere uti milite, vim in emendandi populi moribus non damnari, sed nisi lente et adhortationibus et aptis ad rem monitis temperatam esse adhibendam, nempe instaurari debere antiquam, qua antiquitatis specie moventur animi, velut disciplinam, utique severam ac legum exactiorem custodiam, qua certe civiles virtutes efflorescere non possunt, quin vitiosum cujuscumque generis etiam olim ignoti opprimatur. Ita enim intelligendus est Confucianus commentarius Toen in hanc

epigraphen: „Durum molle rescindit, virtus vitium. Si perdurat erit gaudium, nedum dolor ex illa vitii rescissione. Erit quoque unio sublato dissidii fomite.“ „Quo attentius, aiebat Tchong-Vhong 1) in libello supplici Imperatori Han-ou-ti, expendo quae sit inter coelum et humanum genus conjunctionis et unionis ratio, eo majori percellor metu ac reverentia. Si homines non sunt sine virtute, procul dubio non sunt sine auxilio coeli, adeoque sine quiete. Qui in imperium succedit, ut primum gubernacula attingit, ante omnia attendat oportet qua in parte vitio laborant, ut illud emendet. Similis sit accedenti ad tractandum instrumentum musicum cujus prima cura necessario est manu explorare quid in corpore sit dissonum, illudque ad harmoniae legem vel invitum trahere atque omnino exigere. Tunc vero omnia succedunt ex animi sententia. Nec enim satis est, quod ab initio dynastiae nostrae, Han-tchao, factum est, praeclara reformandi imperii consilia suscipere admovenda est operi manus . . . quam recte quam efficaciter gesserunt se contra vitiosos mores Ouen-ouang et Ou-ouang quandoquidem ab illorum tempore ad regnum Kang-ouang carceres vacasse constat quadraginta nempe annos.“

5) Notatur in ipsa glossa commentarii Siang Confuciani, quae ad hanc imaginem seu figuram dicuntur non posse sigillatim ac distincte explicari. Cur vero? nam litterae seu caracteres hujus epigraphes seu sententiae omnes (quod in nonnullis aliis, licet perpaucis secus est) ab omnibus eaedem leguntur. Non igitur hic sensus sententiae litteralis ac moralis ignoratur, qui ita obvius est ut ab interpretibus omnium aetatum intelligatur de decremento et rescissione. Superest igitur ut ad nos non pervenerit notitia distincta rerum et circumstantiarum ad quas alludunt istae voces: In regis palatio adunantur; admonet civitatem, utitur militibus etc. respondere enim certo non possumus de quo palatio principis Ouen-ouang, an imperatoris Tcheou, an hic solum agatur de adunandis principibus probitatis laude tunc florentibus, an de probis in genere, de qua ne civitate loquatur textus? an rebelli an duntaxat

1) Sine dubio Tchouang-tsou scribendum. J. M.

vitiosa aut legum non ita observante, quonam missi milites? Quae omnia profecto si sigillatim scirentur tantam lucem afferrent quanta desiderari potest.

Atque id annotasse paulo fusius hac vice sufficiat; in aliis deinceps similibus locis, ut hactenus quoque factum est, uti glossa idem monet, satis erit nostrae hujus observationis meminisse. Aptissimus autem visus est ille locus ad exponendae glossae causas, quod talis sit ut reipsa habeat multa inquirenda quae sigillatim nesciuntur.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Fortitudo est in anterioribus digitis. Si eat, non vincet. Hoc est male factum.

INTERPRETATIO.

Contra vitiosos mores ad agendum non satis est aliquem velut manu valere. Si aggrediatur intempestive nihil assequetur praeterea culpandus.

Ita meliores interpretes quamquam satis intricate. At sensus sententiae clarius exponi potest comparatione quam petit Mencius ex cultu terrae vitiosis herbis purgandae et tritico deinde serendae. „Proverbio, ait, aptissimo dicunt regni T s i incolae: vir agricola quamvis ligonem aptissimum ad fodiendum habeat, non potest tamen melius agere quam illum servare in tempus opportunum quo terra expurgari colique labore non inutili se patiatur.“

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Cum sollicitudine adunant se. De nocte sunt arma. Nullum periculum.

INTERPRETATIO.

(Contra vitiosos mores) ita vigilandum, ut solet (contra malos cives) sollicite, congregatis ad arma noctu fidelibus. Etiam quando nihil novi timendum est.

Interpretum sententia una est, hoc epiphonemate praecipi cautionem, vigilantiam, provisionem. „Quo tempore, ait Tching-tse, de reprimendis improbis et vitiosis moribus resecandis sapiens princeps cogitat, his hominibus fere crescit audacia, ira, animi aegritudo, unde machinationes, doli aliaque pejora. Nam depravato in vulgo nihil modicum est. Horum incommodorum summa cautio atque una provisio est ut ne impatienter et inattente agatur quod pudori sit si infeliciter.“

EPIPHONEMA TERTIUM.

Fortitudo est in facie. Hoc pessimum. Sapiens rescindendo rescindit; dum solus incedit, pluviae occurrit, velut madefactus tristatur, nullum est malum.

INTERPRETATIO.

(Contra vitiosos mores) valet vultus sapientis ad terrorem compositus. Nec tamen eos rescindendo ipse

exulceratur, plus quam qui suam solus incedens viam pluvia repentina madefit.

Vim faciunt aliqui interpretes ab his quos secuti sumus, paulo diversi in voce solus, sed immerito. Nam cum hac in sententia similitudinem sicut caeteri agnoscant, nihil mali est eam aliquot voculis abundare. Quamquam hoc verbum solus non illico censendum est inutile; indicat siquidem non adesse qui pallium aliaque id genus ad defendendam sapienti domino pluviam ferat, inde aliquis moeroris sensus, quo tristatur. Infeliciter etiam illi explicant, qui recurrunt ad suam physiologiam de pluvia, quae, aiunt, existit ex principio Yang, ad quod pertinet haec tertia linea, coëunte cum principio Yn. At principii Yn nulla est ibi linea cui tertia conjuncta sit; quarta enim quae sequitur est Yang, sicut quae praecedit secunda. Sexta vero juxta illos et velut imago vitiosi quod rescindendum praecipitur hoc tertio in epiphonemate. Inter hanc igitur tertiam lineam et sextam potius oppositio quam coitio agnoscenda est. Nihil igitur nomen pluviae ad epiphonematis sensum momenti habet, totaque illius vis est in similitudine hominis sine servo egressi aliquo, quem repentina pluvia madefacit, cum sapiente vitiosorum mores insequente, quem forte imparatum eorum ira deprehendit impetitque. Qualis ille esse erga eos debeat, admonet princeps Tcheou-kong, tanto improbis illius aetatis terrori, ut, si credimus historiae, in alienas remotasque plagas, relictis domibus, aufugerent.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Clunibus nulla est pellis. Iter agens lente incedit. Si ovem liges, nullus erit poenitendi locus. Licet verba audiat, non credit.

INTERPRETATIO.

(Contra vitiosos mores) tam lente procedendum est, quam qui incedit toto excoriato verberibus tergo. Praeeundum est exemplo, sicut praeit qui ovem funo trahit in locum ubi illam esse non poeniteat, illam quoque pastoris vocem quam audit, sequi detrectantem.

Addit interpres Fang-in-yang: „eximii et excellentes viri antiqui nostri vere dicendi sunt ovem ligatam traxisse, scilicet populum curarunt domita illius ferocia.“ Lente incedit; alluditur hoc verbo ad morem qui etiam nunc viget. Fuste caesi clunibus seu tergo veniunt ante sedem ejus qui poenam imposuit, redeuntque ad exercitium, ni gravior culpa sit, commissi officii, haud dubie velut aegre pedes trahentes, et singulis velut in vestigiis tantillum subsistere coacti. Ita in traducendis a ferocitate vitiisque barbarorum populis suis actum esse contendunt isti interpretes, nempe per gradus, ita ut ab una re semel constituta paulatim ad aliam constituendam transitum sit. Atque fatendum est multa in vetusto Li-ki de moribus feris veterum Sinarum reperiri quae huic explicationi maximum pondus addunt. Qui ovem trahit prius utique incedit; facile est sequi gregem sua via incedentem, seu via sapientum qui praecessere. Paulo ab his aliter Tching-tse loquitur; ovis nomine intelligitur turba velut ovium grex. Turbae ita caesum est tergum, ut velut sine pelle quiete sedere non possit, et si vult

incedere, lente incedere necesse habet. At si ita caesus grex quonam pacto sequi volet? Et si de coactione locus is est explicandus, inepta sunt quae sequuntur de exemplo, quo populis, ut ovibus, integris praeitur ut ultro sequantur.

EPIPHONEMA QUINTUM.

In alto et plano loco portulaca succrescit, Rescindendo rescinde. Si medium agas, nullam erit malum.

INTERPRETATIO.

Vitiosum etiam sublime toties resecandum est quoties repullulat, sicut portulaca agrestis in sublimi loco v. g. domus tecto, succrescere solita. Si aeque fit, bene erit. Pekini nihil communius. Nam infra tegulas multum terrae tabulato imponitur, et supra tegulas non parum etiam terrae seminibus aptae existit e pulvere perpetuis vere hyemeque ventis collecto.

In hac interpretatione ferme unam secuti quidem sumus glossam communem; sed Doctoris Tching-tse et celebriorum interpretum sensus idem est. Inter illos convenit hanc quintam lineam exhibere pro more principem, sed in hac figura principem resecandis in imperio vitiosis destinatum. Quod imprimis congruere principi Ou-ouang, scelerum, ut loquitur in Chou-king mali imperatoris Tcheou constituto vindici, manifestum est. Omisso autem illo casu, qui variis rationibus a Mencio aliisque elevatur, solisque Sinis probari potest, una est interpretum doctrina imperatorem debere imprimis invigilare vitiis magnatum non

habita ratione illorum vultus seu personae, de gradu illos dejiciendo ni resipiscant, nec statutas legibus poenas facile condonando, si in illas incurrere.

EPIPHONEMA SEXTIUM.

Adunans nullus. In fine pessimum.

INTERPRETATIO.

Vitiosus tandem non habet a quo conjunctim juvetur, et infelix fit.

Sensus est perspicuus, de malis seu calamitatibus vitiosos quantumvis in sublimi loco collocatos excipere solitis, nec allusio cuiquam obscura esse potest, qui advertit ad casum infelicis imperatoris Tcheou, ab omnibus fere suis principibus et magnatibus vitiosos illius mores jam non ferentibus, illo tempore deserti.

CAPUT QUADRAGESIMUM QUARTUM. Heou.



EPIGRAPHE.

Heou. Mulier est fortis. Ne utaris ducta muliere.

INTERPRETATIO.

Heou muliere viribus suisque dotibus superba etiamsi illam duxeris, ne utaris ad negotia.

„Ne utaris, ait Confucius hunc in locum, quia non expedit efficere, ut illa intumescat.“ Quod recidit ad illud nostri satyrici:

„Vale . . . . si cum magnis virtutibus offers
Grande supercilium et numeras in dote triumphos.“

Eadem quae Confucius habent alii interpretes. In ducenda uxore, addit Tching-tse, attendendum est ad ipsius indolem, naturam facilem convenire, facilem obsequi, hoc ante alia aut formae aut opum, aut paternae nobilitatis quaeque adjumenta.

ADNOTATIONES.

1) Juxta Confucium aliosque Heou significat hoc loco idem atque occurrere, coire, conjungi, coalescere autem cum soleant res quaecumque abcissis vitiosis, ideo hoc emblema dictum Heou proponitur post emblema Kue de rescissione. Ita illi figurarum harum ordinem exponunt.

2) Confucius suo in commentario (Siang) imaginum, ad hanc ita loquitur: „infra coelum ventus est imago nomine Heou. Princeps sua mandata promulgans quatuor partes admonet," seu ut ex notis interpretum intelligendum est, principis supremi v. g. imperatoris praecepta et mandata scripta quocumque perveniunt, ubique locorum sub oculos occurrunt, parente scilicet illi orbe sinico, qui non minus late longeque quam Romanus olim orbis, nempe imperium. At hac in explicatione videtur similitudinem solum repetere a symbolo venti „ad omnia quae sub coelo sunt, ut loquitur Tching-tse, pervenientia." Videtur itaque discedere a sensu quem secutus erat in Toen afferens exemplum conjunctionis coeli et terrae, seu potius materiae coelestis Yang cum materia terrestri Yn, cujus, ait interpres, est haec prima linea, ideoque symbolum mulieris. Vox itaque haec Heou dicenda est eodem in capite nunc late, nunc stricte accipi, quod in aliis nonnullis figuris, ab eo etiam fit, ut patebit attendenti.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Alligatur fibula metalli seu (in specie) ferri. Si sit soliditas, hoc bonum. Sed loco ad quem ivit pessimo occurrit, macer porcus haud dubie contremiscit.

INTERPRETATIO.

Sufflaminanda est velut rota, ita et inferiorum improbitas. Si ei constanter obsistitur, bene est. Si, quocumque prodit, impingat, non plus audebit mussare, quam, ut plebeio adagio fertur, macer porcus.

Inferiores vitiosi et male audaces continendi ita sunt, ut non possint irrumpere. „Licet, ait Tching-tse, enim tempore aliquo redacti sint ad impotentiam, nihilominus nocendi cor fovent. Tunc solum non

nocent quando non possunt, similes porcis macie domitis, ideo bene illis quoque est vi aut metu contineri.“ Illos ferro velut sufflaminare est, ait Confucius in Siang, molli ratione eos obligare ad quae debent.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

In involucro est piscis. Nullum est malum. Hospitem non convenit.

INTERPRETATIO.

Ut pisces in eodem reti, ita si improbi a sapientibus contineantur, non erit malum, foras saltem ad exteros prodibit.

„Si sapiens, ait Lou-hi-ching, nequit improbum ad virtutis medium reducere, illum saltem potest secum habere velut involutum; hoc minimum emolumento fiet, ut ejus pravitas foras non prorumpat.“ Observat idem, in isto secundo ut in primo epiphonemate proponi modos, ne vitiosi qui superiore capite 43 velut rescissi sunt, iterum irrumpant. Sunt sufflaminandi seu impediendi ut rota currus sufflaminata, sunt ligandi seu macie domandi ut porci, deinceps sunt circumdandi; hic sunt domi velut involvendi.“ etc.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Clunibus nulla est caro. Iter agens lente incedit. Licet sit periculosum, malum non magnum est.

INTERPRETATIO.

Lente agendum est, sicut quando post cruenta verbera inceditur, si quid supersit, in hac tarditate periculi non erit magnum.

Convenit hic sensus cum epiphonemate quarto capitis praecedentis quod consuli potest, si interpretatione non satis clarus est. „Iter agens lente incedit, quia actionibus suis, ait Confucius, nondum illum allexit ad bonam frugem.“ Actionum nomine intelligi possunt exempla et variae agendi rationes, nunc severae, nunc mitiores, quae ideo dicuntur lentae; plerumque enim nihil est spei nisi in diuturnitate curationis.

EPIPHONEMA QUARTUM.

In involucro nullus est piscis. Incipit pessimum.

INTERPRETATIO.

Qui, ut nullum piscem, ita nullum sapientem, a quo foveatur, captare potest, hujus ruina jam coepta est. Improbitas, aiunt, si a nullo retinetur, in pejus ruit. Desertio illa sapientum quorum ne unum quidem potest habere adjutorem ruinae initium est, praesertim in principe. „In involucro. inquit Confucius

in Siang, nullus est piscis, pessimum, his indicatur, longe esse populum, cui recessus ille sapientum quos aestimat sequiturque, fit ominosus malique regiminis suspectus.“ Quae apud alios interpretes legere est, sunt his et minus perspicua et magis a sententiae sensu aliena. Versantur siquidem in comparatione linearum quartae et secundae, tum inter se tum cum aliis, ex qua nihil ipsi concludunt quod sine ambagibus non statim potuissent ex ipso epiphonemate concludere. „Qui ita deferitur, via recta aberrat. Si quando redibit hanc in viam quandoquidem una est erga principem, erga dominum, erga conjugem, erga conjunctos, inveniet a quo juvetur.“

EPIPHONEMA QUINTUM.

Involvit arboris Ki dulcedinem, pulchritudinem habet, ex coelo venit.

INTERPRETATIO.

Princeps sit similis arbori Ki, quae licet excelsa et tactu aspera, fructus demittit dulces et pulchros, totum id a coelo est.

Arbor illa est spinosa, flore coeruleo, baccis maturitate rubescentibus, in aliquibus provinciis herba non crescens nisi in arbustum vulgo Keou-ki. Imago est, aiunt aliqui interpretes, severitatis fama improbos continentis, ast ubi propius accedunt sua suavitate praeclaroque agendi modo illos ad bonum allicientis. Alii duplicem agnoscunt in his verbis textus similitudinem, unam petitam ab arbore Ki, quae, ait Tchingtse, cum sit excelsa foliisque patulis protegit quaecumque

infra sunt, ut rex protegit populum;" alteram a melopeponibus, quos dulcedinis nomine interpretantur, supponuntque arbori Ki velut ad radicem involutos. Princeps scilicet debet suae benignitatis dona infra dimittere ad populum sua suavitate a malo revocandum.

ADNOTATIONES.

Cur autem toties fiat mentio et in textu Y-King et in commentariis etiam antiquis liberalitatis novi imperatoris Ououang, haec meo judicio causa est, non sola ejus liberalitas erga miseram plebem, sed ejus tam munifica grataque collatio dignitatum cum dictionibus haereditariis, qua multae familiae divitiis honoribusque multis saeculis floruerunt, ut jam notavimus supra a Confucio imprimis laudatum Ou-ouang quod posteris antiquissimarum familiarum imprimis Hoang-ti, Yao, Chun ditiones titulosque dederit, id certe prae caeteris imperio toto celebre fuit et adhuc est, nec immerito. Nam et apud Romanos laudem singularem adeptus est Trajanus, quod imperio potitus, si quid uspiam stirpis antiquae, si quid residuae claritatis, hoc amplectebatur et fovebat et in usum reipublicae promebat.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Occurrentium cornibus est poenitendi locus, nullum est malum.

INTERPRETATIO.

Sublimis viri ferociae periculum non sine poenitentia fieri solet. Si non aditur, est poenitendi locus.

Cornu apud hos interpretes est imago viri sublimis capiti plebis impositi, sed superbia ita ferocis ut ab omnibus deseratur velut solus. Quis enim talem, ait Tching-tse, convenire velit etc. Sensus clarior est quam ut pluribus exponendus sit.

ADNOTATIONES.

Virum sublimem cornu adumbrari non magis mirum est quam illud Apoc. Cap. 17: decem cornua, decem reges erant. In hoc differre utrumque putaverim, quod metaphorae causa non eadem fuisse videatur; in libro hoc sinico constant eam peti ex sola similitudine cornu capiti insidentis, cum viro, quem sua dignitas supra populorum cervices extollit; at in libro sacro causa videtur repetenda ex usu aliquo regum nempe diadematis regii Ptolemaeorum et Seleucidarum ad quos alludit etiam Daniel, qui nimirum ut successerant Alexandro opinione filio Jovis Ammonis cornibus arietinis, ita et ei non absimiles exornari pingique volebant, quod productis eorum nummis probabile admodum fecit Spanhemius de praestantia numismatum, quem multi alii secuti deinde sunt.

CAPUT QUADRAGESIMUM QUINTUM. Tsoui.



EPIGRAPHE.

Tsoui est penetrans; se confert ad Miao ubi est rex. Oportet convenire magnum virum. Si sit penetratio, oportet ut sit solida. Si magno animali utitur, hoc bonum. Loco ad quem ivit est convenientia.

INTERPRETATIO.

Tsoui est hoc loco idem ac Tsou. Congregari, convenire in parentandi aula etiam regia perseverantiae filialis est, ubi praesit major e tota familia. At illa perseverantia debet oriri ex solido rectoque corde, tunc vero ritus ibi convenienter fit, si adhibetur magnum animal.

Quale scilicet adhiberi praecipit antiquus ritualis Li-ki, expressis verbis notans discrimen inter animalia quae, supremo coeli terraeque domino offerri debent, quae avis, quae regulis hospitibus. „Sacrificiis destinato vitulo (act. lib. 3) incipiant pullulare cornua instar glomeris bombycini seu unius grani milii; parentationi destinato extent cornua quatuor digitis, illustrissimis hospitibus qui destinatur bos cornua habeat cubito (seu pede sinico) alta.“

Se confert rex ad Miao, id significat, ait interpres, regem debere habere parentale palatium, seu majorum quoque suorum aulam regio more exstructam, quo ire tenetur. Citat caput Tsi-Y lib. 24. ex vetusto Li-ki, secundum quem princeps quilibet Kong, sit dux, sit comes, „tenetur ire ad avorum parentale palatium in quo colligitur perfecta spiransque eorum virtus. Sicubi id potest nepos, id certo erit in illo palatio parentum," quandoquidem ut illis indignus non sit successor, de illo dici debet

et quae diversa beatos
efficiunt collecta tenet

Huc in parentatione „itur, inquit Li-ki lib. 5. a nepotibus ad componendos suos mores ex illorum memoria, qui ut gentis suae auctores rite recoluntur. Ritus ille nepotum est ritus, quo adducuntur in recordationem eorum a quibus prognati sunt." „Vere et autumno, refert Confucius, Ou-ouang et Tcheou-kong aulas parentales adornabant; ibi colligebant relicta ab illis antiqua vasa gentilitia, et gemmis exornata insignia dignitatum quibus functi erant . . . . tabulas Ta-Kouei pro cujusque ordine gradusque exponebant, exercebant eorum ritus, canebant eorum musicam, venerabantur quae majores in pretio et honore habuerant, amare se significabant quae illi dilexerant." Erant et illorum repraesentationes; et ideo vox Miao, ait Dictionarium sinicum, est deducta a voce Mao, quae certo significat figuram et speciem. „Haec omnia, quae avorum memoriam excitabant, instituta erant et quotannis fiebant (Li-ki lib. 7.) ad monendos nepotes ne degenerarent a majoribus qui ibi repraesentabantur."

„Non enim, ait idem Li-ki, fiebat illa tam praeclara musica cum odis ad suavem sonorum modum audiendum; illa quae apponebantur alimenta non erant

3) Confucius in hujus epigraphes commentario Toen explicat quidem eam de parentatione. „Se confert ad Miao ubi est rex, id est, ut parentationes faciat. Huc congregantur recti.“ Nihilominus in Siang, commentario de imaginibus, hoc etiam emblema Tsoui, congregationis, etiam traducit ad alios, puta militum conventus. „Lacus supra terram vocatur, seu est figura Tsoui. Sapiens militum refectis armis numerum parat.“ Hoc igitur, ut alibi interdum, nomen nunc late nunc stricte sumit, ut majorem de moralibus et politicis philosophandi campum sibi suisque aperiat.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Solidum est non finiet, scilicet turbantur, scilicet congregantur, si vocat una multitudo. Ne tristeris, si eas, nullum erratum.

INTERPRETATIO.

Quod ex solido existit, perseverat. Congregari in unum et dissipari, varium est. Ad conventum sollicitari, non arridet multis. Nihilominus lubenter eas, ne in culpam incurras.

Convenit explicatio tum filiis, ut loquuntur Sinae, piis, seu post parentum obitum obedientibus qui juxta antiquum ritualem Li-ki et leges sinicas suis parentandi curam non debent prius ponere quam vitam, prorsus ut qui tarde, aegre, parce et non sincere (non ex amoris sensu) id faciunt, inobedientes, impii ac degeneres ibidem appellentur. Verum quod alii officio desint, „qui, inquit idem Li-ki, pauci erunt, non minus diligens esse debet filius vere pius seu obediens. Imo ne discutere an quod offert gratum sit nec ne. Totum illud est ritu determinatum. Itaque id solum

curat in suo illo cultu sui muneris partes implere, et nihil aliud.

Convenit etiam interpretatio veris virtutis amatoribus, ad quos in genere, juxta alios interpretes, epiphonema etiam spectat, qui scilicet nunc cum turbulentis nunc cum compositis congredi coacti ab officio non debent dimoveri, sed ad sapientis congressum, contemptis pravorum cachinnis jocisque confugere, ne si ab eis non se abstrahant in periculosos errores sensim inducantur.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Si introducantur, hoc bonum. Nullum est erratum. Soliditate oportet uti ritibus Yo.

INTERPRETATIO.

Facere ut in officio conveniant, bonum est nulli reprehensioni obnoxium. Ubi solidum rectumque animum inducunt, uti etiam poterunt erga majores ritibus exiguis Yo nominatis.

„Ritus Yo, inquit Tching-tse, est oblatio parva et tenuis. In oblationibus enim, quod aestimatione dignum est, non est rerum apparatus, sed sincerus offerentis animus.“ Ita ille aliique interpretes et quidem ad mentem totius antiquitatis sinicae. In rituali Liki oblationis fundamentum est observantia, quae, juxta interpretem Fang complectitur „rectitudinem, sinceritatem, fidelitatem, reverentiam . . . . quapropter filius pius summam adhibet venerationem, ut omnem animi affectum prodat. Exerit vires in comparandis ad ritum necessariis, ut possit se gratum ostendere iis, a quibus ducit originem, nec audet non diligenter

agere etc. Princeps Ouen-ouang, ad quem alludit Tcheou-kong, offerebat serviebatque parentibus mortuis sicut vivis. Re colebat illos quasi noluisset vivere; recurrente obitus die plangebat, cognomina eorum appellabat, quasi eos respiceret. Haec est vera in parentando fidelitas etc." Infinita sunt alia similia in libris tum antiquis tum novis. Sed pauca haec ad textus elucidationem sufficiunt.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Veluti adunari, veluti suspirare; nulla est convenientia. Si eat, nullum est malum seu erratum, parvus poenitendi locus.

INTERPRETATIO.

Suis orbatus sit velut qui recentem dolorem suspiriis prodit; sit veluti qui a suis disjungi aegre patitur. Nullum quidem ex eo emolumentum habet, ita tamen agendo culpam omnem a se amolitur, ita ut ipsum suae agendi rationis vix unquam poenitere possit.

Probari illustrarique potest epiphonematis sensus quatenus ad filium pium seu obsequentem pertinet ex loco singulari libri Li-ki. „Praeclarus Yen-ting verum luctus modum callebat. Ubi pater mortuus est, mox gemens anhelabat non secus ac si quaereret nec invenire posset; ubi corpus feretro illatum est, suspirans prospiciebat non secus ac eum sequeretur nec posset assequi; ubi sepulchro inclusum, ingemiscebat perinde ac si jam aegre in suam domum reverteretur." Sed quid discipulum appello, qui de magistro Confucio simillima referre possum. Tchou-tsè, explicans

Lun-Yu, in quo loco dicitur Confucius suis parentasse progenitoribus perinde ac si praesentes adessent, haec addit: „quamvis illi dudum excessissent, statis temporibus ita vivide recordabatur, ac si perciperet eorum vocem motusque perspiceret, ideoque posset explere filialem suae observantiae animum.“

In hac autem grata erga parentes voluntate, quae juxta Tullium est ipsa pietas, non in emolumento, ullaque utili convenientia, totam parentationis rationem versari volunt. „Ubinam, inquit Li-ki, visi sunt mortui oblata excipere? nihilominus ab omni post ritus institutos aevo nunquam auditum est parentationem esse intermissam. Una nempe intentio fuit, ut filii gratum erga suos animum foverent, et perinde ac si eum suo corde jam non possent continere, palam testatum vellent.“

EPIPHONEMA QUARTUM.

Si magnum sit bonum, nullum erit malum seu erratum.

INTERPRETATIO.

Carere culpa magna felicitas est.

Interpretes in hunc locum in commentariis ragiis omnes ita exponunt, ut verum bonum seu veram felicitatem ei obtigisse dicendum sit, cui non contingit ab eo quod debet aberrasse. In eo, ait Tchingtse, a quo nihil non recte fit, in eo est magna felicitas seu magnum bonum. Summa boni et felicitatis est culpa carere. Corda hominum possidere, ait Houping-ouen, non est magna felicitas, si est culpa. Fang-chi magnum bonum conferre populo, est

illius errores extinguere, eximie de illo bene merendo. Ita illi caeterique e schola Confucii soliti, ut refert Li-ki: „habeo felicitatem eo ipso quo teneo rationem seu debitum agendi modum.“ In quo convenire eos patet cum nostris antiquis stoicis quibus axiomatis loco fuit τὸ καλὸν ἀγαθὸν, sicut et Ciceroni eorum interpreti: nihil esse aliud bene et beate vivere nisi honeste et recte vivere. Quo ex principio sicut bene concluditur ab his nostris philosophis neque pecunias neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque eas quibus adstricti sunt voluptates, in bonis numerandas esse — ita et a Sinis sapientibus longe ante Stoicorum scholam scribentibus idem legimus memoriae mandatum. „Felicitas quae in parentatione obsequentis seu pii filii est, ait Li-ki, non est sita in iis quae vulgus vocat felicia, seu retur esse fortunas. Felicitas illa perfectio est, et quidem perfectio sita in obsequio filii ita agere debentis. Obsequium cum ad omnes pertineat, ideo haec felicitas est omnium, interior si animum ad officium, seu ad id quod debet, intendit; exterior, si obsequii quae sunt reipsa praestat. Fidelitatis porro subditi in sui principis obsequio et filialis parentum observantiae idem est fundamentum. In eo posita est utriusque perfectio. Solus sapiens potest hanc perfectionem tenere et haec est causa cur solus sapiens potest perfecte majoribus suis parentare etc.

Longum esset exhibere omnia quae in libris tum veterum tum recentiorum occurrunt; ideo satius putavi obiter indicare, quo ex principio tam multa soleant prolixe isti philosophi suis in commentariis concludere, sinico populo non minus mira, quam Graecae Romanaeque plebi paradoxa dogmataque Stoicorum.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Adunantes sunt in dignitatis loco. Nullum est malum seu erratum; iis qui non credunt si perpetua sit soliditas, nullus est poenitendi locus.

INTERPRETATIO.

Convenire ad eum qui dignitatis primum locum obtinet ita oportet. Si quid virtutis sincerae deest, continua mentis solidandae exercitatione illud ita tollitur, ut nihil ultra desiderari possit.

Imperatoris, aiunt interpretes, est ad se congregare populum, quod sit in loco supremae dignitatis. Quisquis alius, ait Hou-chi-ping, corda multitudinis sibi devincire sine regia aut publica auctoritate studet possidetque, is non bene fortunatus sed reus est. Nulli etiam nisi imperatori licet parentare in parentali regiorum avorum basilica, ibique congregare suae familiae regiae principes aliosque velut ministros, ut canitur in Chi-king ode Ouen-ouang de principibus familiae regiae Chang solio deturbatae. „Quando imperator solemni pompa defunctis majoribus parentat, illi certatim in nostra aula assistunt, et, in vini odoriferi, (quod solis avis regiis offerre licebat), effusione ministrant juvantque.“

EPIPHONEMA SEXTUM.

Moerore confici, suspirare, plorare, esse absque solatio, nullum est malum seu erratum.

INTERPRETATIO.

Suis orbatum moerori lamentisque se dedere nihil habet reprehensionis.

Sive is textus intelligatur de filio parentibus, sive de quocumque alio amicis orbato, quem ideo non minus quam orphanum destituit omnis auctoritas ad tutelam necessaria, semper verum erit luctum, et moerorum illius nihil habere reprehensionis, utriusque enim afflictis rebus ac conditioni convenit. Illud solum videndum ne in luctu filii aliquid ficti irrepat. Si nimius est, suspectus fit, si jactura minor, a debito deficit, a sinceritate proficiscatur et sic in medio subsistet inter minus et plus. Periisse enim amicos et suos cognatos interdum nulli jactantius, ut observat quoque Tacitus, moerent quam qui maxime laetantur.

CAPUT QUADRAGESIMUM SEXTUM. Ching.

EPIGRAPHE.

Ching magna penetratio utitur visu magni viri, ne tristeris, si ad meridiem iveris. Hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Ching est ascendere publicas ad dignitates. Id diuturnam animi provisionem requirit dum dignus sit virorum magnorum honore perfrui. Qua consuetudine carere interea ne doleat sed caret potius ire via recta simillima illi qua itur ad australes felicesque plagas.

Est haec interpretatio expressa ex notis clarissimi Tching-tse et caeterorum qui illum sequuntur, adeo ut illa hic exscribere nihil aliud sit quam actum agere. At videtur non omittenda quam in censura interpretum approbat imperator Doctoris Tai-chi-yen observatio: juxta textum nondum est ille vir magnus, alioquin diceretur illum esse conveniendum. Dicetur solum utendum visu magni viri, ut intelligant omnes nihil in toto Y-King, magis commendari, nihil potius esse studio sapientiae, et emitatione sapientum in

quos intueri debet, ut sibi paret ad rempublicam utenda. At dum non habet quae magno in loco usui sunt, non tristari debet.“ Quod est omnino ad magistri Confucii mentem ita unum e suis admonentem: noli moerere quod careas magistratu. De hoc angaris quod nondum assecutus sis virtutes ob quas evehi merearis.

ADNOTATIONES.

1) Congeries, inquit interpres, rerum fit collectione. Alta congerere est sibi gradum facere, ideo haec figura Ching, quae est de ascensu, annectitur priori quae a collectione nomen habet.

2) „In medio terrae, ait Confucius, crescentes arbores habet emblema Ching docetque sapientis praeceptis si obsequantur qui sunt infimi, formari attollique ad magna excelsaque.“ At quid, inquiet aliquis, ligno, cujus symbolo saepe utuntur, est cum obsequio, obedientia, facilitateque sequendi. Nam has omnes virtutes similesque ligno adumbrari supponunt potius Sinae interpretes et philosophi quam probant; nec haec ego inficior, id solum dicam ea non carere probabili aliqua similitudine, quae non tantum, ut forte putat qui objicit, abhorret a nostris quoque moribus. Nonne Horatius ad obsequium et sequendi facilitatem alludit dum sermon. lib. 2. Davum mancipium ita loquentem inducit:

Tu mihi qui imperitas aliis servis miser atque
Duceris ut nervis alienis mobile lignum.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Sine dubio ascendit hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Fidelitate sua provehi bonum est.

Dum is qui infimus est, ut haec prima symboli inferioris linea, se regendum melioribus, quos exhibent

superiores ejusdem linea, permittit creditque fideliter, meretur ascendere. Ita glossa cum interpretibus.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Cum soliditate oportet uti ceremoniis Yo. Nullum est malum.

INTERPRETATIO.

Qui animo recto sinceroque est etiam potest uti cerimoniis Yo licet exiguis.

Sensus, ait glossa, hujus epiphonematis patet ex sensu emblematis Tsoui, id est, ex epiphonemate secundo illius.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Ascendit in vacuam civitatem.

INTERPRETATIO.

Facile nullo obstante promovetur.

Quod juxta communem glossam et censuram sententiamque regiam aliorum notis adscriptam solis suae virtutis viribus debere supponitur. Nam si, ut volunt aliqui interpretum, qui ad ampla promovetur non solo virtutis sed etiam aliorum auxilio indiget, nihil est in eo nisi vulgare. Nec apparet cur in suppremum gradum ascenderit tanquam in locum vacuum, in quo nullus est qui illius velut aemulus obsistere velit, nec cur haec promotio nihil debeat utilitati, felicitati, favori,

CAPUT QUADRAGESIMUM SEXTUM. Koen.



Koen — aquae montium . . . . Toui.

aqua . . . . . Kan.

EPIGRAPHE.

Koen penetrans. Solidum. Vir magnus. Bonum nullum est, malum est, quod dicitur nec creditur.

INTERPRETATIO.

Koen est idem quod laboriosum, durum. Inter res duras in recto solidoque perseverare, magni dos est optima. Extat quidem dudum hoc dictum sed fidem non invenit.

Apud scilicet vulgares, ait glossa, homines, qui sunt impares constanter sustinendis adversis; vir magnus è contra, inquit Tching-tse, inter adversa recti tenax est. Tunc enim sibi constare magni viri proprium est, nec hoc ipsi infaustum est. Illius, juxta Mencium, animi pars interna non a successu futuro pendere debet. Ob rerum mutationem non mutat animum, nec deserit, ait Kong-in-ta, viam quam inivit; opem habet in exercitatione virtutis, qua emergere iterum potest, sicut multis eximiis viris non semel accidit. Confucius in commentario hujus epigraphes eadem ferme habet. „Koen significat id quod

durum, quod opprimit; at inter periculosa animo esse quieto, inter dura non amittere constantiam, solius est magni viri, solius sapientis.“

ADNOTATIONES.

1) Sublimi adscensui adjacet labor. A labore Koen hoc emblema nomen habet succeditque emblemati priori ab ascensu; ita de emblematum mutuo ordine Confucius interpretesque philosophantur.

2) „Lacum, inquit Confucianus commentarius in imagines Siang, sine aqua spectandum haec offert docetque sapientem vitam deserere seu vita carere malle quam a proposito discedere. Potest ille, aiunt, abstrahi a domo propria, ab agris opibusque, a muneribus publicis. Si tamen a recto abstrahi se sinit quocumque metu, sapientia excidet, nec potest dici sapiens aut vir magnus est.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Nates ad extrema redactae sunt sub alta arbore. In obscuram vallem seu cavernam ingressus, intra tres annos non apparet.

INTERPRETATIO.

Qui est in malis extremis, est qui velut caeso tergo aegre sedet sub arbore excelsa, in quam evadere non potest. Et veluti qui in cavernam obscuram ingressus, non potest illius reperire exitum, post longum tempus, puta ne quidem post tres annos.

Alluditur, in commentario regio dicitur, ad illum versiculum ex antiqua Ode libri Chi-king: „exiens ex obscura valle seu ex tenebrosa caverna transeat in excelsam arborem.“ Sed pro dolor, is qui hic delineatur ita miser est, ut neque possit in altam arborem

ejus animi aegritudo, nisi ubi assecutus est quod ambit.

Contra, sapiens, in regiis commentariis, dum duris in rebus versatur, non audet tunc ad superiora secundaque aspirare — non se depressum putat, si dolori suo superior est — nec fit infelix animo quandoquidem tranquillus est. Similis est clarissimo illi principi Tse-fan reguli Ouen-kong avunculo, qui exhortantibus ad capessenda arma et recuperandum postliminio regnum injuste ereptum respondisse dicitur: mortuus ego homo nihil habeo quod ducam pretiosum; solam virtutem et pietatem duco pretiosam, quam colo. Ita exponunt epiphonema interpretum aliqui, sed notat communis glossa: çurrus ille auri alludatne ad secundum aut ad alia, non distincte ac sigillatim scitur, minus ut mirum sit varias inter ex interpretes exortas sententias esse quarum forte nulla perfectae explicationi sufficit, quod certe nihil habet singularis reprehensionis, utpote libris omnium nationum vetustis vitium commune; mirarer magis si in monumentum figuris et tam brevibus effatis expressum, remotissimae antiquitatis nullibi labes irrepsisset, extaretque ideo totus probe cognitus sensus, quandoquidem multae allusiones poetarum nostrorum tot saeculis recentiorum nos fugiunt, carminumque sensum non semel intercidunt.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Nasum et pedes componit. In Tchè-fou (magnatum vestis est) redactus ad extrema, habet tranquillitatis gaudium, oportet uti oblationibus.

INTERPRETATIO.

Supra aeque ac infra, ut debet, intentus multo etiam labore ac molestiis premitur, vel in ipsa magnatum veste; qui honor est illi causa gaudii, eo praesertim tempore quo oportet pro more oblationes solemnes facere.

Duplex est interpretum sententia. Tching-tsè cum suis distincte docet, quintam hanc lineam supponere pro principe et hoc loco oblationes spectare coeli spiritum, quae idio haud dubie sunt vera sacrificia, qualia offerre imperatori solemne tunc etiam erat. At in interpretum censura hodiernus imperator pronuntiat quintam hanc lineam non esse imaginem principis supremi, sed unius ministri in excelso gradu collocati. Ut ut sit, utrique convenit ex officio supra infraque, si quid exorbitat reducere. Unde utrique labor qui purpuratos sequitur et ambitiosis vel votorum summam adeptis summas saepe facit augustias; ex qua annotatione patet haec interpretum dissidia, quae ideo indicavi, intactam ferme sententiae explicandae medullam relinquere, utrique siquidem opinioni accommodari plerumque potest communis interpretatio, quae non minus quam haec sensum auctorisque mentem repraesentet.

EPIPHONEMA SEXTUM.

In tela ex Ko-lowi (velut ex agresti gossypio) est redactus ad extremum. Est et periculis et timori locus. Si dicas movendo me, me poenitebit. Si eundo te poeniteat, hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Imprudens redigitur ad vestem ex tela rigidi textus. Redigitur ad summam anxietatem ex periculis. Se movet etiamsi fateatur, inde sibi extituram poenitendi causam. Nonne bonum est feliciterque accidit ut reipsa in ipsum incidat cujus illum non potest poenitere.

Quem, ait interpres, praeteritorum poenitere potest, is quoque potest hanc velut relegendo viam assequi bonum aut rerum suarum feliciorem statum. Verum imprudentia optimis etiam negotiis exitium affert; interdum felix, sed nunquam sapiens, seu non faciens id quod debet.

CAPUT QUADRAGESIMUM OCTAVUM. Tsing.



EPIGRAPHE.

Tsing, civitatem mutat, puteum non mutat, nec est damnum nec lucrum. Euntes et venientes puteos constituunt; vix pervenientes necdum funem in puteum immergentes, lagenam conterunt. Hoc pessimum.

INTERPRETATIO.

Tsing puteus. Urbs alio transferri potest, at non puteus. In puteo aqua nec multum crescit nec multum crescit, usui tamen est; itur et redditur ad puteum; ab his vero infeliciter, qui, ut ad eum pervenium incipiuntque lagenam fune dimittere, illis hanc disrumpi accidit.

Hic, juxta celeberrimos interpretes Tchingtse, Tchao-tse, Kiou-tse, in commentariis regiis relatos, delineatur vir sapiens ille quidem et probus, negotiis idoneus, virtute instructus, at nec dum inter sapientes probosque eximius nec facultate rerum gerendarum, nec dotibus nec ingenio multis antecellens, rebus publicis utilis at non necessarius. Par, ut loquitur noster Tacitus, negotiis, non supra; provinciis

per multos annos imponi non indignus. Vir bonus, ut interpres ait, ut puteus usui opportuno est accedentibus; licet eatur et redeatur continuo ad puteum nec deficit nec exundare illius dos est in eo posita, ut sit semper idem ad usum euntium et redeuntium. Illius velut meritum habere semper quod suppetat, ita ut si non est usui, id sit culpa ejus aut qui non accedit, aut qui ante lagenam infeliciter frangit, quam eam in aquas immerserit, quae est agendi ratio principum ac ministrorum viris idoneis uti nescientium; ita illi. At in adjecta censura imperator paulo aliter loquitur. Sensus, inquit, totius textus repetendus est ex similitudine urbis et putei. Adumbratur his vera regnandi scientia, licet reges mutentur, regendi regni disciplina mutari non debet, nec in privatis familiis consuetus usus mutandus est, atque ita nimii incrementi et decrementi vices et mutationes evitantur. Haec regiminis ratio est, usus aeque diuturni ac putei quo abuntur multi abeuntes et qui idem sufficiensque advenientibus. Regni illa disciplina legibus institutisque constituta et exposita est ad illius bonum, ut aqua putei immoti potest semper irrigando seu fovendo regno sufficere. Super est ut apta vasa ad id adhibeantur. Est quidem regis, documentis ut annona populum instruere; at si non habet suae virtutis peritiaeque instrumenta, hae ad inferiores non manant. Ad id scilicet requiritur virorum idoneorum opera curaque; sine illis sicut sine vasis nihil est emolumenti, etiamsi puteus semper ita sit, ut ab eo hauriri semper possit.

ADNOTATIONES.

1) Emblematis hujus pars inferior est symbolum dictum Suen venti, ut vulgo accipitur, hoc vero in loco ut in nonnullis supra, symbolum ligni juxta expressa verba Confucii in

commentario quem omnes secuti sunt. Lignum, notat Tching-tse, in aquam, cujus pars superior symbolum est, demersum mox emergit supra, non absimile putei situlae quae dimittitur et attollitur. Emergunt et pariter e rebus duris, de quibus est actum supra emblemate Hoan quod jam subsequitur Tsing. Ita ille et caeteri ad mentem Confucii in opusculo toties laudato quo causa ordinis seu potius connexionis figurarum perstringitur potius quam clare explicatur, ita ut et in ipsa nominis notatione necesse sit interdum ad interpretes confugere; at a nomine aliquoties discrepat sententiarum sensus, quod nomen in varios sensus trahi possit; in commentario utroque Confucius convenit cum interpretatione a nobis allata. In commentario imaginis hujus ita loquitur: supra lignum aqua dicitur Tsing; nomen scilicet emblematis ex quo intelligitur sapientis solerti animorum tractatione et adhortatione populum mitigari foverique posse.

2) Satis patet epigraphen hanc ex proverbiis illo etiam tempore vigentibus textam esse.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Puteus est turbidus, nullus bibit. Vetus est, aves non veniunt.

INTERPRETATIO.

Doctrina interdum est ut lutu lenti putei aqua turbida, ex ea non hauriendum est. Non apparet aliquando, ut aqua putei vetustate, interprete Confucio, collapsi, ne avibus quidem usu noti.

Patet sensus ex similitudine inter puteum qui quod sit sine fonte venaque aquae, ut loquuntur interpretes, seu vera origine carere dicitur, et inter doctrinam ipsamque, juxta aliquos, instruendi populos facultatem, quae ut inest homini vitioso falsoque perspicaci

plerumque impura ab eo profluit, quae proinde rejicienda est. Verum accidit vicissim ut adsit puteus aquae purae at salubris, sed ignotis sub ruderibus fons lateat, ignoto similis sapienti inter aratra et sulcos versanti, sicut contigit legislatori Chun quem ita repertum sibi successorem adscivit alter legislator Yao. vel similis sapienti forte calumniis aerumnisque oppresso; qualis fuit Ki-tsè carcere dimissus et regno coreae donatus postea, qualis fuit Ouei-tse e silvis revocatus auctusque ditione Soung beneficentia novi imperatoris Ou-ouang, in sapientes jacentes afflictosque, quod magni principis, intenti.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Per putei foramina ad pisciculos pervenit. Fracto vase difflait.

INTERPRETATIO.

Exilis doctrina est velut aqua putei, quae per laterales influens alendis tantum minutis pisciculis sufficit. Pejus est, si est ut aqua quae per fissuras vasis tota elabitur.

Illa, inquiunt, non sufficit ad usum publicum populi, licet pauculis forte sufficiat. Imo ne haec quidem pauculis illis diu sufficit, si vase vitioso et rimoso contenta est.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Puteus parvus est. Si non bibam, meum cor commiseratione dignum est. Hausta aqua uti expedit. Rex perspicax felicitatem recipit.

INTERPRETATIO.

Aquae limpidae, seu verus puteus licet non sit multae capax, talis tamen est, ut ex eo tuto aqua hauriri possit ad necessitatem saltem sublevandum. Imo ea uti conducit, ita et principi, viris verae doctrinae etsi minus copiosae, uti scienti, feliciter succedere solet administratio.

Princeps, inquit Tching-tse, perspicax solersque id genus viros ubi reperit, quoniam eximii rari sunt, iis utitur variis in locis seu varia ad munera. Qua eorum opera succurrit imperio, ideoque dicitur in textu regem perspicacem recipere felicitatem quam sapientia scilicet parit.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Putei murum construit, nullam est malum.

INTERPRETATIO.

Hoc est, inquit Confucius, muruin reficit, ita ut nihil sit mali. Is scilicet, ait glossa cum interpretibus, cui quidem non inest fons sapientiae, sed tamen satis copiae aut facultatis ad sapientem in executione regiminis recte instituendi seu renovandi adjuvandum.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Puteus purus; frigidulum fontem bibit.

INTERPRETATIO.

Perfectus puteus est aquae purae ab amoeno fonte scaturientis.

Imago est principis, inquiunt interpretes, vera sapientia pleni. Ejus tum peritia tum virtus est prorsus perfecta, est prorsus praeclara. Quod pura sit ut aqua pura nulli non sapit, quod semper velut ab alto fonte amoena emanet mirabilis est, ideoque degustari ubique a subditis digna.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Accepta aqua putei non occludit. Est solidum hoc magnum bonum.

INTERPRETATIO.

Non exhauriri potest perfectus puteus haurienda aqua. Ex hac sufficiendae aquae constantia existit commune emolumentum.

Viri, aiunt interpretes, sapientis sapientia etiamsi in multos diffundatur, non deperit sed semper sufficit. Cur vero? illa scilicet, observat Mencius lib. 2. ex perenni veritatis fonte virtus profluit sicut aqua usque in oceanum ultimo influens, nunquam cessat quia perennem habet originem.

CAPUT QUADRAGESIMUM NONUM. Ke.



EPIGRAPHE.

Ke transacta una die tunc credit major penetratio. Oportet ut sit soliditas. Nullus est poenitendi locus.

INTERPRETATIO.

Ke, seu obtinere, efficere rerum et animorum conversiones statim nec possibile est nec credibile. Opus est in hoc obtinendo perseverantia, qua fit ut impensi laboris non sit poenitendum.

Juxta interpretes et communem glossam mutationes naturales ab humidi calidique, utrumque siquidem ignis et aquae symbolis hac in figura exprimitur, invicem discrepantis vicissitudine, graphice adumbrant, quae in imperio succedunt temporum rerumque politicarum conversiones. Illae ut incipiunt, ait glossa, vix creduntur, quod vix percipiantur. Et ideo dicitur in textu: transacta una die. Etenim nisi postquam non parva temporis usura increvere, tunc fidem inveniunt, vel etiam juxta commentarium Confucianum Toen, „non nisi post mutationem creduntur, ita sunt coeli et terrae productiones a mutatione quatuor tempestatum

foederatis displicuisse observavimus. Quibus proinde necesse fuit saepe respondere: quae fiunt propere, fiunt infeliciter; non enim, aiunt, fiunt caute.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Si eat, hoc pessimum. Solidum, licet periculosum. Ter verba rejicit; postea credit.

INTERPRETATIO.

Aggredi ad id genus mutationes perniciosum interdum est etiam forti; quantumvis sit solida mente, res illi est semper plena periculi. Ideo non satis est semel consultare, ne ter quidem sat est, antequam sibi persuaderi patiatur credatque illud esse suscipiendum.

Fortem potius quam sapientem hic designari observant interpretes, quod is qui rem aggredi supponitur, symbolice designetur tertia hac linea ad efficax principium Yang et ad complementum symboli ignis pertinente. Fortis itaque epiphonemate monetur ad necessitatem reique magnitudinem attendere, nec nisi habitis, ut loquitur unus ex interpretibus, in commune votis saepeque consultis melioribus quidquam aggredi. Quae omnia a Tcheou-kong dici in gratiam fratris perspicuum est. Nam etiamsi coeleste mandatum se habere haec nova imperatoria domus profiteretur, certum tamen quoque est ex historia iisdemque libris canonicis Ou-ouang populorum et magnatum animos non semel explorasse; imo et vota obtinuisse quae juxta Chi-king undique conspirabant. At si consensus populorum requiritur a sinis (inquiet forte aliquis)

quorsum spectat coeleste mandatum novo imperatori datum? suam ipse Ou-ouang sententiam non dubie explicat dum Cap. Tai-Chi in Chou-King suos ita alloquitur: „coelum in dividendis tum virtutibus tum sceleribus, juxta id quod populi mei vident et audiunt, videt et audit.“ De his etiam plura apud Mencium, qui hujus loci meminit, legere est, quae ultro omitto utpote otiosa.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Nullus est poenitendi locus. Est solidum. Si mandatum mutet hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Mutatio in imperio quae solida seu a solidae virtutis viro fit, ita prodesse potest, ut tandem non poenitenda habeatur.

Interpretibus ad significationes lineae recurrentibus clarius loquitur Confucius in commentario hujus loci. „Mandatum mutat, id est cogitata credit perficienda.“ Cujus mutationis a Ou-ouang perfectae patet laudari boni nomine utilitates, quibus dolor ex laboribus damnisque belli statim a multis conceptus tandem abstersus est. Haec doloris mutatio in bonum indicatur, ait interpres, quod brevi immutet, locumque occupet in sequente quinto epiphonemate, qui his in figuris refert sedem imperatoris.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Magnus vir in tigrem mutatur. Antequam videat, est soliditas.

INTERPRETATIO.

Magnus vir res imperii mutans similis est tigridi mutanti villum. Sed magno viro prius inesse debet animi soliditas.

Haec interpretatio ad mentem Confucii ac plerorumque interpretum, quorum non paucis et quidem merito non videtur satis distincta.

Tigris, inquit glossa, hoc loco est imago magni viri; mutatur tigris, cum suo tempore defluentibus pilis mutatur rursusque pulchrior crescit. „Magni viri est renovare populum; quae in eo fiunt mutationes in melius sunt, velut variationes pellis tigridis recenti venustate; ita Tching-tse. Confucius addit: illius maculae lucescunt. Harum decori, inquit Tchao, comparatur decus ex comparatione rerum suis omnibus numeris et partibus perfecta existens. Verum cur tigridis similitudo adhibeatur, hic non affertur. Cur non ob morem magnatum certi ordinis sedendi in pelle tigridis, quae vel cathedram apud Sinas cooperit, vel pulvino apud Tartaros substernitur. Ita ut mutari in tigridem idem sit ac transire in pellem tigridis, ut solemus dicere transire in lilia, liliis insidere de eo qui in senatum seu parlamentum cooptatur gallicum ob liliatos tapetes quibus sedilia obteguntur. In libris etiam sinicis, nonne, induere Draconem, idem est ac induere togam, si ita loqui fas est, mandarinicam, in

qua seu pictus draco est dignitatis publicae velut tessera. Neque enim solus imperator his insignibus utitur, sed etiam inferiores praefecti. Centenum antiquos Sinas etiam pellibus usos constat omnino ex libris authenticis Confucii et ex Mencii opusculis.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Sapiens in pardum mutatur; desipiens faciem mutat. Si eat, est infortunium. Si in soliditate stabiliatur, hoc bonum est.

INTERPRETATIO.

Sapiens est ut pardus, reipsa mutans villum; insipienti satis est mutare oris speciem. Non pervenitur tamen feliciter ad perfectionem mutationis nisi ea in soliditate consistat, id est, in eo quod reipsa est, non in eo quod solum apparet.

Nostra haec explicatio est ex selectis multo plurium interpretum notis concinnata. Dissensio circa duo imprimis versatur 1) an sapientis institutione praeceptisque omnes possint ad veram virtutem corde amplectendam converti. Sunt qui cum Doctore Tching-tse negent certi generis hominum corda formari posse. Sapienti satis esse, si possit illos inducere ad mutandam faciem, externa mutanda, et in his ad obediendum superioribus ut servit canis. Obedientia, ait Confucius hunc in locum, horum sequitur. Exemplo legislatorum suam Tching-tse defendit sententiam. Nonne Yao et Chun fuere perfecti sapientes? quotnam intra centum amplius annos viri eximii illis

successores? Ita ut nec longo hoc temporis spatio populi ex quibus componitur imperium, fuerint formati remanseve tamen illae gentes, quas vocamus Miao-tse. Casteris populis in quibus vigebat bonitas ingenita in horum animis sapientis institutione facile revirescit ita ut nihil ire opus sit ad alias rei perficiendae rationes. Sunt etiam qui in iisdem commentariis propugnant, nullum esse tam agrestem populum qui, si subjacet sapienti principi, non possit velut cicurari et ad virtutis studium formari, ita ut de mutatis pravis suis consuetudinibus moribusque tandem gaudeat, quandoquidem quam in brutis diuturnitate temporis cicurari solitis plus intelligentiae inest gentibus vel maxime barbaris. Benignitate siquidem, ait in censura interpretum imperator horum sententiam approbans, et patientia constanti mores formantur, ita ut nullum cor non immutetur.

2) Circa comparationem tigridis et pardi in his duobus epiphonematibus id disputant interpretes, an utroque idem edumbretur imperator a quo fit mutatio. Idem videtur interpreti Tching-tse discipulisque. Non idem imperatori in censura et Doctoribus Kong-ouang, aliisque. Enimvero Ouen-ouang et Ou-ouang aperuere velut viam renovando excolendoque populo, ita ut comparari merito possint tigridi pulchrum pellem; deposita veteri, velut innovante et inducente suoque robore obstacula quaecunque perrumpente. Nihilominus successores Tching-ouang et Kaó-ouang qui egregia coepta continuavere, ob populum officiis tam multis ritibusque excultum comparari etiam recte possunt pardo pellis quidem maculis minoribus distinctae, minus oculos suo nitore perstringentis, sed tamen venustae et melioris decoris, cujus venustatem inquit Confucius, maculae indicant;

minorum est etiam virium pardus, quam tigris, at tamen non earum est expers. Qui mutationem imperii fecit, magnis illis viribus ei opus fuit, sed ad illam tuendam vis etiam non mediocris in successore requiritur. Decus itaque imperii splendorque ex utriusque agendi ratione existit, ejus qui imperium condit, et ejus qui conditum ornat.

CAPUT QUINQUAGESIMUM. Ting.

EPIGRAPHE.

Ting magnum bonum, penetrans.

INTERPRETATIO.

In perseverantia stat bonum regiminis (non solum ut antea e malo conversi, sed) omni vitio excocti, velut cibi in coquula illa quae dicitur Ting.

Ad eam animorum ad bonum conversionem quam exponit praecedens figura, nihil magis accedit quam imago coquulae qua ut cibi ita exquisite excoquuntur, ita significari potest regimen, mutato licet in melius imperio, antiqua quae inhaeserunt vitia paulatim excoquens; id vero fieri non posse sine diuturna instruendi cura ac patientia, ita ut felix susceptae institutionis exitus bonumque nisi perseverando obtineatur. Ita explicant interpretes et ante alios Tching-tse, cujus verba ferme exscripsimus, mentem Confucii secutus in commentario Toen ita disserentis: coquula quae habet supra ignem seu prunas, et infra lignum incensum, coquit et excoquit. Perfectus princeps, non nisi etiam atque etiam vitiis excoctus, sacrificat supremo imperatori. Sapientes formare et fovere laborat, intelligentiam seu sapientiam auribus, oculis, totoque

vultu praeferens, nobilem agendi modum sequens, medium virtutis tenens, duris rebus occurrens. Sapientes, ait imperator, a quibus populus erudiatur, et ad bonum publicum ac commune instituatur, formare et educare principis est. Regium onus duabus velut partibus constat quoad populum, 1) annonam illi in annos providere; 2) doctrina illum instruere, quod sane sola sapientum opera fieri potest, qui igitur velut excoquendi et apparandi sunt futuri plebis magistri et rectores.

Notant etiam priscos illos suos legislatores seu heroes ideo imprimis sicut eximios et perfectos celebrari, quod in hac populi excolendi cura nunquam sibi ipsi facere satis viderentur, ut dicitur in Chouking de Tching-tang, et in historia de Ta-Yu, qui aliquando cum in via incidisset in corpus cujusdam mercatoris recens caesi, descendens e regio curru gemensque ait: „hei mihi! cujus tempore haec mala acciderunt! Quam parum dignus sum imperio qui meis curis ac praeceptis haec non impedio! Nonne deberem paternum cor et curas populo exhibere, ut sicut sub Yao et Chun rectum sequeretur?“

EPIPHONEMA PRIMUM.

Pedes Ting, seu coquulae, claudicant. Oportet ut illa sordidus rejiciat. Concubinam habet, filius sequitur. Nullum est malum.

INTERPRETATIO.

Non reprehenditur qui coquulam inclinat; ita expedit; non effluit nisi quod est collectum sordium;

Nec qui filiis carens inducit aliam uxorem eo tantum animo ut habeat qui sibi succedat, id ipsi vitio cui paeque vertitur.

Ex glossa communi et interpretibus nihil aliud colligi potest, nisi, ut loquitur Tching-tse, *inopem* omnia primum esse excoquenda antequam ad summam puritatem animorum ac claritatem gradus fiat. „Rejicit, inquit Confucius, sordida, nobile sequitur.“ Nec in his sordidis, si scilicet vitiosa sunt, adhuc servandis, aut vetustas consuetudinis aut reorum numerus, aut domesticorum dolor, aiunt, valere debent. Vas Ting non est subvertendum, sed tamen inclinandum, quod, inquit Confucius, ne populus terga obvertat disciplinae, cavendum sit.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Est quid in Ting positum. Noster hostis aegre habet. Non potest nobis imponere. Hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Non sit ut coquula cibis vacans, non permittat se circumveniri ab adversariis aegritudine animi liventis laborantibus, et ei bene erit.

Vir formando populo par est haud dubie abunde instructus doctrina et praeceptis quibus scilicet illum foveat. Ex coquula cibis vacua si nihil extrahi potest quod aliis porrigatur, ab animo sapientiae inani quid exspectandum est? id genus tamen multi sunt, viles prorsus homines, quibus ministri sapientis institutio et concilia aegre sunt. Invidia, inquit imperator in censura interpretum, illorum morbus est. Sed viles in hoc maxime nocent quod variis benevolentiae significationibus et adulationibus agant, atque ita in principis

incauti animum sese insinuare attentent, cujus scilicet magna forte jam gerunt munera. Quos, ait Mencius, magnos viros dicis, nonne puellae nubenti sunt similes? ad id unum assidue attenti quo inclinat principis aut amor aut odium, ut huc et ipsi sequantur.

Hoc muliebre ingenium et putide blandiri studiosum, a Mencio adulatoribus aeque tribuitur. Hi (in commentariis regiis) a principe severe quidem at non saeve sunt repellendi. Severe, ne in magna munera apud principem irrepere audeant; non saeve, ne quam ultro abierint ante animo exasperentur.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Ansas Ting mutat. Suam actionem tegit; non comedit ex phasiano decoctum; fere pluit; poenitendi locum detinet; in fine bonum.

INTERPRETATIO.

Coquulae exquisitam carnem, v. g. phasiani, decoquenti mutentur quantumvis externae ansae, illius efficientia ut prius sensim quidem at nihilominus procedit, nec minus comestibile fit ex phasiani carne decoctum. Pluvia dummodo aliquando tandem agros perpluat, deponenda utique est concepta prius animi aegri sollicitudo, quandoquidem jam adest quod expetebatur bonum.

Celeber interpres Hou-ping-ouen similitudinem hic allatam componit cum ea quae tertio articulo etiam affertur ad emblema 48. In utroque capite agitur de alendo populo et doctrina morali imprimis instruendo. Emblema 48 puteum exhibet, hoc coquulam; in tertio

epiphonemate puteus ille dicitur parvus et aquae limpidae, ex quo proinde tuto hauriri potest, licet forte ex eo ab omnibus non hauriatur; in hoc autem tertio affertur coquula ansis forte nonnullorum manui minus accommodatis, quam ut ab omnibus, v. g. a sedentibus superiore loco apprehendi possit, nec tamen rejicienda, utpote habens intus eximium cibum, puta decoctum ex phasiano. Quo si quis non utitur, non ideo uti non potest, vel, ut Confucianus commentarius sine metaphora loquitur, non ideo justitiam perdit. Utraque itaque similitudine idem exprimitur sensus: non deesse scilicet homines vera sapientia plenos, sed latentes varia sub veste, juxta cujuslibet conditionem, hosque inquiri a principe debere, ad regiminis partem aliquam adhibendos. Inanem esse communem querelam deesse sibi viros idoneos, quandoquidem in tanto imperio deesse non possunt. Cura et sagacitate opus est; at si ab eo quaesiti inveniantur, non est cur suae in inquirendo curae ipsum poeniteat. Debet concepta prius animi aegritudo atque anxietas cessare, quemadmodum cessat ex sterilitatis metu dolor, ubi cadens licet paulo serius, votis tamen respondet pluvia ex mutua conjunctione principii utriusque Yn et Yang.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Pedes Ting resecat. Kong frumenta deglutit. Supplicüs mulctatur. Hoc pessimum.

INTERPRETATIO.

Coquulae auferantur pedes, ita ut fiat inutilis. Ex ea vesci magnates nihil prodest, qui populo inutiles

sunt; ita agere ut illi agunt, est dignum poenae et calamitati obnoxium.

Magnum damnum magnaque regni infelicitas est, ait Doctor Hou, habere magnates, quorum cum sit populum instruere et juvare, frumenti seu oryzae medullam inutiliter deglutiunt. Quod vult adagium eleganter dici solet de magistratibus qui stipendiis regiis vivant nullo operae emolumento aut populis aut principi. At inquit Confucius, non consulere patriae et regio, censu frui, est magistratui cuicumque vehementer erubescendum. Eadem dicuntur in Cheu-King totidem ferme verbis, et conveniunt cum nostris. Otiosis salaria abstulit Antoninus Pius, crudelius, inquiens, nihil esse quam si rempublicam ii arroderent, qui nihil in eam sua cura conferrent.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Ting flavae ansae, auri capsula. Oportet ut soliditas sit.

INTERPRETATIO.

Coquula aureis ansis firme tenetur. Non nutat capsula auro plena. Soliditas imprimis requiritur.

In quocumque quidem, sed ante alios in principe, ait interpres, requiritur animi soliditas. Sit ille virtutis firmae. Sit aureae mediocritatis tenax. An vero vox sinica capsulam an tubum significet, nihil opus est inquirere, cum idem existat ex utroque sensus.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Ting gemmarum capsula; magnum bonum: nihil est quod non conveniat.

INTERPRETATIO.

Si coquulae ansis etiam aureis capsula gemmea substituitur, majus utique existit emolumentum. Quid boni non haberi sperarique potest?

Observat interpres Y-e h i, rursus intercedere similitudinem inter utrumque emblema. Sexto nempe articulo in 48, puteus primum parvus exhibetur, ultimo optimus et perennis. In hoc quinquagesimo coquula fit tandem gemmea. Ex utroque novum existet emolumentum, et quidem quo majus, ex hoc rerum genere haberi non potest. Unus tamen similitudinis diversae sensus in quo vertuntur omnia epiphonematum documenta. Populum scilicet omnibus subsidiis a vero principe debere instrui, ita ut sicut nec aqua pura et perenni abundans puteus deesse potest, nec etiam copia edulium aut opum quibus parari illa possint; ita principis institutio quae caeteris semper praestabit ne desideretur sapientum ministrorum curis praeceptisque ad summum perducenda cum vera prorsusque ingenti felicitate. Ad hoc, inquit Ouen-ouang [1]), oratione ad principes, coelesti mandato imperium accepi, ut sim populi rector et magister. Coelum non per se regere vult, nec per se docere, sed producit qui illius vices obeant. Explicat id Mencius paucis, sed clare: Ex omnibus hominibus quos procudit, jubet eos quos rerum cognitione prae caeteris instruxit, instillare intelligentiam rudioribus, iisdemque recte vivendi animum indere excellente vitae exemplo.

1) Chou-King II., 4.

CAPUT QIUNQUAGESIMUM PRIMUM. Tchin.



EPIGRAPHE.

Tchin est penetratio, si tremule veniens proteget, intra ridentes et loquentes gaia erit uxo. Licet tremule ad centum stadia Li timorem incutiat, mordendo non amittit Tchang (vas in cerimoniis usitatum).

INTERPRETATIO.

Exhalatione fulminea nihil praestantius. Vibranti similis dum venit sollicitudinem affert. Ridere et loqui paucis convenit. Sono longe lateque terret; at si quis tunc parentat suis cum vini patera, non ideo caerimoniam deserit.

Conscientia, aiunt interpretes, officii suis parentibus debiti observantia sincera pii filii sine timore est. Nec timet, addit Tchi h g-tse, vel ex fulmine apud recti cordis homines eo progredi potest ut illos inducat ad amittendum filialem illum metum ex solida veraque animi observantia profectum, meliorem, juxta interpretem, quocunque terrore ab externo veniente, ut a fulmine, a poenis. Non jam timet qui scivit timere culpas: fulmine nimirum puniri dignas. In reos cadit

fulmen quando oportet. Illo populum terreri et sollicitum, notat Confucius in commentario Toen, fier ipsius felicitas est; tam illi qui longe distant, quam qui prope sunt, metu tremunt, atque in officio continentur.

Quin et sapiens, ait in alio commentario Siang studet cum timore et tremore se ipsum perficere; esse autem improbum et ad tonitru pallere, sinis in proverbio est. Quod eorum dictum latius forte patens intelligi velim ad sensum poetae de reis:

Hi sunt qui trepidant et ad omnia fulgura pallent;
Cum tonat exanimes primo quoque murmure coeli
Non quasi fortuita nec ventorum rabie, sed
Iratus cadat in terras et vindicet ignis.

Cujus vindictae aliqua afferunt exempla interpretes et ante alia exitium imperatoris e secundâ familia Chang vigesimi quinti qui in coelum petulanter procax immissa etiam velut contra aemulum sagitta dum venaretur, fulmine ictus periit.

ANODATIONES.

1) Juxta interpretes totum hoc emblema pertinet etiam ad morum emendationem. Praecedens sapientum praecepta, exhortationes exemplaque, hoc minas et terrorem ostentat improbis, qui tonante coelo, aiunt, colorem mutant. Probi secus securi sunt, inter se colloqui, laetari et ridere possunt. Inter similes homines qui timendi causas non habent, grata erit, ait textus, unio, inter viros scilicet solide probos, est vera conjunctio, quia ut ait Tullius, sine virtute amicitia esse vera non potest.

2) Litterati, inquit Chi-tang-hou, de fulmine ita scripto tradidere: quando subtilior spiritus principii Yn seu materiae terrestris addensatur colligiturque, accidit, ut partem aliquam secum trahat ex spiritibus materiae coelestis seu principii Yang, quae proinde intus claudatur. Haec vero cum exire nequeat procul dubio vires contra exerit, et velut

repercutit, inde est ictus fulminis. Fulmen, aiunt in eodem libro de naturae ratione, est a principiis seu materiis Yn et Yang invicem se collidentibus. Ex motu celerrimo hujus materiae coelestis Yang, fit, ut sub sensum prodeat spiritus, sicut celerrime terebrando lignum, sicut valide fricando et percutiendo cannam potest ignis excitari, ita duae res quae ex se ignem non habent, ex motu ignem concipiunt, sicut ex lapide percusso ignis emicat; fulgur est ab iisdem principiis seu materiis invicem luctantibus. Coelestis materia intermicat et lucem sequitur fragor; lux prius ferit quam sonus; Yang materiae tamen prior motus fuit. Sed fit interdum ut tonet et non fulguret, et vicissim; causa est quod spiritus terrestris Yn coagulatus et collectus habet partes ex tarditate raras, habet et ex celeritate densas, in aequales, sicut puta alias crassas, pingues, viscosas, alias tenues, subtiles, penetrantes, licet omnes e terra eductae et principii Yn spiritus sint, id est (ut nos vocamus), vapores et exhalationes ex terrestribus aqueisque corporibus. Primae, aiunt, lente seu tarde aliquoties motum materiae coelestis seu principii Yang sequuntur, hincque ante micant quam istae densatim assecutae sint. Sunt rarae itaque; at ubi deest densitas, non est violenta elisio magni soni seu fragoris causa. Secundi generis partes celeriter seu cito sequuntur, ita ut prius abeant fere omnes quam concussio perficiatur; inde est quod non intercipitur nisi quod reliquum fit, hoc autem reliquum est utique modicum, viriumque proinde modicarum, ut concurrentia perfodiat quidem satis ad motum aliquem sonumque, non tamen ad dissolutionem; densata itaque multa perstant. Unde, aiunt, quando tonat et non fulgurat, aut quando fulgurat et non tonat, nulla tunc est pluvia, secus est si simul tonat et fulgurat. Sed de his satis.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Si tremule veniens sollicite protegit, postea inter ridentes et colloquentes erit unio.

INTERPRETATIO.

Ex sollicitudine quam motus fulminis incertus affert hoc bonum existit ut plures possint illud deinceps animo vere quieto laetoque audire.

Sensus idem qui supra, Confucio aliisque interpretibus, fulminis quod rudi plebeculae mali ominis est, terrorem ad illius bonum conducere affirmantibus. Tching-tse hoc in epiphonemate idem observat. Nam ex eo quod aliquis ita territus est, ut sollicitus anxiusque pendeat, necesse est ut quaerat modum quietis animo procurandae, sibi invigilans moresque emendans, quod ubi fecit convenire cum ridentibus et colloquentibus in textu dicitur. „Ita se componet, ut deinceps, ait Confucius in commentario, norma aliorum futurus sit.“

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Tremule veniens, periculosum est. Generose divitias contemnit. Ascendit supra novem monticulos; ne eum insequare; intra septem dies possidebis.

INTERPRETATIO.

Quando fulmina violente vibrata in locum aliquem cadunt exitiosa, quis est qui opes quantascumque habeat domi non statim deserat, et inter altissimos

etiam, si ita necesse est, montes latere non malit. Nec est opus illum insequi, reddetur suae domo, ubi exactis sex diebus, quos ultra non saeviunt hae procellae, septima affulserit.

Sex dies juxta interpretem Tching-tse designantur a sex lineis quibus vis fulmineae procellae a minimo gradu ad summum exponitur. Verum licet nullus sit interpres philosophos suos secutus, qui non fateatur numerum sex adhiberi ad alicujus rei incrementa et decrementa, ad eum omnino modum quo numerus novem a scholis post Aristotelem usurpatur, non tamen constat sex figurae lineis hic designari sex dies. Imo communis glossa ait: haec verba novem monticuli, septem dies, non intelliguntur distincte et sigillatim.

In his igitur similibusque quae pauca sunt et a nobis notata habet lector in singulis id genus figuris, nihil satius est quam sequi doctioribus pluribusque probata. Quibus nos addimus novem monticulos merito accipi ab interprete Tching-tse pro altissimo monte qui novem nempe jugis assurgit, cum sint reipsa in imperio vocata a numero jugorum, trium jugorum, quinque jugorum, novem jugorum, ut liquet ex novis Geographiae Sinicae a nobis in ipsis locis descriptae tabulis.

Interpres Yang-chi-kien affert huc exemplum principis Tai-ouang atavi imperatoris Ou-ouang, qui multiplici vexatione velut crescente multis diebus procella exagitatus recuperavit tandem tranquillitatem tandemque meliore in loco Ki-chang domum suam constituit Quae notatio ad eam recidit nostri Senecae: non est arbor solida nec fortis, nisi in quam ventus incurset, ipsa enim vexatione constringitur et radices certius figit. Fragiles quae in aprica valle creverunt etc.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Quando tonat totus est stupefactus. Semper ac si tonaret agas, nullum erit infortunium.

INTERPRETATIO.

Vir non rectus, ut tonat, viribus velut deficitur. Infortunium quod timet, vitabitur, si agere ita stude perinde ac si a coelo tonante timendum nihil sibi esset.

Vir non rectus, inquit Tching-tse, non potest quieto animo esse, multo minus ut exit fulmen novumque auditur tonitru.

Si ex metu illo suo ita potest agere ut quod inest pravum corrigat, factus jam vir bonae frugi, quid plus caeteris timeat? alii vix nunc timent quia semper multum timuere.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Dum tonat, in coenum decidit.

INTERPRETATIO.

Tonantis coeli metus non impedivit ejus lapsum in pejus, v. g. lutum coenumque tenax.

Improbis ita interdum animus obcalluit, ut non absterreatur a vitio in quo velut coeno tenaciter detinetur et volutatur, ita ut, ait Tching-tse, redire non possit. Cur vero? quia, inquit Confucius in hunc locum, nondum ei lucescit, in tenebris adhuc versatur. Prius illae, aiunt, institutione assidua et patientiae

plena depelli debent; nhi illuxerit nocet periculum, metu proficiet.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Dum tonat, sive vadat, sive veniat est periculosum. Non maxime errat. Habet negotia.

INTERPRETATIO.

Cavendum sibi semper est, tam euntí quam venienti fulmen est metuendum. Qui ita timet potest habere seu scit tractare negotia.

Sensus hujus sententiae recidit in sensum superiorum; ita caute probeque agendum, ut nulla subsit metuendi causa; rursus ita metuendum, ut nihil incaute et imprudenter fiat. Sed, ait interpres, cautio metusque modum etiam habent; neque enim omnia metuenda, omnia cavenda. Videndum scilicet, ne sit ex eo hominum genere, qui ut utar verbis Terentii, ubi verendum non est ibi verentur, ubi verendum ibi non verentur.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Dum tonat, pavet, pavet. Si aspicis Kou variat species. Ire est pessimum. Tonitru ad illum non pervenit, ad vicinum non pervenit. Nullum est erratum. Cognationis sunt verba.

INTERPRETATIO.

Tonante coelo improbus trepidat; ut in circumstantia respicit, non constat in vultu color ad adspectum

calamitatis in quam incurrit. Quando quidem nondum in ipsum detonuit sed solum in vicinos, ita timeat invigiletque sibi ut nibil peccet. Haec sint ut verba sponsalium quae semel dicta nunquam mutantur.

Interpretatio non differt ab ea quae in regiis commentariis affertur ut proprius Pen-y sensus; consentitque cum expositione interpretum Tching-tse, Tchao-tse aliorumque magni nominis; quod ad nostrum institutum satis est, licet non desint qui circa aliqua textus verba ab illis dissentiant; at meo quidem judicio immerito. His scilicet mutatis violente deinde est trabendus reliquus textus ut aliquid dicere videatur.

CAPUT QUINQUAGESIMUM SECUNDUM. Ken.



EPIGRAPHE.

Ken in dorso suum corpus, seu se ipsum non noscit. Si eat in aulam neminem videt. Nullum est erratum.

INTERPRETATIO.

Saeculi contemptor est ut vir totus tergo incumbens in montis (Ken mons est) dorso; suum ne quidem corpus habet oculis contemplandum. Talis vir vel in aula non reperit in quem obtutum figat, nec ideo tamen reprehendendus.

A caeteris hominibus alii sunt, inquit Mencius, qui vocantur coeli homines, utpote coelesti legi sequendae unice intenti. Si vident se posse imperio prodesse munera admittunt, sin minus saeculum fugiunt. Ex eo toto saeculi contemtorum numero laudantur a Confucio duo ipsius principis Ouen-ouang cujus est haec epigraphe, patrui Tai-pe et Yu-tchong qui in gratiam fatris Ki-lieou dicti, Ouang-ki natu minoris, sed ad regnum a patre Tai-ouang destinati, exulare maluerunt quam vel leviter contendere, et inter australes barbaros tonsa caesarie, omnibusque suae nobilitatis indiciis studiose occultatis, vixere. In hos et

aliquos, paucos quorum adhuc nomen celebre est cadit ejusdem Mencii conclusio: „auditis mundanae pompae contemtoribus improbi ad bonam frugem redeunt, effraenatis cupiditatibus modum ponunt, immoderati, inconstantes in virtutis tandem adipiscendae consilio animum confirmant. Similia habent interpretes hujus loci: „illorum animus non sequitur corpus; perinde sunt ac si essent sine corpore, ad quod nempe non attendunt, quocunque eant perinde ac si non viderent ita se gerunt. Non spectant sed rationem, non norunt nisi quod rectum est. Hoc exprimitur similitudine dorsi, quia oculus, auris, os, nasus habent quod ut cuique proprium appetat, dorsum minime nihil videt, nihil appetit, in dorsum supinus coelum solum videt.“ Ita optimi quique interpretes Tchíng-tse et Tchao-tse, Mencium forte secuti.

Caeterum ex Lao-tse et Tchouang-tse multo plura et a sensu communi remotiora huc quidem referri possunt, quae vel ipsis rigidissimis antiquitatis nostrae Stoicis Cynicisque viderentur paradoxa; at observandum est mundi saeculique fugam de qua illorum schola jam Bonzaica, Tao-kia dicta, tam multis loquitur, multum differre a doctrina litteratorum et imprimis antiquorum. Illa solitarios potius format et quidem juxta illorum praecepta, uno suae quietis amore saeculo abstinentes, eique inertis otii commoda praeferentes, tota vita otiosos. At haec principis Ouen-ouang caeterorumque sapientum doctrina eo spectat, ut, qui ad munera seliguntur, illa dum admittunt, sint ita animo comparati proprioque amore vacui, ut nec suae quietis nec amicorum utilitatis sed solius boni publici rationem habeant. Admittunt dignitates quando vident populo prodesse; eas dimittunt sine turbatione animique aegritudine, magnanimi scilicet liberique;

in veris proinde magistratibus civibusque eximiis imperio formandis schola Confuciana ita versatur, nihil ipsi ut opus sit praecepta petere ex aliena schola quorum aliqua licet ad litterem idem videantur exprimere, ex diversis tamen principiis deducta erroneum ferme obtegunt sensum.

ADNOTATIONES.

1) Motus Tchin, inquit Tching-tse, non semper durat, subsistit tandem. Ideo figurae Tchin de fulmine quo res animique ipsi moventur succedit haec figura Ken montis quae tranquillitatem ac soliditatem significat.

2) Ken, in commentario Confucii de imaginibus, est mons. Huic similis est princeps cui sua magnitudo sufficit, ita, ut ejus desideria extra suae dignitatis fines non ferantur.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Digitos detinet; nullum est erratum. Oportet ut sit soliditas.

INTERPRETATIO.

Acturus aliquando nondum tamen manum admovet; nullum in hoc malum; imo bonum est constanti animi soliditate praemuniri qui ad publica munia aggreditur.

Sensus ita patet, ut nulla sit inter interpretes dissensio. Nam quod pertinet ad quaestionem, an voce Sinica manus aut pedis digiti indicentur, nihil omnino ad sensum facit. Ad pedes etiam alludunt hae apud nos voces: ire, discedere in sententiam, nec plus significant quam sine metaphora consentire v. g. de re agenda suscipienda. Pedibus, ait Tacitus lib. 14. in

sententiam ivere. Quid habent sinicae formulae haec durius?

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Poplitis juncturam detinet, absque auxilio sequitur. In illius corde nihil decreti.

INTERPRETATIO.

Qui ab alio pendet, ut ab articulo membrum nihil habet aliud consilii, quam sequi; non prout fert, animus agere debet.

Etiamsi dotibus variis sit praeditus, ipsius est a superioris nutu suum velut motum exspectare, ut materia terrestris seu principium Yn motum accipit a materia coelesti seu principio Yang. Hujus est linea tertia superior, illius est secunda inferior; inferioris autem est non ad id quod collibitum est animo ferri, sed suo vi animo illata superiorem in agendo sequi, nec ut interpretatur Confucius redire ad audiendum, perinde ac si non bene mandata audiisset.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Scapulas detinet, a renibus removet, hoc periculosum, corde dolorosum.

INTERPRETATIO.

Humeris onus ferre velle elumbem, res est plena periculi et doloris.

Ita eum esse volunt interpretes qui licet publica ad quaevis negotia non sit inidoneus, suis tantum viribus vult illa sustinere gerereque sine auxilio aliorum etiam officiis subjunctorum. Similis est inquit Tching-tse, seu fit lumbifrago. Tunc enim superioris partis cum inferiori non est mutua in sequendo et dependendo consensio in referendo regimine quod sublapsum est mihi, aiebat Ou-ouang, decem reperisse et habere adjutores gratulor. Horum viribus, aiunt, sustinuit imperium. Nonne et in proverbio est, lumbis valeat qui onus grave suscipit ferendum.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Suum corpus detinet; nullum est malum.

INTERPRETATIO.

Abstinere se ab omni negotio publico non est semper malum.

Quando cursum rerum in pejus ruentium sistere non potest qui proximus est principi a quo minime auditur, (inquit interpres, quod saepe et a Confucio et a Mencio factum esse narrant discipuli) qui novit cessare ab actione, ubi non est agendum, idem poterit, ubi agendum erit, agere sine difficultate.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Suas genas detinet. Verba seriem habent. Non est, quod poeniteat.

INTERPRETATIO.

Genarum pudor in ore verba contineat. Tua constet sibi oratio, nec habeat quorum postea te poeniteat.

Non dicitur, inquit Kong-chi-pin, in textu nihil loquendum, sed nihil loquendum nisi quod in bucca aliquandiu substiterit. Solus sapiens, addit Tchao-siou-tseou, meditari dicenda cum possit, ideo dignus est qui verba faciat; nihil dicit nisi meditato. Prius itaque, ait Kou-chi, subsistendum est. Verba ut ex ore prodiere, actum est. Consideratio tarda venit. Verba, inquit Mencius, infausta sunt quae ad aliorum sunt damnum.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Fortiter detinet, hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Bene habet qui constanter se continet intra officii fines.

Seu intra obligationem procedendi et subsistendi, sustinendi et abstinendi. A qua observatione inchoat Confucius suum commentarium in hanc figuram.“ Vox

Ken est subsistere. Est tempus subsistendi seu cessandi et tunc oportet subsistere et cessare; est tempus procedendi seu agendi, tunc oportet procedere et agere; quies et motus suum tempus habent. Praeclarissima est haec agendi ratio. Magna siquidem, juxta interpretes, consilii pars est in tempore. Quod si constanter et perseveranter observatur rei perficiendae opportunitatem affert.“

CAPUT QUINQUAGESIMUM TERTIUM. Tsien.

Tsien. ventus . . . . . Suen.

mons . . . . . Ken.

EPIGRAPHE.

Tsien. Filia nubit; hoc bonum. Oportet ut sit soliditas.

INTERPRETATIO.

Tsien lente ac velut pedetentim acceditur ad negotium filiae nupturae, et quidem bene, ne quae requiritur soliditas postea desideretur.

Hoc velut exemplo docent plerique interpretes et quidem celeberrimi negotia maxima non repente, sed tantum gradatim perfici posse. Imperii negotia non fiunt, nisi sensim et lente. Nihil lentius fit, quam cum filia danda est ad nuptias; non magis lente it praefectus quando ingreditur palatium imperatoris. Quanta rituum series est observanda! Haec si non observantur censetur indecore perverseque facere; brevi calamitas sequitur. Hoc domesticum, ait Tchao, proponitur exemplum quo festinatio in negotiis publicis reprimatur. Sicut puellae hactenus domus remota parte inclusae, ut ingrediendi tempus est, multa prius sunt inquirenda, statuenda, paranda, neque aliter decore et ex ritu perfici potest; ita sapienti ad res publicas graviaque negotia aggredienti circumspicienda omnia

sunt ac disponenda, ut recte fiant, nec haec ipsius cunctatio mora fastidioque esse debet, si utilis est. Haec Ouen-ouang, qui a foederatis cunctator habebatur, necesse habuit opponere, ut jam non semel observavimus. Cur vero si quis quaerat similitudinem ex cujuslibet magnatis nuptiis nisi post longam inquisitionem et apparatus moram celebrari solitis repeteret potiusque usurparet? Erant illo scilicet tempore notissimi versus qui extant odarum Tcheou-nan et Tchao-nan vel Kouan-tsiou quibus ipsius erga sponsam Tai-tse desideria longaque expectatio, quod notat Confucius, dolenter exponuntur. [1])

Ut ut sit, argumentum quod haec ipsius epigraphe adducit semper valere potest, sicut logici loquuntur, a minori ad majus, seu a domestico negotio ad imperii negotia, ad quae major animi vel tarditas vel provisio requiritur, qualis fuit in Ouen-ouang. Tsien, ait Confucius, [2]) „est accedendo paulatim intrare.“ Lente filia nubit, ita accedendo pedetentim obtinetur, et quidem ita pervenire est gloriosum. Si quis ita tandem pervenit vere rectus poterit rectificare regnum; quod sub Ou-ouang filio imperii restitutore factum omnes libri Sinici loquuntur.

ADNOTATIONES.

1) Ex summo metu ad quietem de quibus actum est in figuris Tchin et Ken praecedentibus non repente transitur, sed lente et paulatim uti docet hoc emblema Tsien, aliis ideo, ait Tching-tse, subnexum.

2) Emblema Tsien juxta Confucianum commentarium in imagines Siang, nihil aliud est quam mons ligno seu arboribus coopertus, quae certe non nisi lente et paulatim tam

1) Lun-Yu.

2) In commentario Toen.

Uxor praegnans transgressa jam non habet unde alere se possit et foetum. Minus malum sit versari inter hostes vel latrones; quo nihil infelicius censetur.

Explicatio est communis utpote quae Confuciani commentarii sententiae inhaeret; illis verbis animi rectae viae desertoris angores potius quam corporis aerumnae nonnullis exprimi videntur, nec contra valet exemplum anseris. Nam, ait glossa, id genus anseres aves sunt aquatiles, in aridis desertis non possunt esse quietae, suntque ideo corde infelices. Leve est hoc dissidium, nec sensui communi detrahit, nihil siquidem obstat, ut tum corporis tum animi tormentum his textus proverbiis exprimatur.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Anseres ad arbores accedunt; forte posito ramo considunt. Nullum est malum.

INTERPRETATIO.

Anseres ad arbores accedunt, non ut ibi dormiant, sed tantum si quem levem ramum offendunt, obiter in eo insident, nec ullum in eo est malum.

Quies illa, aiunt interpretes, non est nisi fortuita et extemporalis, non certa ac genuina. Anserum non proprium est noctu in arbore diversari. Si casu morae tantillum trahunt in obvio ramo insidentes, nihilominus verum est arborem non esse quietis locum eis convenientem, quandoquidem in ejus ramo sunt natura sua semper trepidae. Errant et qui ex aliquo praeter spem eventu quietum dum vident regnum augurantur posse deinceps quiete vera solidaque frui, frustra id

speratur, si rectitudo quae sola indita est homini securitas, ulterius non inquiritur. Pietas, ait Mencius, est tranquilla hominis domus. Aequitas est recta hominis via; hanc relinquere est nolle in domo quiescere.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Anseres ad monticulum ascendunt. Mulier foetum tribus annis non concipit. In fine non vincit bonum.

INTERPRETATIO.

Anseres jam obtinent (qui illorum quieti convenit) montem mediocriter altum. Contra filium non obtinet mulier interdum ne quidem in fine triennii post nuptias. At quod optatur non nisi tarde obtinere aliquando tam felix est quam fuit statim obtinere aut obtinuisse. Negotiorum non una eademque est ratio, nec celeritas semper felicem affert exitum; nec tarditas semper detrimentum. Nihilominus, aiunt interpretes, diuturna in recto perseverantia votorum summam obtinet. Ita et Confucius interpretatur bonum, hoc est, obtinet quod desiderabat. Qua enimvero vi obtinet? Qua, respondent, tenet medium recti, vel a natura vel a ratione praescriptum. Mediocritatis hujus infinita est vis ad se insinuandum. Videndum superest an ducem sequamur naturam et rationem. Vir sapiens, ait Mencius; si coelum votis non annuit, non irascitur, si homines non secundant, non conqueritur. Insipiens habet multas de aliis querelas. Queri potest saepius de se ipso qui est extra medium, seu qui a medio solet aberrare.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Anseres ad viam suam accedunt. Dum plumaria sua componunt, tunc oportet uti. Hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Anseres suas coeli vias ingrediuntur. Colligendae prius sunt speciosae eorum plumae, a quocumque cui illis uti convenit.

Adumbrant illae aves hoc loco, juxta interpretes et communem glossam, viros illos sapientia et virtute adeo excelsos ut humanum gradum excessisse videantur. Sunt illi in exemplum omnibus propositi, in illorum speciem intendi debet, si virtutis culmen cogitatur. Inter eos eminet Ouen-ouang. Pater meus, aiebat Tcheou-kong, ut refert Mencius, Ouen-ouang est mihi norma et magister. Minori certe ornamento sunt plumae vel maxime speciosae quam ea quae nobis excellentes viri dedere documenta quae nobis et decori et praesidio sunt. Ideo, inquit Mencius, vir sapiens illorum versus concinit, eorum orationes assidue terit, verba et sententias perpendit, transmissa documenta addiscit, suam ita exornat excolitque personam. Ita celeberrimi quique interpretes; nam vocem sinicam Lou, viam planam, interpretantur in hoc loco viam nubium, viam coeli seu per aëra. Notam approbat imperator in censura interpretibus adjecta his verbis: haec vox Lou reperitur in textibus hujus figurae; in tertio et in sexto haec reperitur. At qui nos praecesserc litterati Lou aliam substituere quae et Lou pronunciatur, estque via nubium seu per auras.

CAPUT QUINQUAGESIMUM QUARTUM.

Kouei-mei.



EPIGRAPHE.

Kouèi-mei. Si eat, hoc pessimum. Nulla est convenientia.

INTERPRETATIO.

Puella jam nuptura ne quidem tunc exeat foras. Multum inde mali, nihil emolumenti existere potest.

De statutis nuptiis, ait interpres, gaudeat et se domi contineat. Movere se est peccare contra decorum, quae est magna infelicitas. Duplex dicitur in censura imperatoris, peccatum; primum non expectare, sed velut ambire nuptias, quae parentum curae sunt; secundum matrimonium urgere ante statum tempus, quod ex mariti sententia est. Maximi siquidem, ait Mencius, aestimandus est pudor. De Ouèn-ouang cum Tai-sse matrimonio cujus supra meminimus, id notat Confucius, in Lun-Yu, in ejus celebratione non solum nihil non gestum ad pudoris leges, sed ne quidem cantatum, quod verecundas aures offenderet.

ADNOTATIONES.

1) Praecedens emblema docebat lente et velut pedetentim accedendum. Hoc jam de congressu loquitur, ideo, aiunt interpretes, se invicem sequuntur.

2) Comparatio haec puellae ducta est a nominibus tabellae symbolorum a Ouen-ouang aliter quam, ut putant, a Fo-hi dispositae, de qua supra. In ea Toui vocatur Chao-miu, juvenis puella. Tchin vocatur Tchang-nan, vir et ideo juxta glossam et interpretes vox Sinica mei, soror minor, hoc in loco est juvenis puella. Imo in undecimo capite versa est per vocem non genericam sed propriam soror, ob historicas rationes illum ad locum allatas, quae genuino vocis sensui melius conveniunt.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Dando filiam dat comitatum. Claudus potest incedere. Si eat, hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Quae nubit puella non ita venit destituta, ut licet debilis, non possit adjuvare. Nonne et qui uno pede infirmus est, potest tamen ad aliqua agenda adhuc ire, atque ita non est inutilis.

Etiamsi debilis, ait glossa, si sit animo fortis et verae virtutis mulier, potest etiam principi magno auxilio esse. Non potest tamen, inquit Tching-tse, in magnis negotiis, sed in exercitatione virtutis. Sicut qui claudus est, ire ad omnia loca saltem ad ardua aut valde remota non equidem potest, potest tamen ad aliqua, et servus si fidus est, talis familiae adhuc utilis est. Convenientia, ait Confucii commentarius, adjuvat vel promovet.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Strabo potest videre. Oportet ut persona abscondita habeat soliditatem.

INTERPRETATIO.

Etiamsi nupta in domus penetralibus maneat, tamen mente ut est solida aliquid in negotiis videre potest. Cui caligant oculi, ne illi quidem latent omnia.

Videre potest, ait Tching-tse, sed non distincte quae sunt longe. Eandem explicationem capite 10 art. 3. supra Confucianis verbis retulimus, nec eam quoque a praecedente nisi verbis differre facile est advertere.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Qui dat filiam protegit. A fortiori matrimonii comitatus.

INTERPRETATIO.

Puella non recta quae nuptui datur a parentibus et ab illius servitio addictis frustra protegitur.

Alluditur ad morem quo puellae in alienam familiam transeunti nuptiis praeter caetera dantur famulae. Illa puella non recta fit vilis. Vilis, inquit Tching-tse, fit non quod natura aut conditione sua sit, sed quod virtutem amittat.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Dandi filiam determinatam tempus fluxit. Tardius erit dandi tempus.

INTERPRETATIO.

Eximiae puellae etiamsi tempus nubendi advenerit, nihil obest negotium extrahere.

„Non ei deesse potest cui nubat digna multorum foedere et exspectatione ipsa, ait Confucius hunc in locum, auget aut illius famam, aut illorum desideria.“

EPIPHONEMA QUINTUM.

Ti-Y puellam scilicet sororem suam nuptui dat. Heriles vestes non accedunt ad vestes sequentium armillares, veluti luna fere in plenilunio. Hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Eximia virtutibus puella, qualis erat imperatoris Ti-y soror, dum nubit, non decus suum ponit in vestibus, quo rerum genere vinci se patitur a suis ancillis, armillas aliaque pretiosa ornamenta ostentantibus. Horum ad instar est ipsi virtus, cui nihil deest ut lunae splendori in plenilunio. Quid felicius familiae obtingere potest.

Is epiphonematis sensus ita est perspicuus ex ipsa glossa communi, ut latinae ejus versioni nihil opus sit

addere. Notat Tching-tse ritus matrimoniis puellarum domus regiae praescriptos imprimis a tempore Ouang-ki, usque ad Ti-y, patrem solio deturbati Tcheou, profluxisse, et id genus virgines quantum viro nobilitate emineant, debere se illi demittere; ideoque fieri mentionem puellae quae erat soror imperatoris Ti-y posteritati velut data in exemplum, clarissimae scilicet Tai-sse, uxoris principis Ouen-ouang. Ut illa, caeterae, ait, maxime faciant quae sunt officii, non quae sunt ornamenti; ut illa et istae non curent suas vestes non accedere ad splendorem vestium quibus aliae nitere ambiunt. Vid. cap. 11. art. 5.

EPIPHONEMA SEXTUM.

In sponsae cystis nulla est res. Si sponsus ovem occidat, nullus fluit sanguis. Nulla est convenientia.

INTERPRETATIO.

Quae obtingit sponsa est ejusmodi ut nihil afferat dignum (offerri majoribus in parentatione). Vir ejus est quoque sicut qui parentans occisa ove non recipit praeclarum sanguinem, qualis in rituali expetitur integritatis viriumque animalis specimen. Quaenam ergo utilitas?

Quae omnia significant sponsam illam ita naturae et virtutis dotibus destitutam ut ab ea digna moribus posteritas non exspectanda sit. Cum tamen, si rituai antiquo, si Confucio, si Mencio creditur, filius pius vereque obediens intendere id imprimis debeat in

matrimonio contrahendo, habere scilicet filios et educare ad filialem suos erga majores observantiam et ad continuenda parentationis officia. Quantum autem hoc Sinis sit cordi constare potest vel ex uno loco Mencii: „e tribus contra filialem observantiam peccatis tertium est rejecto matrimonio mortuos parentes sine posteritate relinquere; hoc ultimum censetur gravius.“

CAPUT QUINQUAGESIMUM QUINTUM. Fong.

Fong tonitru . . . . . Tchin.

ignis . . . . . Li.

EPIGRAPHE.

Fong est penetrans. Rex venit ne tristeris
Oportet ut sit vol in meridie.

INTERPRETATIO.

Fong est abundare populum scilicet, quod fit perspicacia et providentia regis. Est is ut sol meridiana luce collustrans omnia, miseris omnibus adest.

His verbis, inquit Tching-tse, informatur verus rex, orbis honor, quatuor marium felicitas, populorum omnium caput. Regendi artis summa est eo pervenire posse ut populo abundet. Quemadmodum post quam meridiana solis illustratio nullum non pervasit locum, omnia laeta sunt.

Caeteri interpretes similia habent. Confucius vero, ut dum maxime laeta sunt abundantque omnia, id secum cogitet princeps, solem, ut ad meridiem pervenit in occasum declinare, lunam etiam post plenilunium statim decrescere, ita plena vacuis, decrementa incrementis succedere; moveat se, ut sol, semper cum luce et claritate.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Hero occurrens ipsi se adjungit; licet ita sit, nullum est erratum. Si eat, laudabitur.

INTERPRETATIO.

Verus subditus, ut res occurrunt variae, suo principi velut ad latus assistit. Nec quod simul eat culpatur, imo laudatur.

Non est reprehensione dignus. Suum, ait interpres, erga regem seu dominum agit assistens ei, ut dominus agit erga coelum cui adjunctus est. Adjutor nempe ab ipso coelo ad populos gubernandos, quos, inquit Ou-ouang in Chou-king, nec per se regere, nec per se docere vult. Quae doctrina eadem est ac nostra, Principes Dei vices gerunt, sunt Dei ministri, sunt vindices in iram. Parentes etiam Dei locum tenent. Sunt auctores, causae filiorum. His similes formulae in libris sinicis passim reperiuntur et potestatis tum regiae tum paternae originem e coelo in libris antiquissimis clare expressam legere est. Quapropter nullum videtur in hoc discrimen nisi circa voces aliquas et nomina quaedam quae nostrorum nonnullis forte videbuntur hyperbolica, quod a nostro ingenio abhorreant. At imperatorem vocare filium coeli similibusque titulis Sinis, illas hyperboles in rerum etiam minorum appellatione honorifica et in quovis encomio amantibus, non videtur nimium. Nec verba illis vitio verti possunt, quandoquidem perspicua est illorum sententia. At forte aequalitatem aliquam illae similesque appellationes inferunt inter coelum et inter imperatores, aut inter parentes? — Minime vero.

Coelum, seu supremus imperator, est semper origo rerum omnium, est dominus rectorque coeli et terrae, est pater-mater. Rex et pater sunt ab eo assumpti, adjuncti sibi ac velut associati ad ea quae spectant homines. Interest similitudo, paritas late sumpta, concursus, cooperatio utriusque, at nulla aequalitas proprie dicta. Dicendum, inquit S. Thomas, quod homo efficitur diversimode debitor aliis secundum eorum diversam excellentiam et diversa beneficia ab eis accepta. In utroque Deus summum locum obtinet, et quia excellentissimus est nobis essendi. et gubernationis primum principium, secundaria vero nostri esse et gubernationis principia sunt parentes et patria.

Ob diversam etiam exercendae supremae potestatis rationem quae in hoc epiphonemate affertur comparatio principis cum subdito reipublicae administro non utrumque aequalem paremque omnino facit, sed utriusque ad politicum regimen operam comparat. Si minister ideo principi aequari vellet quod tantum posset, transgrederetur, inquit Confucius hunc in locum, et si transgrederetur, calamitatem sibi accerseret, merito scilicet plectendus a principe. Nam quantacunque in dignitate sit, aiunt, subditus, id totum cum habeat a principe, debet ei assistere cum singulari et velut anxia quadam reverentia.

Ad aliquem itaque adjungi, comitem sociumque accedere, adjutorem postulari, apud Sinas, ut apud nos, convenit subditis inferioribusque dignitate; innumerisque magistratibus licet gradu minoribus qui imperatoris adjutores, socii regiminis et participes recte vocari possunt, et variis sinicis formulis tales passim in tribunalibus exprimuntur. Discipuli Confucii nonae in cultu annuo participes fiunt honorum velut illius comites et socii, ab omnibus

·atis, qui tamen suum magistrum discipulis quibus-que eminuisse putant, quantum lenta solent inter rna cupressi, et qui ignorare non possunt in anna- discipulos (qui 72 a Chin-tsong definiti ineunte saeculo leguntur) titulis et dignitate factos fuisse mperatoribus Confucio minores, nedum aequales, tamen ideo minus partis habent in parentatione ucio a litteraria schola fieri quotannis solita. Sunt ut hinc patet, honoris participes, non pares; imperator par fit coelo, juxta omnes Sinas parenti, no, magistro.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Magna illius lucis privatio. In meridie stella ris apparet; quando iverit, dubia et incerta uet. Si soliditatem hubens exspectat, hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Meridiano licet tempore interdum lux solaris de- , ita ut lux stellae polaris oculos perstringat illo itulocumque nitore. Ab ambiguis obscurisque se recipiet? Si feliciter procedere vult, nec est te- arius, seu non est temporarii levisque ingenii, ectet dum lux solaris redierit.

His exprimitur eximiae minister perspicaciae, qui ide vel obscurissima possit explicare negotia; pa- tamen enitescit quod incidat in principem plum- tardique ingenii, seu in, ut utar verbis glossae 'chin-tse, dominum caliginosum et obscurum. m superest illi agendum, ut animum principis renter et patienter monendo clare instruat. Quod

si ne sic quidem ipsius cor demeretur, laudi tamen illi fuerit in illustrando ipsius animo omnes exhausisse subditi sinceri vires.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Umbraculum magnum est. In meridie rarae stellae apparent. Brachium dextrum fractum est. Nullum est erratum.

INTERPRETATIO.

Locus interdum ita adumbratur et obscuratur ut in meridie etiam anonymae stellae (quae exiguae sunt) ex eo supra spectari possint. Interdum et accidit, ut brachium dextrum alicui adimatur sine illius culpa.

Fit, in commentario Confuciano, inutilis vir, quo velut brachio uti poterat princeps ad dirimenda negotia populoque providendum. Ingeniose idem explicat Mencius: Si istis idoneis ad regendam plebem sapientibus, o rex, non uteris, sed illis dicis: quae didicistis seponite, me ad bellum praeeuntem sequamini, idem est ac si diceres vos illos magna doctrinae fulcra, istas sapientiae columnas secate, breviores minores adeoque ad aedificium inutiles efficite etc. Dum vir ille idoneus deprimitur, occultatur, succedant obscuri plerumque homines, in tanta lucis privatione, magna certe negotia non possunt clare peragi.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Illius lucis privatio magna est. In meridie stella polaris apparet. Communi hero occurrit. Hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Interdum solaris lux ita deficit ut meridiano tempore stellae polaris lumen oculos feriat. Exiguum quidem illud, sufficiens tamen internoscendo ac sequendo regi, quae est felicitas veri vassalli.

Recidit haec sententia in secundam de egregio ministro; nam haec etiam quarta linea, ait Tchingtse, exhibet subditum in magna dignitate constitutum seu vassallum, sed apud dominum adhuc tantillum caligantem, licet infra non desint, a quibus lucem mutuari potest aliquam. Ne tunc quidem deserere principem vassallus debet, sed studiosius juvare, accuratius servire, sequi, assistere.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Venit claritas, gaudium. Laus erit; hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Ut claritas redit, redit et gaudium. Laudabiliter agi potest, in quo felicitas est.

Princeps ille, de quo supra, constanti tot illustrium subditorum usu claram negotiorum et politicae administrationis notitiam assecutus supponitur. Scit jam uti opera sapientum qui sibi subsunt. Inde omnia quod recte fiant laudem habent, imprimis apud populum melioris gubernationis suavissimos fructus degustantem.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Domum magnam efficit. Cavaedium intra abscondit se ex janua aspiciens, neminem omnino videt; intra tres annos non apparet; hoc pessimum.

INTERPRETATIO.

Qui laborat ad domum suam affluenter ditandam, iterum in tenebrosam velut fossam incidit. Similis est homini qui neminem e suis novit et qui vicissim a suis etiam diu velut ignotus deseritur. Quid miserius?

Qui, aiunt interpretes aegre ad bonum lucemque adducuntur, facile ad malum tenebrasque redeunt. Famosus ille imperator Tcheou a Ou-ouang caeterisque magnatibus ne quidem absoluto triennio desertus expulsusque, ita in historia depingitur, ut cum magnis naturae dotibus instructus esset, interdum suorum quidem monitis ad bonam frugem revocari videretur, at mox ad odiosam libidinem crudelemque avaritiam relabens sui palatii repeteret tenebras; quas frustra congestis luminibus voluisse depellere, instituta laternarum festivitate, fama est. Ut ut sit, verum

certe est illud Mencii: „quod attinet ad principem, nec qui vult fieri dives, potest esse pius, nec qui vult esse pius potest fieri dives.“ Si vero epiphonema intelligi debet non de principe, uti placet interpretum nonnullis, sed de ministro, observandum est illud Confucii: „minister qui in censu opibusque mentem defixam habet, a sapiente principe rejiciatur.“ Tum principi tum ministro convenit interpretatio, ut patebit attendenti.

CAPUT QUINQUAGESIMUM SEXTUM. Lou.



EPIGRAPHE.

Lou parva penetratio. Si detentus habet solliditatem, hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Lou est subjicere advenam scilicet, est velut ad tempus loco detineri. Licet ad breve duntaxat tempus in eo sit duraturus, debet tamen animum solide rectum huc afferre, ut ei bene sit.

De hospitibus advenisque satis honorifica imperiique amplitudine digna in antiquissimis libris multa sunt quae longe alium quam nunc Sinae plerique gerunt ab exteris abhorrentem animum, veteribus fuisse demonstrant. Ita rege, ait Confucius, ut undique veniant exteri. Non armis, inquit Mencius, sed virtutis fama allecti. Plus quam quadraginta regnorum legationibus et tributis celebrata fuisse narrant historiae initia sub Ou-ouang regnantis familiae Tcheou. Sed tamen eosdem advenas libri monent cum auctore nostro ut nihil faciant, quod non sit viri recti solidique, id est, ut utar verbis Tulii, eos moneant nihil

„Non quod, inquit interpres, non habeat unde gaudere possit, sed cor illius adhaeret patriae. Divitias possidet, nec gaudet, quia nullum in corde habet gaudium. Externae opes parum afficiunt.“

EPIPHONEMA QUINTUM.

Sagittando phasianum unam magnam sagittam perdit. In fine affulgens laus erit.

INTERPRETATIO.

Licet sagittam amittat venator, quod tamen illa configat capiatque praedam, v. g. phasianum, nihilominus laudibus illustratur.

Levis est, ait interpres, sagittae jactura, sed magnum est decus scopum attigisse, in susceptis scilicet negotiis, aut, ut aliis placet, in procurando publico officio seu dignitate magistratus. Alluditur ad morem antiquum qui tempore principis Tcheou-kong, ut et Confucii, vigebat, non veniendi sine aliquo levi munere ad regulos, regnante, etiam secunda familia Chang, variarum ditionum dominos. Quod clare constat ex responsione Mencii ad quaestionem, cur Confucius amissa dignitate reguli finibus egrediens secum gestabat iterum munus offerri solitum quando reguli invisuntur. Nonne videtur arguere immodicum quaerendae dignitatis studium? Respondet Mencius numquid agricola patria egrediens, alibi victurus non secum affert, numquid a se abjicit aratri ferrum vomeremque, sine quo vivere non potest? Ita et sapiens, philosophus sola sapientia principi merere potest; si habet cui inserviat satis ei est, levis est jactura muneris.

Confucius si per tres tantum menses nullum habuisset principem, cui inservire potuisset, mox totus anxius et inquietus apparebat.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Aviam nidos comburit; detentus prius ridet postea amare plorat. Boves in facili amisit. Hoc pessimum.

INTERPRETATIO.

Cui advenae contigit ad alta promoveri, si animo ferox sit, pronum est suo loco avium nidis non minus sublimi excidere. Ut attolitur, ridet, caveat ne tandem flere habeat; boves aliquando etiam in aperta planitie amittit rusticus, quod ipsi eo gravius accidit.

Miserrimum siquidem est, ait interpres, bovem quo animali nullum magis ad obsequium factum est et quidem in facili perviaque planitie domino minime diffidente seu minime cavente perire. Quae metaphorae non sunt obscuriores plerisque nostrorum veterum imprimis satyricorum, et illo forte tempore erant proverbiales, adeoque notissimi sensus et exquisiti saporis. Nonne aliquem in alto nidificare, nido evolare, in nidulo mori metaphorice dictum de fastigio dignitatis, de palatio, domoque quieta et commodis redundante. Satis sit appellare Jobum orientalium stylo suam describentem felicitatem. Cap. 29. Conterebam molas iniqui et de dentibus illius auferebam praedam, dicebamque in nidulo meo moriar et sicut palma multiplicabo dies.

CAPUT QUINQUAGESIMUM SEPTIMUM. Suen.



EPIGRAPHE.

Suen. Parva penetratio. Loco ad quem ivit debet esse convenientia. Oportet convenire magnum virum.

INTERPRETATIO.

Suen est, ex Confucio, ventus; et quod sit flexibilis, sequax, penetrabilis, hic sumitur pro docilitate. Haec quidem non penetrantis longe ingenii vim desiderat, at ubique locorum opportuna grataque est. Hac ad viros vere magnos aditus aperiendus est.

Magni vocantur hic qui sunt inter magistratus recti. Oportet convenire virum magnum, ideo dicitur, ait Tching-tse, quod media linea vulgo imago principis aut praecipuae personae, hac in figura sit fortis materiae coelestis Yang, indicetque soliditatem in medio rectitudinis, quae sunt viri vere magni instrumenta. Etiamsi docilitas, notat glossa, necessario non sit multum penetrans et ideo sit ad sequendum, rectum intendit quandoquidem virtus est. De principe Chun qui 28 annis ministri vere magni partes omnes implevarat, dicitur, ait Mencius, mira docilitate populos ad eum

licet in australi crocei fluvii ripa volut in recessu considentem confugisse maximo imperii emolumento, ob tanti legislatoris rectitudinem ubique celebratam. Multa exstant etiam de docilitate populorum erga Ouen-ouang quem sicut oves pastorem sequebantur. [1]

ADNOTATIONES.

1) In praecedente emblemate Lou advenae, in loco subsistentis, ferocitas carpebatur, hoc vero, quod Suen dicitur, docilitas commendatur, utrumque ergo connectendum fuit; ita concludunt interpretes de causis ordinis figurarum.

2) Figura haec constat ex duplici symbolo venti, quod inter octo Fohiana aliis quartum, aliis quintum est. Juxta Confucianum commentarium exhibet haec non interruptum seu continuum ventum. Quod forte aliquis mirabitur; at continuitatem venti sinensis schola ita explicat, ut nihil habeat philosophis omnino improbabile. Ventus, inquit Tchou-tse in libro de physica seu natura, Sing-li, similis est coelo, circumvolvitur semper nec a rotatione unquam cessat. Nunc equidem hoc in loco, non est ventus, neque pervenit ad hanc plagam; ad aliam ascendet. Quandonam? nescitur. Aestate multus ad austrum est, hyeme multus ad boream. Nam jam dudum similiter a nostris etiam agnoscitur physiologis perennis ille motus quo zona torrida ab ortu in occasum perflatur. Ecquis praeterea est qui venti boreatis australisque vices hyeme et aestate non sentiat? qua rotatione circumagi ventum qui docent Sinae veteres magis sapere videntur quam nostri, et quam ipse Seneca, cujus haec sunt verba: „aer modo spissat se, modo se expandit et purgat; alias contrahit, alias deducit.“ Agit itaque, non agitur, vitale itaque habet in se principium. At Sinae docent clare moveri motu ipso utriusque principi Yang et Yn, seu materiae coelestis et terrestris, ita ut ex hac parum, ex illa multum habeat.

Norunt praeterea ventorum causas particulares ex locorum situ ac natura petitas. Objicitur in eodem libri capite, cur in Tchang-ngan (antiqua aula Si-gan-fou) ab occidentali vento pluat? Id, respondit Tching-tse, existit

1) Chi-king.

adulationem, sed non inter alia vitia, quae ut virtutis medium tollunt, ita et animo quietem adimunt.

EPIPHONEMA TERTIUM.

In continua docilitate est poenitendi locus.

INTERPRETATIO.

Continua docilitas fit gravis.

Ille, inquit interpres, qui nimius animi est, non firmus sed ferox est; non potest docilitatem servare; coactam praefert submissionem; hunc non potest non poenitere debiti aut promissi obsequii. Est sicut malus subditus, malus servus, malus filius.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Nullus est poenitendi locus. Tres diversas praedas capit.

INTERPRETATIO.

Docilis, qui locum debitum occupat, non ita habet unde ei aegre sit, ut suas non habeat gaudendi causas. Sicut venationem sequens interdum diversi generis praedis recreatur.

Est in loco conveniente, aiunt interpretes, ideo nec a superiore nec ab inferiore (licet potentioribus quos lineae tertia et quinta Yang adumbrant) timendum. Docilitate et obsequio viri in suo gradu se

continentis homines vel ferocissimi fere capiuntur; quorum proinde beneficum erga se animum interdum experiuntur, ita ut habeant quae dividant aliis. Dividant, inquam; nam quod multis interpretibus est rapere, obtinere, aliis videtur significare idem ac capta partiri, dividere, ait Tching-tse, in suos v. g. hospites. Sed hoc discrimen leve est quo intactus manet qui ab auctore intenditur sensus. Populi scilicet docilis emolumentum qui principem sequens, si continuis non abundat bonis, tutus tamen continuo fit a periculis atque calamitatibus haud dubie extituris. Neque opus est operose inquirere quae sunt illa trium generum; neque enim vel leviter indicantur, neque probabile est silente Tcheou-kong in hoc potius epiphonemate quam in tot aliis supra relatis numerum certo pro incerto usurpari, qui est nimirum, ut dictum est, exempli causa. Quin et quae a nonnullis afferuntur interpretibus sunt prorsus insipida, quod nec ad illius temporis hominum mores nec ad gesta referantur.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Solidum bonum. Nullus est poenitendi locus. Nihil quod non conveniat. Non habet initium; habet finem. Tertia dies ante Ken. Tertia dies post Ken; hoc bonum. (Ken est unus e decem caracteribus epochae Sinensis alibi explicatae).

INTERPRETATIO.

In docilitate eorum habet princeps solidum bonum; ita benigne agere debet, ut nullam eis poenitendi

causam tribuat. Quid enimvero tunc non percipiet emolumenti? Si quid non bene coepit, in bonum desinet, nec intra multos dies.

In Epocha Sinensi seu potius in minima periodo decem litteris constante, ea quae nominatur Ken et mutationem indicat est inter litteram Tsing, tribus litteris priorem, quae jam coeptum decretumque aliquid docet, et inter litteram Hoei, tribus litteris pariter posteriorem, bonique finis significativam.

Interpretationi nostrae necesse fuit notas interpretum immiscere, ut sensus epiphonematis statim a lectore intelligi posset. Notant igitur hic agi de imperatore: etiam sit docilitatis velut dominus, cum sit illius mandare, debet tamen manere fixus immotusque in medio seu aurea mediocritate. Initium si non fuit bonum, benignitate efficiendum est, ut finis bonus respondeat, ut omnes ad bonum jam conferre ultro velint, nec jam opus sit mandatis. Similia habent multa alii interpretes, patica Confucius in commentario. Indicatur dignitatis sedem et in recto et in medio virtutis esse.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Docilitate est infra lectum. Perdit divitias et hastam. Licet solidum, hoc pessimum.

INTERPRETATIO.

Inepte docilis sua e quiete dejicitur. Opes perdit, atque adeo sua illa animi tenacitas fit perniciosa.

Vir rectus est fortis, non ferox; est firmus, non pertinax. Si scit procedere, scit retrocedere scit sequi, at scit subsistere. Ita interpretes post Confucium in

Lun-Yu eadem docentem. Qui vero non est ita animo comparatus, sed male tenax, hujus rectitudo periclitatur. Perdit divitias et hastam, dicitur in Confuciano commentario, his indicatur illius rectitudinem pessimo loco esse. Quandoquidem aiunt, ita dejecta est et velut infra lectum effusa, scilicet in turpia obsequia indignasque assentationes, iis quos tenaciter sequitur iniqua postulantibus. Forte alluditur ad adulatores iniqui Tcheou, a quo fama moderationis quaerebatur, postquam superbiam ac feritatem expleverat. Hastam scilicet et divitias ille suas perdidit male credulus adolatoribus suis; ita ut his verbis moneantur posteri Sinae quod nos monet Tacitus: laus falsa et precibus expressa perinde cohibeatur quam malitia quam crudelitas.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Venit ad T o u i. Hoc pessimum.

INTERPRETATIO.

Ad laeta continuo redire perniciosum est.

Hanc interpretationem exegimus ad censuram imperatoris multorum expositiones rejicientis. Juxta illos malum seu pessimum de quo loquitur textus, est in eo positum, quod quicumque ille sit, quem exprimit tertia linea, teneatur venire aut confugere ad alios privatos, quod sane magni mali loco esse non potest. At contra patet per se perniciosum esse etiam populi moribus festivis laetisque, si nimia sunt et crebriora, dissolvi; quod cavendum praecipue est principi sapienti ad imitationem principum O a o n-o u a n g et O u-o u a n g, quibus ut refertur in C h i-k i n g et alibi, mos fuit suos ad rem agrariam impigre exercendam adhortari. Tollenda siquidem habuit non pauca vitiosa e populo novus imperator O u-o u a n g ab historicis memorata, compotationes imprimis et temulentae ebrietatis delicias, quibus, quanquam tunc pauper, ita forte assueverat, non minus quam dissolutissimus olim populus Romanus, licet et ipse crudelium imperatorum jugo premeretur.

atque duas tantum res anxius optat,
panem et circenses.

Vinum tamen non prohibuit O u-o u a n g etsi a fundatore primae familae vetitum, sed duntaxat ad oblationum senumque ac debilium usum adhiberi voluit, ut constat ex C h o u-k i n g; nec alia festiva sustuilt, quandoquidem aliqua quaedam non parum lubrica

ab ipso Confucio in usum olim plebeculae inducta sine nota memorantur. Imo haec cum in reprehensionem aliquando discipulorum incurrissent, non male permitti aut tolerari asseruit, probe intelligens, populo rusticanti et duris laboribus reipublicae utili suis opus esse solatiis.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Consulit Toui. Nondum determinat. Si firmiter rejiciat, erit gaudium.

INTERPRETATIO.

Inter laetabilia (bona et mala) haesitat, nondum capto et obfirmato contra haec consilio. In his tamen fortiter rejiciendis situm est verum gaudium.

Quin, ait in commentario Confucius, et in hoc gaudio felicitas. Id vero prae caeteris convenire notat Tching-tse, qui a principe proxime absunt. Sed hanc ipsam doctrinam interprete clarius explicat Mencius. „Si efficias, ut variis in muneribus senes juvenesque qui in regia aula versantur, sint sapientes, quaecunque audiet princeps certe erunt ad veri honestique regulas exacta. Non incurrent in ejus oculos nisi facta bene. Quantumvis in vitia tunc ille propendeat, ecquis illi ruendi causam dabit?“

memoria auditisque laudibus similes esse cuperent et animos eorum sensusque ita induerent, ut spiritus paternus, quod vulgo dicitur, in illos transiisse videretur. „Filius parentaturus, ait Li-ki, suorum parentum dicta, facta, studiose recogitet, sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.“ Sed haec satis sit perstrinxisse hic obiter, quae pluribus supra exposita sunt.

At inter adversa non est certe locus socordiae viriumque animi dissipationi, tunc maxime instructo velut agmine incedendum est. Duris, inquit Confucius in hanc epigraphen, non exhauritur viribus; dignitatis sedem ad extra sua facilitate possidens est sicut superior. Ad quem enimvero alludit Confucius? nisi ad regnantis tunc dynastiae conditorem Ouen-ouang; illi siquidem uni contigit longe majoris imperii partis omnibus fere principibus sine titulo quidem imperatoris, sed tamen summa potestate et subditorum approbatione praefuisse, adeoque extra regium palatium possedisse dignitatis sedem seu habuisse solii potestatem sine externis imperatoris insigniibus. Haec mox post illius mortem assumpsit filius Ou-ouang, sed illum, ut narratum est alibi, oportuit transire fluvium croceum suis licet naufragiis famosum, in cujus adverso littore habebantur foederatorum principum comitia, unde extitit deinde imperii in pristinum decus restitutio, adeoque magnum meritum, addit Confucius, insedisse ligno seu navi ligneae, quae ultima verba sunt commentarii Confuciani T'oen figurae 61 mox explicandae, suntque omnium in regiis commentariis interpretum adjectaequae eorum notis imperatoris censurae, prorsus ut una sit Sinarum de vocis hujus usu sententia, nisi forte habenda alicui videatur ratio aliquot hariolorum et divinorum, quibus in trivils placet interdum hinc

vaticinari ligneos cippos tabulatosque torques sceleratorum.

sed illi aere minuto
qualiacumque voles somnia gendunt.

Sed nec illi sensum, quod notari dignum est, obvium negant. Aliud est enim verbum aliquod habere pro falso, aliud habere pro ominoso. „Persa periit," apud Ciceron. de Divin. lib. 1. intelligebatur ab Aemilio Paulo ut a filia patri occurrente: „tum ille complexus puellam, omen, inquit, accipio. Erat autem catella eo nomine." Nec Socrates nec Brutus morituri vim sum Homeri aliter ac antea intellexerunt, sed mali ominis loco accepere. Observatae id genus hominum voces vocentur omina, superstitiosae quidem inanesque, nec tamen ideo a genuino sensu ullibi detorquendae.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Utitur ad auxilium fortitudine equi; hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Bonum est munire se etiam viribus alienis, ut solet qui it longe utens equo robusto.

Haec verba sunt expressa ex commentariis Tchingtse et aliquot aliorum, qui similitudine hac docent paranda prius omnia adjumenta quum malum advenerit. Neque enim a sapientibus requiri equam quando urget profectio, nec vires illius probari, nisi post susceptum iter.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Dissipans se ad adminiculum. Nullus est poenitendi locus.

INTERPRETATIO.

Is qui animo fractus abjectusque est, si alienam opem requirere non pulchrum putat, poterit adhuc habere in quo conquiescat. „Si fugit, inveniet ubi quietus sit;“ ita glossa communis, quae non differt nisi brevitate interdum obscura ab interpretationibus ceterorum, quos secuti sumus. Fugere haud dubie est illi idem atque ad alios fugere seu confugere. Si quietem autem suo in perfugio invenit, verum est illud commentarii Confuciani: Optata possidet. Convenit ergo inter interpretes.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Dissipans personam suam. Nullus est poenitendi locus.

INTERPRETATIO.

Si in agendo vires suas insumit, non habebit poenitendi causas.

Explicatio, praeterquam convenit obvio sensui et Confuciano commentario, „dissipat personam,“ nempe mens ad extra seu exteriora, probabilior fit ipsa imperatoris censura interpretum. Exprimi siquidem annotatur his verbis animum vassalli, ita suum erga

principem comparati, ut proprii corporis velut oblitus, ad eum solum intendat.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Dissipat multitudinem, magnum bonum. Dissipati veluti monticuli. Non est ordinariorum hominum mens.

INTERPRETATIO.

Multum imperio prodest dispergere vilium hominum animorum multitudinem. Sint illi quot monticuli in regione montuosa parum refert, si tamen vulgaris non sunt animi qui praesunt.

Agnoscendus est, juxta communem glossam hoc in loco, sarciendis imperii detrimentis praefectus, qui potest dispergere vilium homuncionum multitudinem et dispersis illis substituere viros sapientes dignos muneribus. Id certe efficere non est hominis vulgaris, vel, ut utar Confuciani commentarii verbis, requirit magnam claritatem.

Inter antiquos interpretes Kong-gan-koue ait monticulis non exprimi dispersos, sed eos qui in eorum locum simul eriguntur. At vocem Kiou, quae alibi semper monticulos significat, vertere in Tsou (congregationis) sensum durum videtur, sicut observatur in censura. Ut ut sit res est levis ad sententiam momenti nec glossatori ignota.

Hic, jam supponitur vir ad agendum juxta leges idoneus. Supponitur adesse, ait glossa, tempus quo convenit agere. Si domo non exit, nempe ad agendum reipublicae causa, de sua animi firmitate certe deperdit, et excidit e rectitudine, quae ab eo ex expectabatur. Non exit domo, inquit Confucius, id est, perdit tempus opportunum.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Si nulla est regula, tunc suspiras. Nullum est in eo vituperium.

INTERPRETATIO.

Si quando velut sine lege alicubi vivitur, luctuosa res est. Ob haec suspirare non indignum est.

Habet saltem quisquis ille est, aiunt Ouang-pi et Li-siou, emendandi erroris animum. At si magistratus est, illi ne hoc quidem sufficit. Juxta, inquit Mencius, nostros sapientes antiquos, regnum quod nondum armis instructum est, agros nec habet ita cultos, magnis non abundat opibus, habendum est pro infortunato et detrito. Vere tamen infelix est et in ruinam pronum, si qui in dignitate praesunt, sine lege et aequitate vivunt.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Cento est legum observans; penetrat.

INTERPRETATIO.

A legum observatione dimoveri se qui non patitur, is vere penetrans est.

Dignus est, ait Tching-tse, recipere mandata principis. Principem, juxta glossam, exhibet sequens linea quinta, haec igitur quarta refert magistratum seu praefectum principi vicinum. Qui est immotus in legum observatione, idoneus proinde ad executionem huic satis est, a constitutis non aberrare; non putat, ulterius aliquid praeter mandatum regium sibi esse inquirendum. Eandem sententiam refert Tacitus: "abditos principis sensus et si quid occultius parat, exquirere illicitum anceps.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Suaviter legum observans est. Hoc bonum Si eat, laudatur.

INTERPRETATIO.

Bene succedunt omnia principi cui (ad literam vocis) sapit legum observatio. Si ex hoc suavi animi sensu procedit ipsius agendi ratio, laudem meretur.

Imo, ait Tching-tse, totius etiam imperii in sequendo laetum studium meretur. Ipsius meritum

ligneam quam ascendit, esse vacuam," crudelis nempe Tcheou, qui non solum solio indignus, sed velut expulsus ac dejectus in comitiis habebatur, ut patet ex historia.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Si computet, hoc bonum. Si sit alius, non est tranquillus.

INTERPRETATIO.

Unusquisque de fidelitate sua statuere consulto beneque potest; at de alio nihil fixi adpromittere audeat.

In hunc sensum conveniunt celeberrimi interpretes, Tchou-tse, Tching-tsé, Hiong-chi caeterique. „Fidelem subditum, inquit Confucianus commentarius, eadem manet mens, seu immotus in obsequio animus. Fidelitas est abdita in animo cujusque, illam pernosse difficile est." Alius cujusvis se fidejussorem vademque velut facere, non minus periculosum est quam alienae cupiditatis vices praestare.

ADNOTATIONES.

Quibus haec Confucii expressio sedisse ligno Cap. 54 mira accidit, et visa est velut mystica, habent in eodem commentario Confucii ad epigraphen capitis hujus claram ligni explicationem nempe navis. Quodsi necdum acquieverunt, ego velim scire cur lignum pro navi acipere non tam lieuerit Confucio quam nostris latinis, v. g. Catullo de nave naufraga:

Confisus ligno digitis a morte remotus
Quatuor ac septem, si sit latissima taeda.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Ciconia clamans est. Iatrat Yn. Suos pullos adunat. Mihi est bonum et gloriosum. Ego simul tecum valde peropto.

INTERPRETATIO.

Animorum rapax est insignis subditi virtus, non minus quam vox ciconiae, licet ex abditis prodiens, in pullis ad se rapiendis; perinde ac si inclamaret: optima habeo quae vobis impartita velim.

Exquisita virtus, ait interpres, amores omnium ad se rapit. Etiamsi insignem fidelitate subditum non omnes semper sequantur, sequuntur tamen multi accedantque adjutores, caeteri se in obsequio saltem se continent.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Oppositum possidet, vel timet vel rejicit, vel plorat vel cantat.

INTERPRETATIO.

Ubi quis suum contra officium alteri quam principi adhaerere obtinuit, animo anxius incertusque est, nunc contremiscenti, mox audacter resilienti, nunc gemitibus, mox laetitiis indulgenti similis.

Jam non est in officio suo, seu in eo quod debet. Illius cor, dicitur in censura, movetur ad extra alioque, ex quo necesse est alternas gaudii tristitiaeque

Gallinae similitudinem huc adduci communis glossa docet; qua similitudine ascensum ad honores muneraque publica suis cuique e viribus metiendum posteros doceri una est interpretum sententia. Apud illos multa etiam legere est de exitioso illo aliquorum conatu ad assurgendum in dies altius. Nec id ex sola ambitione, sed quoque ex aemulatione alienaeque gloriae invidia oriri id observant. Quapropter dixisse Confucium referunt: vir licet magnis dotibus praeditus, si sit invidus alieni honoris et meriti, vel ob ea quae habet bona, non est dignus spectari aut aestimari.

CAPUT SEXAGESIMUM SECUNDUM. Siao-ko.



EPIGRAPHE.

Siao-ko est penetrans. Oportet, ut sit soliditas; est in parvis negotiis, non expedit ut sit in magnis. Avium volantium cantus non oportet ut sit altior. Oportet ut sit demissior, et hoc magnum bonum.

INTERPRETATIO.

Provectio rerum privatarum etsi sit parva, ut tamen perdurare possit, requirit et haec animi soliditatem parem certe parvis negotiis, imparem licet magnis. Satis est avibus vocem suam audiri infra a suis pullis; quod non valeat summa pervadere, nihil est. In hac mediocritate vita est magna bonorum via.

Siao-ko potest quidem, uti memimus Cap. 28. Ta-ko, significare id quod excedit, licet parum, at hic juxta interpretes significat provectionem rerum licet parvarum. Apud quos certe nihil reperias tam clarum, quam id, quod legitur in regia interpretum censura: „Caput Ta-ko pertinet ad provectionem rerum magnarum, hoc jam dictum Siao-ko est de rerum parvarum progressu. Magnae res dicuntur quae referuntur ad imperii negotia publica; parvae vero

quae quotidiana cujusque privati officia spectant. Tam harum quam illarum agendi ratio debet esse in medio, seu in aurea illa mediocritate inter plus et minus, ac in convenientia temporis observanda."

EPIPHONEMA PRIMUM.

Avis volans. Hoc pessimum.

INTERPRETATIO.

Casus infelices saepe excipiunt avem e nido avolantem.

Nec minoribus obnoxii sunt impotentes animi e medio aberrantes, et, ut à volatu latine dicti sunt, volatici. Plerumque enim accidit, ut nihil aequale sit infortuniis, cui nihil aequale est in moribus. Hoc autem hominum genus

Quod petiit spernit, repetit quod nuper omisit
Aestuat et vitae disconvenit ordine toto.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Avos transgreditur; matri accurrit, ad principem non pervenit. Vassallis occurrit. Nullum est malum.

INTERPRETATIO.

Virtus domesticis licet solis negotiis in medio enutrita ita crescit, ut aliquando avos superet, parentesque aequet, et etiam sit imperi regendo imperio; nec facile fit munera vassallorum. Quid ergo mali est?

Hic quidem docet Tcheou-kong ad civiles publicas, si ita loqui fas est, virtutes domestica privatae virtutis exercitatione perveniri. Sed id docet propriae domus experientia exemploque ejus, ut canitur in Chi-king: „virtus in domo ad miraculum usque bene morata regnique censum stadiorum angustiis non ita forinsecus statim resonabat. Nihilominus boni regiminis vexillum erigens . . . tandem imperium obtinuit," non immerito itaque in interpretum censura tantae felicitatis in posteros causae repetuntur a Ouen-ouang et Ou-ouang, qui ut avos ipsos ac parentes virtute superarunt, ita et amplitudine fortunae. Quod avos et parentes nepos filiusque virtute vincere ambiant, non est ambitio sed recta ratio.

EPIPHONEMA TERTIUM.

Si altra modum non vigilet, forte sequendo auget, hoc pessimum.

INTERPRETATIO.

Si non attente invigilat, ex malo mediocri sua agendi et inconsiderate urgendi ratione evadet in magnum malum.

Licet istud caput in censura sit de negotiis parvis, haec nihilominus observanda et cavenda sunt diligenter. Non exspectandum, ait Tching-tse, negotiorum magnorum tempus, sed prius omnia paranda.

contentus parvo metuensque futuri
in pace ut sapiens aptarit idonea bello.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Nullam est malum. Non transgrediens occurrit. Si eat, periculosum erit, nullo modo permittas. Ne utere continua soliditate.

INTERPRETATIO.

Nulli certe malo seu errori obnoxius est qui intra suae conditionis seu officii limites se continet. Ut hos transilit timenda habet, ideoque exire non sibi permittat ante tempus; neque enim ita se continere perpetuum esse debet.

Sed ad tempus, ait interpres, quod sequi convenit, videndum quid occasio ferat; et inde consilium capiendum ab eo qui ex privatis curis ad munera publica prodire cogitat.

At si quis quaerat de quo hic sermo sit et ad quae pericula alludatur, respondebo nihil potuisse me ex commentariis historiisque exsculpere. Nec mirum, nam glossa communis monet, non haberi distinctam per singula notitiam hujus epiphonematis, quod adhuc verius est de sequenti.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Nubes densissimae sunt, et non pluit. Ex meo occidente ita est. Kong sagittando quae sunt in cuverna accipit.

INTERPRETATIO.

Princeps si non potest obtinere pluviam, coelo licet nubibus obducto ab occidente usque ad orientem,

latis erit minora obtinere, sicut v. g. capere praedas quo tempore velut immotae sunt.

Volunt meliores interpretes his verbis docere posteros, principem Tcheou-kong non solum privatum, ut dictum est, suis metiri debere coepta viribus, sed et principem cujus forte virtus impar est imperio feliciter administrando, qui ideo debet eximios dignosque coeli favore vires ad se accersere, quibus magna negotia permittat, minora sola per se determinans.

Ita meliores illi interpretes unum in sensum collecti, quod saepe fit in commentariis regiis, totam hanc quidem sententiam suis notis exponunt. At ad quod alludat ista sagittatio et cujus principis sit, ne divinando quidem indicant, imo et nonnulla quae afferri solent, monent esse incerta.

Cur vero hic iterum mentio fiat nubium minime imbriferarum, potius quam alterius coelestis phaenomeni, dictum est in explicatione noni emblematis.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Non occurrens transgreditur. Volantes aves separant se. Hoc pessimum, hoc infortunium et calamitas vocatur.

INTERPRETATIO.

Qui recto non occurrit longe ab eo aberrat, et quidem tam longe quam avis a terra versus perniciter avolans sese removet. Nihil hac aberratione pejus. Quae inde mala sequuntur, sunt vera infortunia et calamitates.

„Rectum inquirendum est, aiunt interpretes, quod ratione et cura reperiri potest. Ideo nec longe est ab unoquoque, et est velut in manibus. Qui dicitur hic non occurrens, haud dubie non occurrit rationi.“ At hoc ipso juxta textum transgreditur; non inquirere rectum, et illud praetergredi quam parum distant! Sed ut transgressus est ab officio seu debito recedit eo longius, quo diutius it, sicut avis quae eo remotior a nido fit quo celerius sursum avolat. Atque haec sententia sensim recidit in commune populi proverbium: qui una linea errare coepit mille leucis eundo aberrare potest, si nempe non redit in viam rectam.

CAPUT SEXAGESIMUM TERTIUM. Ki-tsi.



EPIGRAPHE.

Ki-tsi. Penetratio parva oportet ut habeat soliditatem; in principio bonum, in fine perturbatum.

INTERPRETATIO.

Parvis negotiis promovendis penetratio animi sufficit parva, sed tamen cum soliditate conjuncta. Sin minus, faustum initium finis perturbatione plenus excipiet.

Communis est explicatio inter illos interpretes qui textum hunc qualis jam legitur sine emendatione admittendum putant. Aliis quibus legendum videtur parva penetratio, interpretatio non nihil diversa est. Volunt enim in parvis et quotidianis negotiis elucescere posse magnam penetrationem. Juxta hoc penetrare in parva, non est habere parvam animi penetrationem. Ita sit, semper tamen verum est, parvam animi penetrationem negotiis id genus parem esse, licet gravioribus sustinendis forte non sit, rerumque parvarum experientia fieri oculatiorem ac perspicaciorem, quod unum in hac epigraphe intendi a Ouen-ouang constat; dissidium itaque interpretum illorum ad sensum nihil

facit et intactam habet caeterorum nostramque interpretationem.

ADNOTATIONES.

In Censura interpretum reprehendi videtur ordo harum duarum figurarum Ki-tsi et Ouei-tsi. Comparantur illae cum figuris Tai et Pi, nona et duodecima, debuissent itaque ordinari Pi, Ouei-tsi, Tai, Ki-tsi. Verum quandoquidem leve in ea mutatione jam antiqua momentum est, satis erit hujus meminisse.

EPIPHONEMA PRIMUM.

Illius rotam retrahit; madefacit illius caudam; nullum est malum.

INTERPRETATIO.

Ob obices aliquando absistendum est, ut accedit aurigae ulterius ire volenti, cujus currus rota casu aliquo retrahitur, ut accidit vulpi similique animali amnem transire tentanti, cui prius cauda forte madefit.

In glossa communi vulpis fit mentio. In multis commentariis haec similitudo ad ea omnia animalium genera transfertur, quae in tranandis aquis cauda juvat. Similia proverbia et nos habemus sat nota.

EPIPHONEMA SECUNDUM.

Mulieres velum deserunt, ne insequaris. Intra dies septem obtinebis.

INTERPRETATIO.

Quando non convenit non est agendum; ideo male agit mulier domo exiens, si tunc veli copia non est. Est scilicet opportunitas breve, ut sunt res mortalium, intra tempus reditura.

In hunc sensum convenit una interpretum expositio; contra quem nihil omnino facit dissensio eorum circa velum. An sit velum currus quo mulier tecta exit? ita glossa, ita censura; an velum capitis quod tunc erat muliebri in usu? ita Tching-tse et asseclae,

ADNOTATIONES.

1) Septem dies, ait Tching-tse, dicuntur, in quia his figuris cum sex lineae totam veluti rei de qua in illis agitur latitudinem exprimant, ultra sex fit mutatio in aliam figuram alterius status; quod verum esse toto ex hoc opere intelligi potest. In negotiis faciendis quorum in illis fit mentio, sex lineae pro sex diebus, in expositione vitii aut virtutis quae delineanda suscipitur, sex lineae pro sex gradibus supponunt, nisi contextus aut historia nota aliud moneat. Itaque juxta Tching-tse et asseclas dicere septem dies est dicere jam advenisse tempus revolutionis seu reditus. Aliis magis placet tempus indefinitum quod exempli causa proponitur in his numeris, historias aliquando ignotis agnoscere, quod nostris quoque interpretibus familiare est.

2) Cum mensis apud Sinas nunc dividatur et semper divisus sit in decades Siun, non potest hic locus intelligi de hebdomadis. In hoc Sinae fuerunt similes Latinis, Graecis aliisque populis antiquis menses in decades partientibus, si vales Hebraeos excipias. Aegyptii quidem horum per septem

quandoquidem docent omnes navis stipandae similitudinem his subjici verbis.

EPIPHONEMA QUINTUM.

Orientalis vicinus mactans boves, ac occidentalis levidenses oblationes non accedit. Certe illius felicitatem accipit.

INTERPRETATIO.

Multis magnisque licet victimis supremo imperatori faceret orientalis imperii princeps, longe abest ut tantum placuerit quam occidentalis illi vicinus ad quem reipsa transierunt pristinae illius fortunae.

Agitur, ait glossa communis, de negotiis inter principem Ouen-ouang et principem Tcheou. Ille in Chi-king et Chou-king vocatur Si-pe, dynasta occidentalis, seu in occidentali regione; hujus imperialis aula erat in orientali Sinici imperii parte. Jam Tcheou hic amiserat imperium, quando haec scribebantur a Tcheou-kong, atque adeo, si creditur libris authenticis [1]), rejectus fuerat a summo Imperatore Chang-ti, ... ejus coeleste mandatum potestatem supremam conferens domui principis Ouen-ouang commissum traditumque fuerat. „Is o quantae erat virtutis! (in iisdem libris) amplitudine sua terrae, splendore coelo comparari potest.“

Quod imprimis, ait Li-ki, in oblationibus spectatur, est animi probitas, cordis sinceritas, in officio constantia, vera reverentia, ex quibus qualuor velut ex

1) Vide Chou-King lib. III. cap. Si-pe.

propriis causis existere illas necesse est. Quod plus minusve offeratur parum est.“

Sed dives plus, pauper minus eodem animo offerant. Solus vir excellens dignus est sacrificare et libare supremo Imperatori. Non mirum itaque si his levidensibus pii Ouen-ouang oblationibus supremus Imperator postposuerit sumptuosa illa crudelis Tcheou sacrificia. Ita omnes in commentariis regiis interpretes disserunt et ad utrumque principem referenda omnia esse una voce testantur. Unde iterum patet quod prima parte proposuimus ex illius temporis historia imprimis pendere genuinam minimdque detortam hujus libri obscuri explicationem, ita ut si multa superessent historica ancedota, nihil esset etiam non illustrari facile. Quid est, inquit aliquis, ergo discriminis inter hoc epiphonema et non pauca alia? Id scilicet primum hoc loco affertur exemplum ipsum, nempe praemium virtutis Ouen-ouang, ob quam vel levia dona supremo Imperatori grata sunt et imperio donatur, ex quo eventu vel generale epiphonema colligi potest vim sacrificii non in sumptu, ut loquitur Liki, sed in animi rectitudine positam. In aliis vero locis epiphonema generale praemittitur eventui illi seu facto historico ad quod alludit, uti liquet ex dictis, et ex saepe dicendis nisi breves esse minusque fastidiosi prolixitate voluissemus.

EPIPHONEMA SEXTUM.

Madefacit suum caput. Hoc periculosum.

INTERPRETATIO.

Desipientum seu incautorum est non ante videre periculum quam in illud inciderint tam alte quam animali tranandis fluminis aquis impari cui caput ipsum madefit.

Vulpeculae tribuit glossa tentare violentos rapidosque fluvios natando. Sed sive vulpi sive alio animali aquas trananti accidat interdum immergi, de quo frustra disputatur, sensus idem est pertinetque ex communi interpretum sententia ad parvum seu hominum genus animo vile, abjectum, incautum et, ut ab eis vocatur, insipiens.

CAPUT SEXAGESIMUM QUARTUM. Ouei-tsi.

EPIGRAPHE.

Ouei-tsi penetrat. Vulpes parvula. Natatum fere absolvens, caudam madefacit. Nulla est eunti convenientia vel utilitas.

INTERPRETATIO.

Non absolvendorum negotiorum tempus prolixum est. Negotia tractanti interdum accidit, ut vulpi quae ut ad ripam adnatasse creditur, madefacta casu cauda decidit, et cui proinde nihil prodest contendisse.

Ouei-tsi, juxta glossam communem, est negotiorum non absolvendorum tempus. Quae ad sex figurae lineas dicuntur ad jacturam luctumque spectant; inde figura nomen habet Ouei-tsi, exspectanda scilicet est occasio tempestiva. Si intempestive aliquid accidit, ut vulpi madefactio caudae nihil absolvitur. Ut, inquit Tching-tse, vulpes caudam madefacit, tunc non potest pervenire. Viris senili prudentia excultis ubi adsunt negotia difficilia, occurrunt cavenda multa. Procedunt ut qui congelatum fluvium supra gradiuntur audiuntque hic illicque crepitare, eo magis sibi cavent a lapsu. At leves et imperiti ne quidem didicerunt cavere et attendere, ideo multa suscipiunt, pauca

principii Yang index. Sed de his viris fortibus nempe principibus ultra fluvium ad principis Ou-ouang electionem congregatis toties supra dictum est, ut nihil nobis jam videatur addendum nisi illud: O quam excelsum animum Ou-ouang gerere debuit, quam firmum et fortem: ex quo ut ex epiphonemate „imperio summe laboranti a solo excelsi fortisque animi viro exspectandum esse malorum finem concluditur.“

ADNOTATIONES.

Disputant hic interpretes de ipso textu. Nam licet in omnibus editionibus jam legatur: oportet transire, suspicantur nonnulli ibi errorem esse, legendum non oportet. Imprudentis est siquidem eum, qui opis omnis indigens est, transire fluvium. Huic difficultati occurrit nostra interpretatio; transit quidem sine auxilio, sed transit ad locum ubi est auxilium ipsum imperii robur.

EPIPHONEMA QUARTUM.

Si sit soliditas, hoc bonum. Nullus est poenitendi locus. Movens opponit se Kouei-fang; post tres annos in praemium magnum regnum obtinet.

INTERPRETATIO.

Cui mens virtusque solida est (si regni restitutionem aggreditur) bene res succedunt, sicut olim imperatori Kao-tsong, cujus virtutis trium annorum praeliis contra barbaros Kouei-sou exercitatae praemium fuit possessio regni longe lateque patentis, borealium scilicet provinciarum.

Hoc epiphonema est pars doctrinae superiori articulo traditae de dotibus ac virtutibus in imperii instauratore, et ut canitur in Chi-king, salvatore requirendis. Principis Tching-tang animi virtutisque soliditas non minus magnifice in odis decantatur quam virtus principum Ouen-ouang et Ou-oang. Utriusque enim familiae eadem fuit agendi obtinendi que imperii ratio. Kie ultimus e prima familia Hia imperator solio deturbatus fuit consensu omnium ferme imperii principum et magnatum. Tcheou ultimus secundae familiae Chang, quo haec scribebantur tempore, occisus fuerat a militibus novi imperatoris tertiaeque familiae conditoris. Quae proinde encomia in honorem imperatoris seu fundatoris antiqui in totius nationis ore erant in novum, cujus nomen reticet frater Tcheou-kông, cadere oportebat.

Tching-tang, ait Mencius, dum australem petebat partem, boreales populi, dum in orientales ibat plagas, occidentales in amabiles erumpebant querelas: „nos diro tyranno Kie jugo non minus quam alii opprimimur. Eccur servator noster ad nos ultimo venit, cur non citius nos malis tantis liberavit?“

EPIPHONEMA QUINTUM.

Si sit soliditas, hoc bonum. Nullus est poenitendi locus. In sapientis claritate est soliditas. Hoc bonum.

INTERPRETATIO.

Quod ob soliditatem res bene succedant, ita ut coepti poenitendum non sit, id quidquid est a principis

sapientia et intelligentia qua negotia solide adeoque feliciter geruntur.

Vox haec, sapientis claritas, est etiam sinice principis claritas, et a nobis ad interpretum mentem versa est. Hic vero ipsa etiam linea quae ut in aliis figuris quinta pro principe supponitur, nullum relinquit dubitationis locum. Sapiens princeps, aiunt interpretes, etiam non magno praeditus ingenio, opera tamen ministri variorum negotiorum capacis et in amore boni publici rectique immote haerentis nihil non potest perficere. Imo si Confucii commentario credimus optata perficit.

EPIPHONEMA SEXTUM.

In bibendo vino soliditatem habet. Nullum est malum, suum caput madefacit. Soliditatem habet et virum deperdit.

INTERPRETATIO.

Post labores laetari, v. g. conviviis, consistendo tamen intra modum, non est malum, Secus est de nimis his indulgente ac velut a capite se totum immergente. Si in his perstat, periit quidquid ipsi inerat virtutis et rationis.

Una est interpretum sententia haec verba in vino bibendo exempli causa ut in non paucis aliis figuris similia duntaxat afferri, ita ut epiphonematis sensus ad omne laetandi genus pertineat. „Bibere vinum, ait Tching-tse, hic est laetari. At si quis obsequitur laetitiae sensim depravatur, ab officio discedit et

ipsum caput sensim immergit.“ Eadem caeteri habent de laetitiis gaudiisque.

Nihilominus quaeri potest ulterius, cur vini exemplum potius afferatur, nec responsio longe petenda est. Constat siquidem ex libris authenticis ebrietatem fuisse causam ruinae utriusque familiae regiae quae hanc novam Tcheou praecesserat. Incredibile tantum non est quod de ultimo primae domus imperatore historici narrant, illum scilicet lacum trium millium hominum in vino natantium capacem aperuisse. Mirabilius et forte sapientibus videbitur, non sapuisse sequentis domus secundae imperatores, quorum ultimus in ipso Chou-king ita dicitur vino immersus, ut abjectis velut imperii habenis, nihil nisi delicias suas cogitet omnibus invisus et ab omnibus desertus. Unde extitit initium tertiae familiae Tcheou a Ou-ouang ad supremum fastigium evectae, quae vino quidem non periit, sed nimia regulorum principumque, quos plures dictionibus titulisque donaverat, potentia, exhaustis sensim velut viribus, extincta est, trigesimo quarto imperatore Nan-ouang in ordinem redacto circa annum 255 ante aerae Christianae initium. Scribebat vero imperatoris frater Tcheou-kong ad suae novae domus contra obtrectatores defensionem et totius posteritatis memoriam haec quae toto opere continentur monita ac moralia et politica praecepta, quantum ex gestis ad quae alludit colligere est, ab anno 1120 ad annum, aut non ultra 1108, quo opus quod supra, velut in membra discissum, non uno tempore emanasse observavimus, fuit suis omnibus numeris absolutum.

PARS TERTIA

DE

CRITICE APPENDICUM AD LIBRUM Y-KING.

Appendix ad Commentarios Toen et Siang dicta Hi-tse.

CAPUT PRIMUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Spectabilis hujus mundi pars nobilis est coelum, pars vilis est terra. Utriusque vicem locumque fixum tenent symbola Kien et Koën. Unum est altum, aliud humile situ suo; dignitate unum praestat, aliud abjectum est. Moveri fert unius natura, alterius quiescere. Virium firmitas uni, alii debilitas propria est. Conjungendo ea quae naturae suae proprietatibus conveniunt, distinguendoque quae in hac rerum varietate dissentiunt, scitur quod bonum quod malum est. Coeli producere rerum specimina ac velut prima lineamenta, terrae est earum figuras perficere ac incorporare, quarum per crementa et decrementa mutationes spectabiles sunt.

ADNOTATIONES.

1) Naturae vis operativa et operandi via (tao) seu ratio, seu lex, (tao sinice haec omnia complectitur) dici

aut simul coalescentibus aut divisis aut diverse combinat
Sicut ex litteris iisdem (12 et 10) cyclus noster sex
genarius singulis annis distincta assignat nomina, qu
conjunctione alternatim permutata efficiuntur.“ Infir
tus sim si vel partem eorum quae tum apud recentiore
tum apud antiquos legere est, colligere velim. Cum
una sit omnium sententia, duo tantum esse corporum
cujuscunque sint generis, formae molisque, materiali
principia, quorum unum dicitur Yang, aliud Yn
ita ut coelum ipsum spectabilis hujus mundi pars no
bilis, nomine Yang, et terra mundi pars altera vilior
nomine Yn maxime significentur et intelligenda sint.
nihil opus est relatis supra testimoniis nova scriptorum
loca addere, quae non clariora, sed plura, passim
occurrunt.

Nec est quod forte quis arguat, huc novum in
philosophiam afferri paradoxum, cum vel quatuor, ut
plerique peripatetici, vel tria ut Cartesiani, vel quin
que ut Chymici, seu principia seu elementa defendere
soleant. At bona illorum venia, si Sinae ab illis dis
cedunt, quam longe et quam in diversa abeant, non
mihi, cui illorum opiniones referre, non probare, ani
mus est, vitio verti debet. Quamquam quod attinet ad
binum Sinarum principium a coelo (ut ait textus) no
bili et a terra vili desumptum defendi potest auctori
tate non solum veterum philosophia illustrium, sed
etiam Mosaicae Genesis commentatorum. Omnium ad
instar hic nobis sit sanctus Basilius in Hexameron ex
duobus principiis universi seu totius essentium innuit.
Coelo quippe praerogativam dignitatis, terrae autem
secundas. In hoc autem imprimis sita est praerogativa,
dignitas, nobilitas coelestis materiae Yang, quod sit con
stitutione naturaque sua potens, firma, actuosa, praeclara,
subtilior, mobilior motrixque; cujus juxta hunc textum

iosque) propria virium firmitate datur principium roductioni rerum, quae deinde a materia terrestri n simul perficiantur, et (magis ad litteram) corpo- antur, fiuntque hac ratione sensibilia ac usualia. Quae ariis in locis eadem repetunt interpretes in his com- ientariis, et philosophi in collectione Physicae Sing-i-hoei-tong, imprimis a libro 26 ad 34. „Mate- iae coelestis Yang (ait Tcheou-tse) proprium opus st producere, roborare, sustentare. Illius natura est irmitas, inflexibilitas, perseverantia. Quod assurgit, uod apparet, quod motum habet proditque, id totum ab ea existit etc.“

Addunt iidem in iisdem libris motum ejus esse circularem, manifesta omnium aetatum hominibus experientia. Ejus enim vis spectabilis est, ineunte vere, crescit sensim usque ad solstitium, a quo decrescere incipit, nunquam extinguitur, iterum statuto tempore proditura foras, scilicet per gemmas germinaque frugum, utpote primos illius effectus, quorum annua incrementa ac decrementa sicut sibi sine intermissione succedunt, ita a posteriori probant continuam materiae operantis circumvolutionem. Etsi autem (ajunt) „constet ex subtili tenuique, oculorum aciem fugiente, est tamen substantia fixa firmaque, ita ut ipsius actio certam revolutionem habeat, quae nunquam exhauritur.“ Quod si quis ab illis rescire velit, quae figura insit materiae coelesti Yang, tenuibus particulis seu corpusculis, ex quibus constat massa, rotundam esse expressis verbis respondent. Causam afferunt aliqui ipsam coeli a quo existit similitudinem, alii quod ut spiritus qui illam componit, est summe mobilis firmusque, ita figura rotunda est, qua nulla firmior et ad motum continuandum aptior excogitari potest; alii quod materia coelesti Yang nihil praeclarius sit (quin et a luce

nomen mutuetur, ideo ei convenire necesse sit form
omnium pulcherrimam, puta perfectam. Sentiunt e
ut Stoici nostri, quibus nihil pulchrius erat quam
figura, quae sola omnes complexa alias continet, qu
que nihil asperitatis habere, nihil offensionis pot
nihil incisum angulis, nihil anfractibus, nihil emine
nihil lacunosum, quod unum si dicatur, non t
sphaericis quam curvis convenire clarum est. N
conus, nec cylinder sphaeris minus pulcher aliis ph
losophis videbitur.

Quadrata vero seu angulosa est forma particul
rum materiae terrestris Yn. Illius (ait Tchao-ts
natura est cedere, delabi, esse debilem, opacam, se
nem ac velut ex se inertem, motum ab Yang ac
pere, se huic quasi praebere et (ut fert vox Sinic
huic obsequi. Illius opus est tenuia illa quae sin
gerit rerum velut rudimenta, seu earum semina
spiritus cogere ac velut coagulare, fingere perficer
que ut corporentur et sub figura sensibili propria
prodeant. Ut autem (ait idem) natura illius debi
est, ut illius spiritus est segnis at motum, ita figur
est quadrata. Quo enim magis angulosa assignare
figura, eo magis ad circularem adeoque minus ad m
vendum segnis. Nihilominus quadrati nomine hic no
intelligi quadrilaterum aequabile nec solidum perfect
cubicum, supra jam probavimus. Nam neque tell
rem ipsam, a qua similitudo particularum Yn desumpt
est, censent Sinae philosophi esse altam aequabiliter
inter occidentem et septentrionem esse altissimam, e
parte boreali in longum excurrere — angulos habere
sub quibus deprimitur. Satis itaque est ad istorum
scriptorum mentem si materiae terrestris Yn corpuscu
lis figura non tribuitur rotunda aut curvilinea, qualis
est figura materiae coelestis Yang, sed potius angulata

: polyedria, ita ut tota quanta est materia in duo tiam figurarum genera dirisa intelligatur.

„Potest siquidem illa tota spectari (in collect. physica [1]) ut una res. Unam enim si cui dicere placet materiam, id ferri potest. Si duplicem quis dixerit, hoc etiam ferri potest.“ Spectata nimirum ut duplex, unc illa dividi supponitur in duas, quarum alia dicitur Yang, alia Yn; illa coeli, haec terrae est; illa nobilis, subtilis, efficax, actuosa, lucem ipsam, a qua nomen habet, nativa vi atque praestantia superans; haec hujus tantae sublilitatis, mobilitatis ac perfectionis expers, et tamen concursu suo rerum sensibilium parens. Quapropter materia spectata ut una dici potest crescere et decrescere, invalescere et remittere, firma et debilis, nobilis et vilis, agere et cessare. Per has loquendi formulas, imo per haec crementi et decrementi discrimina absit ut intelligantur duae res omnino oppositae: materia una sola est. Ut funditur progrediturque, dicitur Yang; ut cogitur et congregatur, dicitur Yn. Ubi pullulare incipit, efficit ver, ubi crevit, efficit aestatem; at eadem ubi decrescit, efficit auctumnum, moxque hyemem, dum ad statum decrementi limitem pervenit. Nempe eadem est cum Yn et Yang, in quae dividitur quidem, sed non mutatur, non destruitur, non exhauritur interitque. Pars Yang cui insita est firmitas movendique vis motum imprimit, agere incipit principiumque facit rerum generationi, adeoque est materiae pars praestantior, prorsus ut ea perfectius tota materiae moles habeat nihil. Quae vero imperfectior superest Yn, licet crassior et motibus minus habilis sit, tamen ejusmodi ut motum, qui a circumvoluta cum coelis parte Yang inditur

1) Sing-li-hoei-tong l. 27.

ita concipiat ac constanter sequatur, quantum nec p cooperationis ad rerum perfectum productionem. C currere autem utramque ad plantarum aliorumque genus naturalium perfectionem non minus necesse e quam necesse esse oculis nostris videmus terras rig coeli imbribus, pati nives et aratrum, aut coel certo solis accessu recessuque necessarium frigoris caloris modum temperare. Duo itaque (concludi iidem, ibid.) se mutuo adjuvant adhibentque ad el ciendas generationes et corruptiones. Habent siquide suas crescendi decrescendique (Li) leges, adeo ut a census descensusque sicut generationis et corruptior vices se ex ordine excipiant. Sine illa alterna vel texturae circumductione quid esset utriusque princip Yn, Yang circulatio, nisi quid inane et caducum?

Quae dum perpenderem, mihi saepe venit in mentem, hanc Sinarum philosophiam, quae ab ea qua in scholis traditur, non parum aliena plerisque vide bitur, non ita tamen abhorrere ab antiqua tum Pla nis, tum Aristotelis doctrina, quae scilicet, teste Tullio 1) posterioribus eorum interpretibus haud dubie peritior una et consentiens duobus vocabulis philosophiae for ma instituta est, Academicorum et Peripateticorum: qui rebus congruentes, nominibus differebant. Philo sophi itaque illi antiqui, quorum alios esse Academi cos qui tum appellarentur, alios Peripateticos impru denter arbitrati sunt multi in eam videntur convenisse sententiam, quae cum Sinica physiologia aut omnino consentit aut conciliari facile potest. De natura ita dicebant, ut eam dividerent in duas; ut altera esset efficiens, altera quasi huic se praebens, ea qua effice retur aliquid. In eo quod efficeret, vim esse censebant:

1) Academicorum 1.

n eo quod efficeretur, materiam quandam, in utroque tamen utrumque. Neque enim materiam ipsam cohaerere potuisse, si nulla vi contineretur, neque vim sine aliqua materia. Nihil est enim quod non alicubi esse cogatur, sed quod ex utroque, id jam corpus et quasi qualitatem quandam nominabant.

Superest ut ex his duobus principiis Yang et Yn, materia coelesti et terrestri, quemadmodum caetera omnia componi efficique Sini philosophi concludant, eorum verbis doceamus. Et quidem, si antiquissima repetimus praeter figuras Y-king nihil omnino reperire est, nisi pauca verba appendicis hujus Hi-tse, quae hic in antecessum repraesentare est, ne quid ad explicationem systematis requiratur.

In Y (ait Textus) nempe diagrammate principis Fo-hi, est Tai-ki summus terminus, ita ut non plus sit. Summus terminus producit duo elementa, primum producunt Tse-siang, quatuor imagines, sua alternatione ⚊, ⚋, ⚊⚊, ⚋⚋ seu ex lineari binario primas omniumque simplicissimas combinationes quae in animum cadere possint et in imaginationem. Ex his quatuor imaginibus nempe linearibus binariis oriuntur Pa-koua, octo figurae, figura siquidem proprie dicitur illa sola delineatio quae clauditur. Angularis autem, qualis (ut dictum est) terrestribus convenit, tres saltem lineas postulat. Atque haec ad litteram mentemque id genus interpretum dicta sunto. Ad philosophiam vero ita a physiologis referuntur, ut nomine Tai-ki intelligi debeat [1]) materia juxta summum terminum, extra quem nihil homogenium sit, seu juxta (si ita loqui fas est) totalitatem sumpta, quae si ita spectantur, natura sua (inquit Tchao-tse

1) Sing-li-hoei-tong-ta-tsuen.

e principibus scholae recentiorum) sine actione ac determinatione ad hoc vel illud; at Tai-ki dicitur producere Seng-leang-y, duo elementa seu principia coelum terramque, velut rerum parentes, quia producere hoc in loco idem est ac (fen) dividi materia illam totam summumque in duas, nempe in coelestem Yang, puram, levem, efficacem perfectamque, et in terrestrem Yn, magis foeculentam, gravem, inertem minusque perfectam. Ex quibus non solum coeli (Tayn) corpora componuntur, sed quaecunque spectantur alia, existunt ex iisdem certa lege mixtis mutuoque concurrentibus, ordine tamen suo temporeque tanquam via (tao) progredientibus. Via (inquam) nam tao apud Sinas quae vulgo via, iter est, significat etiam praesertim philosophis modum agendi sive artis sive naturae, legesque operationis, uti annotatum est de voce Li, rationis. Quod idem nomen a Tullio usurpatum videmus de nat. Deor. Lib. II. „omnis natura artificiosa est, quod habeat viam quandam et sectam, quam sequatur.“

A simplicibus autem progredi cum viae rationisque sit: sicut in mappa principis Fo-hi combinationes primae a duobus elementis seu lineamentis ortae ponuntur dumtaxat quatuor, nempe simplicissimae quae imagines nominantur, ita ponendae sunt quatuor (nec plures nec pauciores) ex materia coelesti et terrestri conjunctiones simplicissimae quae sint prima naturae specimina ac rerum initia, quatenus ex illis mixtis ac velut coagulatis constant corporata quaecunque sunt ac sensibilis figurae. Illa porro „initia (ait Cicero) initia ut e graeco vertam, Elementa dicuntur.“ Quo jure nos sinici textus interpretes nihil vetat ita uti ut quatuor primae combinationes

——, — —, — —, — —,
aether, terra, ignis, aqua,

nt quidem imagines, ita siquidem nominantur, aethe-
is, terrae, ignis, aquae, sed tunc etiam vocentur
ura clementa, quando in eo statu primum esse sup-
ıonuntur, in quo ita vocari solent a nostris philoso-
hıs, ubi scilicet in nullo corpore sensibili etiam
ıomonymo, v. g. in igne ardenti, in aqua fluviali aut
ujuscunque generis, pura esse secernique possunt.
Vix enim aliquid hic interest discriminis Sinas inter
et plerosque nostrorum. „Elementum terrae (inquit
Cabeus in Meteor.) non est terra quam oculis vide-
mus, sed pars mixtorum fixa et praedominio sicca.
Aquae elementum non est aqua vulgaris sad mixti
pars humida praedominio frigida.“ Eodem recidit sen-
tentia Aristotelis [1]) docentis „pura illa quatuor elementa
nullibi existere, nec tamen, quia miscentur, interire.“
Epicurei dum illa solum prodire putant potius quam
fieri, collectis scilicet quae dispersae in mixto erant,
v. g. atomis igneis, omnes utique supponunt sicut do-
cent Sinae, illa primae principiorum conjunctionis
opuscula, totidem virium naturae velut specimina, non
tunc ea esse ejusmodi ut ad usum faciant, nisi ulterius
elaborentur, magisque aut misceantur aut augeantur
obtineantque (ut loquuntur nostri philosophi) esse sen-
sibile, v. g. ignis aut aquae communis. Unde inferant
nec flammam nec aquam illam dici posse elementum
ignis aut aquae, nisi quatenus in ardente rogo et in
alto fluvio elementa pura ignis et aquae dominantur.

Atqui hoc ipsum docet textus ab his philosophis
explicatus; demonstrat siquidem a quatuor illis imagi-
nibus binarii lineamenti productas octo figuras trili-
neares; quae repetita scilicet combinatione efformantur,
ut intelligamus naturam a primis illis quatuor verum

1) Arist. de Coelo.

initiis progredi ulterius via tamen sua simplici, tinentique ordine ad eum fere modum quo datae aut numeri combinantur.

Kien

aether ——— humidum.

Li

ignis — — calidum.

toui

vapor ——— leve.

Suen

ventus, lignum ——— flexibile.

Koen

siccum — — terra.

Kan

frigidum ——— aqua.

Ken

grave — — montes.

tchin

rigidum — — tonitrū fulminea exhalatio. Metallum, aurum, ferrum.

Octo itaque illis combinationibus ac figuris, quas vocant Pa-koua, velunt exprimi octo prima corporum sensibilium genera, ex quibus proxime coalescunt cujuscunque speciei nativae magnitudinis corpora omnia. Octo siquidem nec plures seu proprietates seu principes (ut vocat Tullius) qualitates affectionesque illis formae sensibilis mixtis corporibus oriri posse opinantur quatuor elementorum coitione, nulla tamen confusione, quanquam, ut ait poeta:

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Vitandum siquidem est, licet octo figurarum propriis nominibus, Kien, Koen, Li, Kan, Toui, Ken, Suen, Tchin, vulgo ascribantur octo corpora coeli, terra, ignis, aquae, vaporis aut aquae montium, montis, venti et ligni arborumque, tonitrui seu exhalationis fulmineae, metallique, auri, aeris, ferri, quod a Confucio profectum volunt non pauci interpretes. Nihilominus quod jam de duobus nominibus Kien et Koen animadversem est, quibus nimirum non solum spectabilis caeli globus aut spectabilis tellus a schola Confuciana intelligitur, sed Kien v. g. est id quod in materia est maxime valens, actuosum, mobile, vel (ut metaphora trita utar) vis profluentis purissimi fluminis, qua obvia abripiuntur, motumque, quantumcunque circumeat, sequi coguntur; illorum pariter nominum latius pătet significatio, quam ut ad montes, vapores, caeteraque una specie corpora restringantur. Sed quia melius percipitur, quid sit activam, quid calidum, quid grave, exemplo sensibili coeli, flammae, montium, quibus nihil efficacius, nihil ardentius, ponderosius nihil esse scitur, ideo octo illis figuris Pa-koua, sinicisque earum nominibus haec octo imprimis corpora adjungi veluit Confucius, non tamen ad haec individua restringi. Nam his in opusculis posterioribus [1]) legere est locum Confucii, quo nomina Kien, Koen, caeteraque ad generales revocat notiones. Quod (ait) validum est, dicitur Kien, quod subest et continetur, est Koen; quod est introgrediens seque flectens, est Suen; quod se sistit gravitatque, est Ken etc. Unde nullatenus est mirum (quod tamen a nonnullis verba

1) Tchoue-koua-tchouen c. 2. art. 5.

potius quam systematicum, ut ita loquar, Confucsensum consectari solitis reprehenditur) in Commentariis Toen et Siang [1]) eidem nomini v. g. ac figurae Suen, nunc ventum, nunc arbores lignumque, nunc quodcunque ductile et molle, flexibile et elasticum a philosopho substitui, ut ex his suis (ita vocat) Siang imaginibus similitudines petat quoad sententiam faciant. Consentit physica figurarum explicatio [2]) in libris philosophicis naturae phenomenis juxta eorum notas quas parte secunda interdum retulimus addendasque hic habemus.

Li Kan

Sint v. g. duo ⚲, ☵ symbola; in philosophia Sing-li dicitur: in igne Yang dominatur, in aqua Yn. Quod quotidiana igneae activitatis experientia notum quidem habent at in figura, videre se putant. Nam in Li ex tribus partibus in quas cogitatione saltem dividitur, duae sunt ex Yang materia coelesti, quae proinde abundat, una est Yn e materia terrestri, quae tamen (ajunt ibidem) Pen, velut basis, radix ac centrum figurae est. Quae si non inesset, nihil differret a ☰ Kien, pura materia Yang, ut per se patet: at huic dum immiscet sese meditulliumque occupat, soliditatem dat quandam et firmitatem, quoddamque genus cohaesionis; unde ignis, quo utimur, fit sensibilis et erumpit in flammam, quod etiam apparet attente intuenti. [3]) Ignis enim habet intus aliquid nigricans, licet exterius sit clarus et lucidus; exterior scilicet ejus ambitus est totus ex Yang

1) pars II. c. 28. 42. 48.
2) Sing-li-ta tsouen.
3) Sing-li c. 27.

materia coelesti, clara, activa, mobili, qua interior pars Yn, materia terristris agitur et quidem valide, nempe una a duabus natura sua pervicissimis, prorsus ut igne nihil sensibiliter, calidius inter mixta spectetur. Quidquid tamen ita exprimitur ⚊ ⚋ calidum est. Semper enim quiquid habet ab abundantiore coelesti Yang circumactum.

Contra in aqua (ajunt philosophi) Yn dominatur. Cujus ⚋ ⚊ Kan, est proprium symbolum. Quod pari ratione explicandum est. Ex tribus siquidem partibus habet duas ex materia terrestri Yn, quae tertium Yang coelestem velut centrum ac nucleum ambiunt, et ab ea, utpote actuosa, ad motum maxime pronae fiunt; quem Mencius indifferentem ex se facit, ad orientem scilicet an ad Occidentem, non tamen ad Centrum gravium. Quod enim totum non differt a terra Yn, seu materia terrestri ⚋ ⚋, nisi una parte e tribus componentibus, nec movetur nisi illa eadem parte, nempe sola per se activa, non potest non ad id tendere. Inde est quod addunt: [1]) „aqua intus est clara et lucida, exterius subobscura, et quo profundior eo magis subnisgrescit, ut videtur in fluviis et mari.“ Nos etiam dicimus: nigrescunt acquora ventis. Sinis Yn obscurum, Yang clarum indicat, uti annotatum est supra, dum de nominibus utriusque materiae terrestris et coelestis. Nam juxta eos quid est ipsum mare? Certe nihil aliud quam congestae in immensam cavitatem aquae particulae seu corpuscula ita composita, ut totus ambitus uniuscujusque sit ex Yn materia terrestri opaca segnique et unam solam velut in centro

1) Sing-li-houi-tong.

habeat e tribus partem Yang, lucidam, actuosam, cujus motione fit, ut sit instabilis, lubrica, labilis. Quapropter aqua ut non est tam segnis quam Yn materia terrestris, plus enim ex compositione habet actionis, ita longo minus activa est quam Yang, pura materia coelestis, quae scilicet per omnes ferme res diffusa est velut communis vitalisque calor: ad eum aliquorum Graecorum sensum, quo igneum quid esse voluere in omni natura fusum, rebus omnibus impertiens vitalem calorem. Atque hac ratione calor frigusque convenire possunt principiis Yn, Yang ad rerum generationes accedentibus, uti ex Comentariis aliquoties Parte II. asseritur. Non solum (ut loquar solum de calore) quod igneum illud sequatur motum materiae actuosae Yang, sed etiam quod illius arcana (ita Sinica philosophia) ac mira circulatio sit valde incitata, sine qua non intermiscerentur adeoque res non coalescerent. Quod porro inter has duas figuras Li et Kan, non colligendum est (ajunt philosophi post Confucium) veram existere oppositionem, nihil scilicet indicant nisi sensibilem aquam, sicut et ignem, dum naturalem vim mutua actione infringunt, non inter se pugnare ad destructionem, sed ad emolumentum plantarum rerumque omnium, temperante calorem frigore vicissimque, sine quo temperamento nec mixtionem nec transmutationem natura haberet. Quam ob rationem videtur et Aristoteles de coelo l. III. IV. conjugationes suarum qualitatum elementarium ita disposuisse, ut dum inter extrema contraria intercedunt media conversio a proximo ad proximum fieri intelligatur, atque adeo minus, si ita loqui fas est, operose et dispendiose. At opus erat ut simul omnium ad generationem esset concursus, actione aliqua, ut a Sinis philosophis traditum est. Si enim v. g. frigus, sicut

non uno in loco docere videtur Aristoteles, nihil est nisi privatio caloris, ad efficientiam rerum quid confert? et si nihil confert, frustra recensetur inter instrumenta, quae natura habet ad rerum productionem. Aquam quidem v. g. frigidam et humidam omnes experimur; hoc ut in omni hypothesi admittendum est, ita omnibus explicandum, de modo dissensio sola est.

Quatuor Aristotelis conjugationes possunt haud dubie exprimi ad formae sinicae imitationem; nam si siccum ⚌, humidum ䷁, calidum ䷀, frigidum ䷇, supponitur, ut supra,

	Aristotelis.
Terra, prima conjugatio sicci et frigidi erit	⚌ + ⚋
Aqua, secunda conjugatio humidi et frigidi erit	䷁ + ⚋
Ignis, tertia conjugatio calidi et sicci erit	䷀ + ⚌
Aer, quarta conjugatio humidi et calidi erit	䷁ + ䷀

At non tamen eadem in his offertur expositio. Nam v. g. tertia conjugatio, quae ab Aristotele igni tribuitur, juxta hanc formam sinicam parum haberet actionis, seu caloris et multum siccitatis. Quae tamen segnior est, uti patet ex tribus lineis Yn, una sola Yang immixta, quod non solum experientiae repugnat, sed etiam Aristotelis sententiae. Nam lib. de generatione ita concludit: „cum simpliciter quatuor sint, quodque unius est, terra siquidem potius ficci quam frigiidi, aqua vero potius frigidi quam humidi, aër magis humidi quam calidi, ignis magis calidi quam sicci.“

Sed jam dimissis nostris philosophis, quorum sententias si cum Sinicis conferre velim, infinitus sim et fastidiosus, ad caetera reducamus, spectanda saltem obiter symbola. Sibi mutuo respondent ☶ ☶ Ken grave, ☳ ☳ Toui leve; in Ken, ad quod montes, saxa caeteraque id genus pertinent, plus statim occurrit materiae terrestris Yn, quam in opposito Toui. Nam ex tribus partibus, quas complectitur, duae sunt ex illa materia, quae, cum sit crassior segniorque, plus habet etiam difficultatis ad motum, cum que quo a medio ceu a centro quietis recedendum esset. Nec hoc satis. Ubi enim agitur de gravitate (idem de levitate dissere) etiam potiusque attendendum est ad motum, quem linearum dispositio indicat. His si quidem duabus ad Centrum ita propensis supereminet tertia pars Yang materiae coelestis e cujus ratione est (ut loquuntur Sinae) [1]) rotari. Quod autem est infra rotae circuitum, devolvitur inferius et (caeteris paribus) quo crassius est, eo magis praeceps ruit ad centrum. E contra quod supra circuitum est, circumvolutione excutitur sursum, uti in Toui videre est, ubi pars quae una est Yn. Supereminet duabus reliquis ex Yang materia coelesti, quae proinde et numero et activitate superant.

Id enimvero facile est observare in levibus quibuscunque mixtis et imprimis in vapore, quo nihil levius et cujus exemplo utitur Confucius, ei nomen Toui tribuens. Nec immerito. Quid enim aliud est quam multiplex aquae particula, quam vis coelestis materiae Yang a lacu similibusque terrestribus amovit

1) vid. Sing-li l. 27.

in superiora. „Similitudo (vid Sing-li lib. 27) petenda ex olla, cui ubi subjectus est ignis, fumos halitusque ex aqua, quae orizae coquendae adhibetur, sursum emittit.“ Quae deinde in iisdem libris traducitur ad explicationem nubium, pluviae, roris quorum ipsa verba retulimus Parte II. quibus hic tantum addemus illorum philosophorum conclusionem. „Pluvia fit a spiritibus Yn et Yang, seu materiae utriusque particulis addensatis et guttas efficientibus. Densae (ait Y-King) sunt nubes, non tamen pluit, nempe perpetuo alte feruntur. Soli namque spiritus illi vaporesque inferiores in superiora ascendunt. Dum vero ascendunt, motum habent, nec ideo potest esse pluvia. Si autem qui jam supra existit, spiritus vaporique ascendentem de novo ita excipiat obtegatque, ut nullum fluctuationi locum ei relinquat, tunc potest esse pluvia. — Ubi plura coiere et velut subsistere videntur, mox pluere dicuntur.“ De rore similiter philosophantur. Pruinam ajunt esse rorem concretum seu congelatum, ut vetulimus Cap. II. Qua eadem ratione nix est pluviae materia tenuior, seu nubes rara congelata, quae diu velut supernatat in coeli terraeque medio, sicut glacies in fluvii superficie. Ideo vero (ajunt lib. eodem phil.) nivei flocci in sex angulos radiosque abeunt, quod minutae nivis particulae in descensu ab aliquo vento velut a tergo percussae aperiantur; quemadmodum si quis ex recenti argilla globulas in terras impingeret vi superiore impellente, certe is desiliret atque aperiretur in multa latera faciesque.

Quodsi objicis, grandinis etiam formam esse polygonam, respondet celeberrimus Tching-toe: „puto grandinem initio esse rotundam, sed a pugnante super faciem subtili spiritu Yn cum spiritu Yang percuti,

et hunc in modum teri, ita ut nunc plerumque grando sit in partes adversas acuminata ac multilatera. Littera (ait alter) quoque nostra, quae grandinem exprimit, Pάo, constat ex duabus aliis, quarum alia exprimit pluviam, alia involvere. Nempe pluviae vapor involutus fixusque gelu repentino est ipsa grando.“ Vapores porro diversos esse annotant. „Pluviae vapor est impurus ac turbidus, purus contra roris vapor. Ros etiam et nebula vaporis ratione differunt. Hujus est sordidus, illius nitidus.“

Ex hac materia fit Iris delapsis primum versus terram gravioribus velut facibus vapori pluviatili admixtis. „Nam ejus natura (inquiunt) est pluvia tenuis puraque. Quod tamen a sole adverso illustretur in arcum colore umbraque distinctum figuratur. De iride dici solet sistere pluviam. Sed non ita est. Eam vim non habet, at tunc pluviae vapor admodum ternatus est, soleque apparente et puro radiante totus brevi dissipatur.“

At has explicationes requiri posse multa non ignoro, a recentioribus praesertim nostris physiologis. At cum nihil repererim in commentariis librisque Sinarum philosophicis nec circa varias figuras materiae terrestris Yn, sive v. g. aquam, sive ignem componat, nec circa motus lineasque ascensus descensusque, v. g. vaporis et saxi proprias, nihil habeo particulatim dicendum. Quod quidem sinicae philosophiae si quis vitio vertendum putet, per me licet; si tamen non ea forte est ingenii humani imbecillitas, ut quo minutiora ac singuliora naturae perscrutatur, eo magis incertus haereat. Aristoteles certe, qui judice Tullio abundantia quadam ingenii praestabat, a minutis illis abstinuit; satis habens aliqua de figura circulari coeli terraeque summatim delibare et motum generaliter dividere in

rectum et circularem atque ex his mixtum: „Simplices siquidem (inquit) hi duo sunt . . . . circularis, circa medium est, rectus qui sursum fit, est a medio, qui deorsum, est ad medium. Grave igitur est, quod ferri notum est ad medium, leve quod recedit a medio,“ centro scilicet. Non ultra ergo longe saltem progressus est antiquae Sinarum philosophiae limites, quae tum motum, tum figuras ad circulum rectamque lineam generali velut regula reducendas praecipit.

Multo minus traditur, quod forte sciri a mortali vix potest, qualis sit in mixtis elaboratio, partium cohaesio, situs, extensio, ex illa tamen velut textura naturali [1]) liquet eas debere omnino existere qualitates, quae licet non actuosae aut potius non motrices, sed velut inertes dici soleant, nihilominus habent unde discernantur, quod scilicet plus minusve aut divisionis aut impressionis patientes sentiantur. Ejusmodi sunt quas significant Suen et Tchin, Suen flexibile Tchin rigidum. Flexibilis nomine intelligitur hic, quod sub suis dimensionibus (in alio mixto aequalibus) exignam habet vim ad resistendum impressioni externae. Habet vim ratione texturae, exiguam vero ratione raritatis, atque hoc ipsum est quod dici solet a philosophis nostris, id rarum esse, quod sub magnis dimensionibus parum habet materiae. Materiae utique crassae, qualem exhibet symbolum, cujus ima solaque linea exhibet materiam terrestrem Yn. Est tamen velut basis ac vinculum totius contignationis datque texturae aliquam soliditatem. At nisi accedant aliae partes, quae non sint e materia crassa, nihil fiet rarum etsi non eae sunt, quae cedere saltem violentiae possint aut tantillum introcedendo aut figuram

1) vid. Sing-li-ta-tsuen.

mutando, nihil fiet flexibile. Quod duplici exemplo Confucius in Commentariis Toen et Siang exponit, ligni et venti. Lignum juxta physiologiam Sinicam textura naturaque est quid rectum capaxque curvationis et ideo explicatione potest se restituere, ut patet in ramo arboris virgaque. At in vento non ita appareret quid notaverit Confucius, nisi forte flantis reflantisque alternas vices et quam supra attigimus Cap. 57. circulationem spiritus (Ki) medium implentis, seu ut nos loquimur, aëris intermedii; in his siquidem supponitur flexibilitas, imo elasticitas. „Litterati (inquit Tchou-tse) praedecessores nostri ita rem habere dixerunt in coelo terraque quae plena sunt .... dicas quid volueris in medio coelum inter et terram nisi spiritum Ki .... fit is aliquando conspicuus, dum cogitur, coloratur, figuratur. At manet etiam velut in obscuro .... secreto nempe circumagitur ....“ „Quin (addit Tching-tse) etiam habet idem vim se explicandi contrahendique ... dum se explicat, voceri potest Chin, eadem voce qua dicimus manum diducere. Dum contrahit sese, vocari potest Kouei, qua voce etiam dicitur comprimere manum ... Vi contrahitur suaque natura velut se restituit in integrum. Inde fit quid simile exspirationi et inspirationi .... ventus hiemalis est quovis anno borealis; utique ex terris frigidis septentrionis montibusque niveis ad nos venit; compressi Yn illi spiritus refluunt ad Austrum ubi sol Ta-yang dominatur dilatans omnia. Ita etiam de vento aestivo dictum puta .... nam tempestatum venti sequuntur motum solis ... nunc ad austrum, nunc ad boream gyrantem ... at (objicitur) oriente sole oritur et ventus ... forte et ille sequitur motum solis, diurnum scilicet, nam hoc loco inter ventum tempestatum certo tantum anni tempore

regnantem et ventum ferme diurnum fit distinctio.“ Inde est forte illa circulatio ventorum, quam Sinae (vere an falso, non hic inquirimus) supponunt, cujus meminimus supra Capite 57, quod consuli potest.

De fulmine tonitruque quod in exemplum rigidi, figura Toui expressi, assumpsit Confucius, cum Capite 51 exposita sit Sinicae philosophiae sententia, hoc unum hoc loco apponam. Rigidi nomine intelligendum, quod sub aequalibus dimensionibus vim habet ad vincendam impressionem externam, ita ut si in certo motu a cursu averti seu devium fieri vix possit. Fulmen (ait Physica Sinica) fere constat ex mixtis halitibus quorum simul spiritus, licet sine corpore, esse videatur, est nihilominus irretortus sicut tympani pellis, ita ut res magnae non possint invertere.

Rapiditatem itaque ac violentiam resistendique vim agnoscunt Sinae in hoc symbolo Toui, et si fulmen componant, ex exhalationibus ferme terrestribus coactis et aliquam duntaxat materiae coelestis Yang partem secum trahentibus, eam scilicet a qua motum concepere et in qua figurae basis vinculumque constituitur; quamquam dici potest in hac symboli Tchin definienda significatione Confucium habuisse rationem massae fulmineae, quam antiqui in magnis fulminationibus vibrari opinati sunt, et quam Chi-tang-hou aliique narrant invenisse homines non absimilem metallicae securi. Verum, ait Nan-suen-tchang post Keng-kou, quaecunque dicitur reperta massa, existit illa a materiis recta praecipitantibus, molemque efficientibus, uti accidit stellis quas populus cadentes dicit . . . non quod massa illa in medio pendeat. Coeli medium non habet nisi spiritus halitusque, figuratam materiam non habet; at id quod ab eo decidit, ubi occurrit terrae, tunc figuratur in hanc massam, quae deinde ab

hominibus interdum reperitur, quae si ita est, non immerito dicitur nihil esse inter mixta rigidius inflexibiliusque, et dignum imprimis in exemplum rigiditatis ac violentiae viriumque a Confucio proponi. An verò ita res habeat, nihil opus nos hic expendere.

Hoc unum superest, ut paucis respondeam ad ea quae mihi objici posse video ex libris Sinicis. Neque enim una et philosophorum qui diversis temporibus floruere, sententia sectaque.

In philosophicis Pandectis in quae placita philosophorum pleraque collecta sunt, jam a tribus amplius saeculis [1]) non pauci praesertim ex secta philosophantium sub familia regia Song, nec parum illustres appellantur, qui Ou-hing (ut verteri ante nos alii) quinque elementa constituunt, puta aquam, ignem, lignum, metallum, terram, extra quae nihil est, ad quae omnia reducuntur. Quod quidem ab illis dici non negandum est. Videndum tamen an vox Sinica Hing idem sonet, ac apud nos elementa proprie dicta, nempe illa prima, in quae corpora quaecunque ultimo resolvantur aut ex quibus proxime componantur. Quis autem eorum vel uno verbo indicavit in lignum v. g. et metallum recidere posse corpora alia? ecquod vero in lignum? abietem an pinum? ecquod in metallum? aurumne an ferrum? nihil illi certe simile habent. Habent vero terram esse velut parentem et matrem quatuor illorum quae inter insensitiva praecipuum usum habent, aqua, ignis, lignum, metallum, quae terra inhituntur et cum ea quinque numerari possunt. Ipsa est in medio . . . est mater amplectens alensque caetera . . . una ipsius substantia fert tot rerum species utiles. Confucius in figura Hien, coeli

1) Circa annum 1572.

producentis, non plures profecto numerat quam quatuor virtutes, scilicet naturales generandi leges . . . Mencius dum de moralibus virtutibus, quatuor tantum numerat, licet illas comparet cum elementis . . . In libro antiquo Li-ki. Cap. Li-yun dicitur ea velut seminari et perspargi in quatuor anni tempestates; in Y-King non sunt nisi quatuor Siang, imagines, prima scilicet combinationum et permutationum specimina. Imo nec possunt esse plura quam quatuor . . . juxta doctorem Mien-tchai asseclasque elementorum series est quatuor. Ex quibus omnibus id colligi necesse est, vocem sinicam Hing, si latine sonat elementum, ab his philosophis de ligno metalloque ita loquentibus accipi solere illis in locis eundem in sensum, quem nostri interpretes tribuunt Aristoteli coelum aut aethera inter elementa numeranti.

Aristoteles (ajunt) hoc in textu accipit vocabulum elementi late, prout id ex quo aliquid componitur; et in eo sensu coelum est elementum universi, quandoquidem illius pars est et quidem praecipua. Deinde in eodem sensu idem addit, terram seu tellurem, aquam, puta maria, aërem esse elementa, nempe sunt partes etiam universum componentes. Eadem est responsio Cabei, qui recentioribus viam ad physiologiam instaurandam aperuit. Nam ubi mixtorum partem crassam ac fixam a parte spirituosa et volatili (praeter humorem) ita distinxit, ut in illa veluti materiam et principium iners, in hac formam principiumque activum constituat, quae elementa proprie dici possint; dum ad ignem quem videmus, aquam qua utimur, terram quam calcamus, aërem spirabilem disserendo pervenit, illa sensibilia quatuor eatenus ab antiquis nostris dicta fuisse elementa probat, quatenus sunt elementa mundi sublunaris. In explicandis ergo Sinarum istorum textibus

ille ideo centrum, sinus coelestis materiae Yang . . . est parens lucis fonsque velut lucidus . . . cum nihil habeat ex Yn materia terrestri, est purior ita ut ignis quantumvis purus ejus actuosam vim splendoremque assequi nequeat. . . . Ignis habet (vide supra) aliquid intus nigricans, ille intus magis micat splendetque. Idem de Yn seu materia terrestri dictum puta, quae corpus est haud dubie in tellure, haec est itaque centrum, fodina et velut fons totius spiritus Yn. At quamvis intus habeat a qua tota pervaditur, partem subtilissimam materiae seu principii Yn, est tamen natura sua segnis, iners, vilis, crassaque, si confertur cum materia coelesti seu principio Yang. A quo ad motum rerumque generationem excitatur. Id ipsum persuadere potest quod quotidie videmus. Tellus est opaae, obscura et tenebris obvoluta. At a sole illustratur, lucet, formosa est . . . pariter (aiunt) longe differt sol non magnitudine altitudineque sola, sed praestantia materiae virtutibus vique agendi a luna (quae ob hoc tantum discrimen dicitur Yn) minus perfecta, segnior viliorque. Lucet tamen mirum in modum plenoque orbe in pleniluniis. Lucem scilicet suam (ait Tching-tse) mutuatur a sole, quin tamen is patiatur detrimentum. Lux enim lunae est lux solis . . . Luna (inquit Tsai-ki) est similis aquae a sole illustratae. Aquae superficies subvertit lucis radios, eosque vibrat in parietem . . . Luna (ait Ouang-pou) nec ideo quod solis luce luceat, mittit recuperatque lumen. Equidem solo illo tempore quo pervenit ad solis oppositionem hominibus in medio positis apparet plena. At siquis vir Genio similis posset alte insilire . . . et inter solem et lunam se collocare, procul dubio ipsis priorum phasium diebus videret lunam plene illustratum lucidamque. Ad haec igitur quisquis attentos

oculos animosque habet (si istis philosophis credimus) nullo negotio intelliget Ta-yn tellurem totamque materiam terrestrem seu principium Yn posse a principio Yang materiaque coelesti motum, actionem, efficacitatem decusque accipere. Unde reipsa existunt, annuae tot rerum specierumque productiones. Ut ut sit, id negari non potest ex dictis facile intelligi quaedum alta illorum velut axiomata, quae aut paradoxa aut pugnantia nonnullis visa sunt.

Materialis sive Yn sive Yang spiritus in his figuratam habet substantiam . . . in illis figuratam non habet substantiam . . . spectabilis est . . . clam circumagitur, tenuis est, invisibilis . . . aliquando statim acquirit figuram ut in meteoris . . . spiritum metalli, ligni, res aliae habent . . . spiritus alii calidi alii frigidi . . . alii fluidi alii inertes. Nam constat spiritus Yn et Yang dici spectabiles ob effectus imprimis annuos et figurari in solis et telluris corporibus. Ex utroque spiritu cum constent alii spiritus mixtorum quorumcunque, omniaque corpora ex materia coelesti ac terrestri componantur, verum erit distinguere variarum qualitatum spiritus licet ex duplice tantum materia aut principiis duobus Yn et Yang existant. Haec ergo quae illorum dissertationibus intermixta reperiuntur, non statim damnanda ut parum constantia, sed ex dictis explicanda fuerant ab his philosophiae sinicae censoribus.

Ad doctrinae cumulum exponere necesse esset quanam ratione sexaginta quatuor emblemata quorum compositionem ex octo symbolis nunc expensis parte prima explicuimus, ad omnes aut saltem totidem sensibilium corporum species accommodari posse videantur. Verum hic opus, hic labor est, et a Sinis minime susceptus, fortèque philosophorum vires superans, quod

eximiam quándam perfectamque supponat naturalis historiae notitiam, quae certe a Sinis antiquis, quantumvis sapientes existimentur, comparari non potuit. Nam inter sexaginta quatuor sunt v. g. quatuordecim ignis seu calidi cum sicco, humido et quinque aliis conjugationes et permutationes exhibentia; ergo oporteret quatuordecim mixta habere ita cognita, ut eorum unumquodque unicuique emblematum (emblema quodlibet duorum symbolorum combinationibus constat) velut ad amussim respondere suis proprietatibus sciretur; et quidem iis imprimis duabus quae utroque symbolo exprimuntur et distinguendae speciei ex philosophiae placitis sufficiunt; at tam multa pernosse cuinam aut nationi aut sapienti contigit?

Ad laudem philosophiae Sinicae satis, opinor, erit quod peripateticae auctor, toto licet orbe celeber de sua profitetur (de meteoris). „Putamus sufficienter de iis disseruisse nos si rationes ad id reduxerimus ut nihil impossibile dicamus . . . Si quis vero rationes certiores ac magis necessarias assecutus fuerit gratiae agendae earum inventoribus.“ Tantum profecto si physiologiae sinicae a viris eruditis concedatur, non video aut quid opponere possint aliqui Sinarum censores parum aequi. Quod enim demonstrabant in systemate impossibile, nec quid addi velint his laudibus panegyritae sinicae peritiae (qui plures haud dubie sunt), nisi forte antiquitatem primorum gentis philosophorum, quae certo certius longe major est Thale Milesio, Pythagora, Platone, Aristotele, omnibusque inter Graecos aliosque veteres celeberrimis.

ADNOTATIONES.

Jam parte I. Capite 4 perspicue, ni fallor, indicavimus, unde recentiores physiologi hauserint novam luan suam de Tai-ki, Ou-ki

caeterisque id genus toti antiquitati prorsus ignotis philosophandi rationem, nempe a Tching-touan[1]) inter haereseis Tao-kia magistros, seu, (ut appellare solemus) Bonzios percelebri. Haec autem doctrina ab exitu decimi saeculi ita sensim invaluit) ut regnante Hiao-tsong dynastiae Song ingentem fautorum et quidem illustrium numerum habuerit, contra nitentibus aliis non minore conatu; prorsus ut non solum schola sinensis litteratorum in duas fuerit divisa sectas, sed etiam aula et tribunalia suprema partium studio dissidiis publicis (quae fuse narrat historia imperii) causam dederit. Non mirum itaque est, si in libris philosophicis a secta illa tunc temporis prae caeteris vigente editis proponantur quinque rerum principia, ignis, aqua, terra, metallum, lignum, quandoquidem quinque illa velut praecipuas mundi spectabilis partes libri Tao-kia prisci praedicant, eisque praesidere quinque spiritus caeteris praestantia vique superiores decent, materiae scilicet congenitos, et partibus praestantioribus aiunt inesse spiritus potentiores, quibus etiam, quae petulantia hominum fuit, varia affinxere nomina. Haec tamen diversa diversis temporibus fuisse demonstrari potest ex eorum libris. Illa certe quae refert Tchoan-tse scholae hujus princeps alter a Lao-kiun tom. I. c. 5 non sunt eadem quae fuere postea familia Tsin dominante, ut patet ex indice famosi Lou-pou perperam inserto in Li-ki. Mox succedente in imperium familia Han, quinque illi spiritus dicti sunt Chang-ti, ruber, albus etc. quinque insignes coloribus, quinque praecipuis orbis partibus ducta similitudine, ut constat ex ipsa imperii historia. Hosce vidisse magna pollicentes eum sancte testatus esset imperatori Ouen-ti clarus illa aetate e Tao-kia magister Sin-ouan-pou, colendosque ad populi atque imperatoris praesidium proposuisset, annuit imperator; sacra nova confestim statuta, collegium Mystarum erectum, praefectusque ipse sycophanta aliquo tempore in urbe regia plausu et celebritate invaluit. Verum id non diutius ferendum putans Ouang, Censorum imperii praeses, oblato supplice libello sycophantam dicit reum laesae majestatis, quod insignibus mendaciis vetitisque lege artibus imperatori illudat; postulatque hominem tradi tribunali ut rebus rite cognitis verum aequumque judicium ferri possit. „Interea hoc (ait) ausim dicere, nihil ineptius esse hoc novo figmento spirituum Chang-ti, quos affirmat ille existere quinque. Id siquidem certum est ab antiquissimis usque temporibus quicunque sapuere et gentis magistri ob eximiae sapientiae laudem habiti sunt, omnes unum novisse Chang-ti super

1) Decimo seculo.

omnia eminentem, a quo uno illa pendent, a quo postulanda quae imperio conveniunt, cui sacrificare debeat soleatque imperatos etc." Sin-ouan-pou debitas poenas luit confessus fallacias et dolos.

Ex his itaque manifestum est, in id genus libris non quaerendam veram Sinarum veterum saltem philosophorum physiologiam.

ARTICULUS SECUNDUS.

TEXTUS.

Quae dicuntur Kang, Nyeou, firmum et debile (figurarum scilicet elementa ———, — —, utriusque principii Yang et Yn notae), muta permixtione producunt quae repetita faciunt octo.

ADNOTATIONES.

1) Principiorum aliud Yang dicitur a Confucio in Toen et Siang (ut dictum est part. II) a viribus actuositate et efficientia ipsiu propria. Idem nomen ab eodem transfertur in iisdem commentariis in lineam quae assumpta est primum a Fo-hi ad exprimendum seu notandum principium Yang, materiam coelestem estque ———, at — — est nota principii Yn debilis, segnis scilicet ad motum, naturaque sua velut inertis.

2) Ex his duabus lineis nasci quatuor, quod refert glossa, ex quatuor octo trilineares, pervenirique ad 64 ex linearum dictum est parte I.

ARTICULUS TERTIUS.

TEXTUS.

Principiorum Yn et Yang spiritus quam sit vehemens terrensque patet ex fulmine tonitruque; idem quam sit insinuans fovensque patet ex vento pluviaque. Ex solis lunaeque revolutionibus motibusque existunt calor et frigus.

Principia Yang et Yn existere eorumque simul operantium vires esse magnas et ab iis diversa effici, ratione diversae combinationis, docent Sinae philosophi, quos supra saepeque appellavimus. Ad haec vero definienda per aliam viam quam per notationem assiduam ac diuturnam effectuum naturalium et imprimis annuorum quam ipsi Fo-hi attribuunt, perveniri posse negant. Qui tamen ad hunc scientiae apicem pervenerit, nullus hactenus fuit. Omnia scire et animo velut pervadere cadit solum in virum omni ex parte perfectum, cujus speciem informant libri Confuciani, ut dictum est parte II. Cap. 11. Epiphon. 5.

Recidit itaque Sinarum de Physicis judicium ad hanc Senecae lib. 7 quaest. natur. sententiam; nobis rimari illa et conjecturare in occulto tantum licet nec cum fiducia invenicndi nec etiam sine spe.

ARTICULUS QUARTUS.

TEXTUS.

Kien symbolo coeli expressa est ratio seu via maris. Koen symbolo terrae ratio seu via foeminae.

ADNOTATIONES.

Hic nihil aliud plus dicitur quam quod supra, nempe coelum et terram esse rerum, v. g. plantarum ac caeterarum parentes, patrem et matrem physico ad generationem earum commercio per influxum actionemque, puta calorem, aliaque. Utrique principio Yn et Yang seu Koen et Kien, materiae coelesti et terrestri simul concurrentibus debetur annua productio, sicut alibi ex Sinis ipsis dictum est.

ARTICULUS QUINTUS.

TEXTUS.

Ut a symbolo Kien (primo symbolorum aliorum) ita a coelo est scienter (sapienti nempe lege) rerum principium, quarum perfectio est a terra, cujus Koen est symbolum.

ARTICULUS OCTAVUS.

TEXTUS.

In hac coeli terraeque actionum subordinatione quae constat facilis et compendiosa, habemus rationem imperii expressam. Quae ratio exigit, ut erigatur dignitas in medio scilicet omnium (ut ait glossa). Hominis proprius dignusque locus est in medio coeli et terrae ad quem caetera referuntur.

CAPUT SECUNDUM.

ARTICULUS PRIMUS.

TEXTUS.

Excellentes illi viri a quibus extat Y-King, proposuere has figuras Koua, imaginesque Siang contemplandas.

Appendix (Hi-tse) haec facta etiam est ad distinctionem boni et mali clariorem.

ADNOTATIONES.

1) Fo-hi, Ouen-ouang, Ou-ouang, Tcheou-kong praecipui libri Y-king auctores appellantur a Confucio Ching, viri scilicet excellentes reliquis hominibus. Non ergo (quod nonnullis placuit) soli Confucio tributum hoc nomen est in antiquis libris, sed aliis etiam excellentibus et quidem quam plurimis etiam post Confucium, quod ex historia Sinica certisque monumentis demonstrari posset, si operae pretium esset, aut inde in hoc opusculum plus lucis redundaret. Notabo tamen insuper, nomen hoc Ching etiam reperiri datum rebus, ut nomen quoque Hin v. g. scientis, artibus aliisque suo in genere eximiis ac excellentibus. Convenit et usus, et nomen quo a Tartaris Sinica verti solent, Endouringhe, est derivatum ab endouri, sinice Chin, spiritus, quo tamen utuntur in appellandis laudandisque tum personis tum certi generis rebus summe praestantibus, ad eum fere sensum, quo philosophus, orator eximius eorumque artes dicuntur divini et divinae a Tullio optimisque quibusque Latinis.

Hac certe notione excellentis nomini sinico Ching suppositâ, apte cadunt conveniuntque quaecunque diversis in libris diversa ita efferuntur, ut multa opus sit in versionibus aut varietate aut explicatione, ad quam regulam mihi videntur exigendae similium vocum significationes, earum saltem quae sunt alicujus momenti, dum transferuntur e lingua peregrina prorsusque Europae ignota. At hic opus, hic labor est. Aegre suscipitur facillimeque deseritur.

2) Quanquam apud Sinas litteratos vix reperire sit qui censeat appendicem hanc seu opusculum hoc Hi-tse dictum pertinere ad

distinctionem fortunae et infortunii, quae scilicet sinicis nominibus Hi et Hiong interdum ad varia adhibitis intelligi debeant, quod tamen fuisse alia per Europam sparsa notum sit; non erit inutile ad tutandam veram communemque sententiam ex tam multis parte secunda plus quam quinquaginta ad loca annotatis pauca excarpere, eaque novis tum testimoniis aliorum veterum librorum, tum dilutis quorundam objectionibus roborare, nihil ut de praesensione rerum futurarum antiquorum sensum habeamus non explicatum. Sit itaque Dissertatio sequens de hoc argumento. Sed vide notam hic inserendam.

NOTA. Haec quae de sententia Sinarum circa praesensionem futuri probanda suscipio, de philosophis et sapientibus litteratisque reipublicae administris dicta volo: neque ignoro quae apud vilem plebeculam, imo in libris astrologorum et quidem aliquando suis etiam astronomiae calculis illustrium vana et inania reperiuntur. Sed danda illis priscis similibusque venia est, quae non denegatur nostris et quidem satis recentibus clarisque nonnullis astronomis, quorum opera astrologicis placitis vanisque praegnosticis sunt infecta. Quae si quis vitio regibus et magistratibus verterit, nae ille parum aequus erit, cum haec prodeant illis invitis.

DISSERTATIO SECUNDA

De praesensione rerum futurarum, fortunae et infortunii, ad mentem Antiquorum et Confucii.

Etiamsi in hoc opusculo Hi-tse legantur, nec semel, hae duo sinicae voces Hi, Hiong, boni malique, vel quibus ita placet, fortunae et infortunii, male tamen infertur ab istis, hunc esse oposculi finem idque probari hoc ipso textu. Nam non solum in hoc opusculo voces hae usurpatae reperiuntur, sed in toto vero sinceroque libro Y-king ad singulas ferme principum, si qui unquam inter Sinas fuerunt, sapientissimorum sententias spectante. Unde sequitur textum hunc ita intelligendum esse de majore distinctione, ita ut ex hac appendice magis elucescant quae in libro antiquiore

distinguuntur inter bona et mala. Vox textus Ming (claritas) rem fieri perspicuam magis ac magis seu illustrari certo significat. Adde, quod legenti appendicem hanc constabit, in toto opusculi decursu non solum retractari quae pertinent ad distinctionem Ki, Hiong, boni malique, sed etiam caetera quaecunque, quae de virtutibus officiis arteque gubernandi antiquae epigraphes et epiphonemata proposuere. Superest itaque hoc unum, ut dicatur Confucium voluisse velut supplementum scribere, quo Commentarii sui et Toen et Siang contra obtrectatores juvarentur, retractatis aliqua semper nota antiquis sententiis novisque sensibus interdum apertis.

Nihil certe ex Confucianis commentariis libri Y-king opinor clarius certiusque est vocibus Ki, Hiong, aliam subesse significationem ab ea qua scilicet circulatores et harioli, vile hominum genus, fortunam et infortuniam augurantur. Nullo siquidem in loco voces illas hunc in sensum accepit. At illum tenuit principum Ouen-ouang et Tcheou-kong reverentia? undenam haec orta? ex opinione certe virtutis et morum de his principibus constante, in quos cadere non poterat suspicio hariolationis, prorsus ut nefas esset illos hoc in genere suspectos vel interpretando facere. Hoc metu liberos se putent in Europa qui e sapientibus principibus gentisque magistris hariolos fatidicosque effingere volunt; a Sinis certe inepti abjectique habebuntur, quod nihil illis relictum sit perfugii nisi ad paradoxum absurdissimum.

Enim vero si vigilantia, prudentia, cautio, modestia, animi moderatio, obsequium, fidelitas, fortitudo, pietas aliaeque virtutes, quae dicuntur Ki in textibus [1])

1) Cf. cap. 9. 11. 12. 14. 16. 36. 42. etc.

part. II. idem sonant ac fortunae casusque, quid, oro superest nisi ut tam praeclara effata eadem propemodum sint quod talos jacere, quod micare digitis, quod augurari loquique circulatoria. Ad haec siquidem rei indignitatem concluditur, quidquid a simili interpretatione haberi potest.

Quod ergo vox Ki in libro Y-king e sententiarum contextu et ex Confucianis commentariis ad virtutes fere omnes virtutumque officia usurpari soleat, demonstratum est non fortunam, non casum proprie semperque significare. Nec enim felicitas quam interdum dicitur afferre regno principique mens perspicax [1]), solida praestansque, ministri peritia et fides, magistratum delectus, populi institutio, concordia magnatum, sejungenda est a virtute, ut illum casui fortunaeque tribuamus. Quin et pugnarent inter se sententiae. Nam si in adversis constantia, si in laboribus perseverantia, si inter pericula fortitudo praedicatur ut Ki [2]), nempe ut fortuna, ut casus, ut sors; fortuna erit in infortunio, in labore fortunata quies, inter pericula robusta felicitas; nihil consilio, nihil rationi, nihil virtuti explicatio relinquere poterit.

Eo deventum esse mirum plane nullis videri poterit quod apud antiquos nostros philosophos passim occurrant effata sinicis similia. Parte II. Epiphonematum [3]), ac sententiarum sinicae scholae sensus est, Ki, bonum, consistere in observatione recti . . . Fou felicitatem, non esse positam in divitiis saeculique bonis . . . Hiung, malum, esse ipsum excessum . . . eo infortunium ex vitiis animique inordinatione

1) Cf. cap. 1. 48. 53. 54.
2) Cf. cap. 53. 47. 50.
3) Cf. cap. 39. 40. et Li-ki, Mencium aliosque.

constare . . . Sapientem se ipso habere (Ki) bene. At eadem totidem verbis nostri Graeci Latinique habent. „Felicitas in honesto ponenda est . . . nec probetur summum bonum ut virtute careat, qua nihil praestantius . . . ne Croesus quidem a divitiis felix habendus fuit . . . nihil nisi turpe in malis censendum est . . . virtus ad beate vivendum se ipsa contenta est . . . omnes sapientes feliciter absolute, fortunate vivere.“ Aanne qui Sinis iniqui sunt, reprehendere nostros hactenus ausi sunt sapientes, quod iis vocibus felicitatis, fortunati, felicis, similiumque non abstinuerint quibus vulgo abutuntur genethliaci divinique nostri quicunque quorum tota ars frausque versatur in praedictione rerum fortuitarum, seu (ut vocant) bonae malaeque fortunae, casus felicis et infelicis, sortis faustae et infaustae, voces, siquidem illae etiam apud nos longius latiusque patent quam ut ad opes deliciasque restringi possint. In Chou-king [1]) inter libros authenticos mea quidem sententia optimus vir probus bonusque magistratus dicitur Ki-jin. Hunc ne ita dici putabimus quod sit vir fortunae aut potius (ut vox ipsa latina fert) vir frugi?

At (inquiunt) Sinae signa praesagiaque dari docent quae autem denunciant Ki et Hiung dicuntur fortuna et infortunium. Ita quidem est; boni malique nomen ut virtutes vitiaque complectitur, ita et utilitates ac detrimenta omneque calamitatis genus prorsus ut vel ex ipsa objectione constet versionis, nostrae (quae cum Tartarica convenit) fides, eorumque concidat sententia fortuitum duntaxat casum sortemque in his vocibus sinicis agnoscentium.

---

1) Chou-king IV. 2.

afferunt.“ Nec Sinis istis conjectoribus magis sapuisse Graecos Latinosque constat, nisi forte hic magis reprehendendi sunt, quod viros maximos hoc errore imbutos habuerint. Victoriam inaniter quidem sed vere auguratus sibi est Augustus [1]) ex nomine tum rustici Eutychis, tum asini Nicon cui insidebat sibi occurrens. Caetera exempla omitto utpote aliis nota, mihi ad comparationem minime necessaria.

Ad sententias libri Y-king quibus abutuntur interdum circulatores in foro ad praedictiones futuri conferri posse jam notavimus quae de Bruto et Socrate narrantur ex versiculo Homeri mortem suam augurantibus. Et si fanata placent Adrianus et Macrinus forteque alii appellari possunt qui carmina in quae aperiendo librum incidere, sibi praedicta putarunt, ut confidentius imperium susciperent. Atque haec notatio huc imprimis pertinebat, ut exemplis etiam nostris docerem, ex abusu sententiarum ad praesagia nihil posse concludi contra obvios receptosque illarum sensus. Atque adeo purum putum sophisma a nonnullis contra Sinas fuisse propositum, perinde ac si per illos liceret librum Y-king aliter, quam sonat, interpretari. Sed id ego ab illis rescire imprimis velim, an versus Homeri Virgiliique, quos imperatores sibi dictos habuerunt, sensum obvium et poetae in operibus utriusque certum perdidisse censendi sint, quod scilicet principibus illis accommodati sint apteque in eos cadere posse opinio adulatorum vatumque fuerit, adeo ut cuilibet nunc liceat non de antiquis poematum heroibus, sed de Hadriano aut Alexandro Severo aut Macrino aut de quovis alio similitudine aliqua allegoriaque carmen interpretari. Leve est quod affertur nunc discrimen

1) Suetonius in Augusto.

inter versiculos Homeri quorum sensum non pro falso sed pro ominoso habuere Socrates et Brutus et, inter sententias libri Y-king, quarum sensum sinenses circulatores non negant tanquam falsum, sed ominosum faciunt suis male credulis. Nam ita sit ut dicunt, liber Y-king sit liber mysticus authenticus prae caeteris ac velut canonicus, versus contra Homeri ex opere fabuloso nulliusque auctoritatis desumpti. Imo demus quod nunquam evicere, traduci posse nec insulse sententias libri Y-king ad alios a Ou-ouang politicisque Sinarum principibus v. g. ad Salomonem, Ezechiam ipsumque Christum licet constat ex genere ipso operis quod affabulationem atque adeo sensum sub ficto latentem patitur versus Homeri non solum posse sed etiam fuisse variis personis accommodatos, quales arguit ridetque Hieronymus [1]) homerocentonas virgiliocentonas Maronem sine Christo facientes Christianum quia dixit:

Jam redit et virgo, redeunt Saturnia regna,
Jam nova progenies coelo demittitur alto . .
Talia perstabat memorans fixusque manebat.

Sed puerilia sunt haec et circulatorum ludo similia. Ex his tamen nihil veri concludere possent, quid enim? an dicturi sunt (ut Canonica etiam nostra afferam) sententias e sacris libris bono maloque omini olim acceptas obvium propriumque sensum illo abusu non retinuisse. Quis nescit Chramno Lotharii filio, excidium annuntiasse [2]) Clericos Divionenses e libris Prophetarum, Apostolorum et Evangelistarum velut fortuito apertis. Laetam contra victoriam a superis adpromitti sibique cani existimasse Ludovaeum ipsis

1) In prolog. Galeato ad Paulinum.
2) Gregor. Tur. l. 4.

verbis sacris, quae in missa prima cantata fuerunt sub horam suae contra Alaricum profectionis. In his siquidem similibusque sacrorum auctorum sensus dicendum est non mutari sed ad res praesentes accommodari, non falsos haberi sed ominosos. Quae duo si distinxissent qui contra Sinas ea sumunt ad concludendum, quorum nihil iis conceditur, nunquam usi essent exemplo circulatorum aliquot Sinarum dictis principum Ouen-ouang et Tcheou-kong, quorum mentem venerantur ad ominandum solum abutentium.

Sed ut redeat jam unde aberravit oratio. Inter praegnostica secundi generis sunt quae in libris Sinicis recensentur, ingens sterilitas, fames, eluviones insolitaeque id genus miseriae quae pariunt vulgo rebelliones et saepe imperii mutationem, ut liquet ex gentis annalibus. Haec praegnostica non contemnenda docent Ouen-ouang et Tcheou-kong, suos tunc temporis exhortantes ad cautionem intentiorem vigilantiamque, et ad majorem erga afflictos populos benignitatem. Imo haec infortunia velut Chang-ti supremi imperatoris monita ad emendationem accipienda docent, inculcatque principibus suoque fratri ipse Tcheou-kong in authentico tibro Chou-king adducens luctuosum exemplum ultimi regiae familiae Hia imperatoris, nomine Kie. „Audivi priscorum effatum quod sic habet: supremus coeli imperator dum dirigit homines placide et quiete, non facit hoc per receptionem alicujus corporeae vocis, sed cor recipit quietam illarum placidamque directionem adeoque ferventer et sine directione operatur. Atque haec supremi coeli imperatoris directio cum sit coelitus et aequaliter omnibus indita, quo pacto Kie ab ea excipi poterat. Sed enim Kie oppresserat naturalem illam cordis bonitatem, neque ipsemet per se voluit sequi tacitamque coelestis

imperatoris directionem. Nihilominus supremus imperator serio vereque illum dirigebat, sed Kie pertinax erat in illa subterfugienda aut etiam respuenda; nec tamen supremus imperator adhuc illum rejiciebat omnino, sed in illum respiciens calamitates immittebat, prodigia, ostentaque, ut suum illi manifestaret sensum et voluntatem, sic quidem ut fragore quodam ac velut tonitru percelleret Kie. Sed is non noverat pertimescere. Ast abutens salubribus supremi imperatoris monitis gratiisque in pejora ruit . . . tandem coelum illum contempsit, poenisque justis illum punivit totumque tantae familiae imperium delevit." Ita Tcheou-kong, non aliter loquens in Chou-king quam in Chi-king et Y-king juxta notas interpretum expositus aut potius ad sensum versus.

Ad mentem principis Tcheou-kong qui subsecuti sunt imperii administri summique magistratus in insolitis naturae mutationibus ac calamitatibus suos libellos imperatori supplices composuerunt. „Coelum (ait Yang-tse) singulari beneficio per tot funesta nos admonet nobis etiam atque etiam cavendum causam horum malorum quibus jam urgemur. Nihil opus est altius inquirere . . . in nostro Chou-king edicitur Imperatorem quando similia eveniunt debere novam curam impendere in renovando imperio accessione aliqua virtutum, magistratibus accuratius expendendum esse quid a se, quid a suis peccetur, ut illud emendent; populos oportere magis sibi attendere fierique observantiores."

„Insolitas has (ait Tsao-yen) in natura mutationes esse praenuntias mutationum imperii accipimus; nunc coelum familiae imperialis amans tot calamitates emittit editque signa ut eam officii admoneat atque resipiscentiae, instaurandis virtutis pristinae studiis, sedandis

populorum ad defectionem inclinantium animis seligendis ad publica munia viris aequis, quod magistratus sint velut manus pedesque imperii.“

Infinitus sim, si his, quae ante mille annos imperatori publicis libellis dicebantur, velim addere a posteris dicta ad nostram usque aetatem similia monita in calamitatibus motibusque insolitis. Nam mos etiam nunc viget, imo officii est censorum imperii scripto publico admonere in his rerum temporumque articulis proposita imperii emendatione, quod jam observatum et Cap. 9 parte II. potestque recte defendi consuetudine aliqua veterum Christianorum cujus Tertullianus jure meminit ad Scapulam, ubi post satis longam de his dissertationem ita concludit. „Omnia haec signa sunt imminentis irae Dei, quam necesse est ut, quoquo modo possumus, annuntiemus et praedicamus vobis.“ Inde forte tot praedictiones metusque excidii supremi, adventus Antichristi, ultimi judicii nunc ad fidelium conturbationem nunc ad conversionem vagantes, in magna scilicet temporum varietate quod notum est et pluribus prosequi non est e re nostra.

Quid igitur (inquiunt) Sinasne facis puros inanis rerum futurarum praesensionis ac superstitionis hujus labe, quae nostra olim regna infecit? minime vero. Quo enim attentius quae in libris Sinicis variae aetatis et auctoritatis leguntur cum nostris aliorumque populorum traditionibus confero, eo magis assentior dicto Tullii, nullam esse gentem neque tam humanam atque doctam, neque tam immitem tamque barbaram, quae non significari futura saltem quaedam praedicique posse censeat. Qua notatione probari, meo quidem judicio, potest nullam quoque esse gentem sic immanitate efferatam, ut apud eos nulla sit suspicio divinitatis. Apud eos siquidem, licet forte cultus certus

publiceque constitutus nullus videatur, qualem ego nullum potui observare in terris eorum Tartarorum, a pellibus piscium quas induunt Yu-pi-ta-sse dictorum, attamen plerumque palam est aliquod divinatorum genus, ad quod in incertis ac periculosis vitae humanae casibus confugiunt. Yu-pi-ta-sse, exempli causa, habent suos Lamas, non ita dissimiles iis quos relationes Canadenses vocant Jongleurs, nam quamvis inter scientiam divinitatis et divinationem sit et ab argutis naturae notionumque cuique insitarum speculatoribus notari possit non leve discrimen; communis tamen apud rudiores sensus est istaec duo reciprocari. Unde ut ex divinatione ad divinitatem concluditur, illatio admittenda ac illis est illorumque ab animi sensibus minime aliena. Etsi autem Sinarum illa antiquitas inanibus his artibus contaminata quoque fuerit, eas tamen semper habuit ut minime certas, ut intutas, periculosas, perniciosas, ut falsas, populari opinioni magis quam sapientium sententiae accommodatas, quas legislatores gentis ab ipsa rejici semper voluerint, prorsus ut longo licet conatu ad infimam plebis faecem ferme tandem reciderit. Quod nostra hac aetate videmus, qua conjectores similesque (ut utar verbis Tullii de suo tempore loquentis) ex levissimo et indoctissimo genere constant, nihil ut possit esse contemptius. Quis enim magistratus aut vir illustris videri vult uti sortibus aut fatidicis? Imo contra est lex diu sancita, nec impune semper fuisse eam violantibus antiquis novisque compertum est exemplis; haud dubio ob periculosa malaque quae inde in rempublicam (sicut ipsi dicunt) aliquorum audacia mendaciisque existere facile possunt, sicut sub aliquibus Dynastiis extiterunt. Horum omnium meminere historiae quae tamen omittimus ne longius digrediamur.

Nec solum uti periculosas fallacesque artes has insectatur Confucius [1]), sed uti inutiles, dum docet „sapienti nihil opus esse auguriis et praegnosticis ad praedicendum imperii perturbationem aut immutationem, sed cum perspicacia animi sit summa rerumque usu doctior evenit scilicet ut ex improborum artibus caeterorumque animorum dispositione quid imperio impendeat dicere minarique longe antea audeat."

Confucio praeiverant sapientissimi antiquorum principum gentisque magistrorum quorum extant adhuc aliquae orationes hunc in sensum. Legislator Chun quam nihili faceret sortes quarum auctoritate usuque rudis adhuc primis illis temporibus populus afficiebatur, aperte declarat in delectu successoris Yu imperii detrectandi causas quaerentis in neglectis etiam sortibus. [2]) „Quotiescunque nobis offertur dubia res et explicatu difficilis, sortes utique consulimus: verum tamen priusquam illae consulantur ego rem, quae in deliberationem venit animo verso, expendoque quae commoda incommodaque et quae majora, quae minora. Sapientum praeterea sententias exquiro audioque, post quae statuo mecum ipse quid facto sit opus. Exinde magnam testudinem adhiberi jubeo ad sortes: nunc itaque ego prius hoc constitui et decrevi ut in imperii cura tu Yu mihi succedas, neque est quisquam omnium quos consului, qui non approbet meam hanc sententiam, et ex eo quod fama eam vulgaverit quanti plausus populique quanta studia existant, ipse vides. Favent procul dubio et ipsi spiritus nostrae sententiae. Ecquod enim aliud ipsorum votum sit quam votum multitudinis totius cui bene volunt. Quod si ita est,

1) Tchong-Yong.
2) Chou-king.

non aliud credamus, a sortibus nostris significandum quam id ipsum quod a nobis decretum est. Ergo supervacaneum profecto sit illas denuo consulere quando de re jam constat.“ Atque haec legislator ad Yu fundatorem primae familiae Hia, qui et ipse jussit suos de negotiis prius secum et cum suis deliberare, quam morem popularem sequerentur utendi ad futuri praesensionem testudine. Neque enim putavit omnes agrestes vanasque consuetudines praedecessorum exemplo populis illis statim abscindi posse aut debere, sed relinquendum opinionibus vulgique praejudiciis tempus quo consenescant. In Chou-king [1]) inter monita principis Hi-tse, e secunda familia, quae pertinet ad bonam gubernationem imperatoris Ou-ouang tertiae familiae Tcheou conditoris „id ratum fixumque bonoque imperii esse edicitur, in magnis dubiisque negotiis, in quod imperatoris secum consultatio, consilia magistratuum populi studia sortesque consentiunt.“ Sortes autem non solum subsequi decreta sapientum (ut ibidem dicitur) debent, sed a viro selecto nec uno tractari ac significari. Ita ut satis appareat mens imperatori ejusque consiliariis quae tunc fuerit, dum res statuta per unum alterumque suorum conjecturis e testudine accipiendis permittebatur. Eadem fuit forte sapientissimis Romanorum.

Ex dictis perspicuum fit Sinas illos imperatores gentisque priores magistros nequaquam sic usos fuisse auguriis aut sortibus ut ad res suscipiendas perficiendasque illis tanquam causis regulisque moverentur. Quod si ad defendendos aliqua excusatione veterum illorum mores admittendum non est, quibus probris maculati non censendi erunt majores nostri qui sortes

1) Chou-king l. IV. c. Hong-fan.

fortuitosque casus aut permittebant aut captabant non solum in electione magistratus saecularis sed etiam episcopi? quid enim fortuitum magis casuique obnoxium quam ex primis qui in Missa cantabantur versiculis populum in electionem conspirare, assentiri, acclamare? malim itaque illis viris tota tunc Europa celeberrimis defensioni locum dare, ita ut electionem suam et constitutionem consultorum sapientiae votisque debuerint, plausus vero et vulgi admirationem sorti seu fortuitae conformitati inter factum et subsequentem cantum. Quamquam si haec valet, valet et Sinarum causa.

Quaerendum superest quotuplex fuerit apud illos augurii aut sortitionis genus? at id, opinor, vix satis sciri potest; ut enim est ubique gentium vulgus pronum ad vana et superstitiosa, tantum non incredibile est, gentem hanc ante Fo-hi, Yao et Chun agrestem, quod in Li-ki, sat multis probatur, non varia ad divinationem adhibuisse.

Verum si stamus solis libris authenticis opusculisque Confucii minime dubiis mentio duntaxat fit testudinis et herbae nomine Chi, caeteras (ajunt) omnes et proceritate trunci et diuturnitate vigoris superantis. An vero quod hae ita vivaces dicantur ut ad mille usque annos durare possint, inde factum sit ut in usum augurii venerint, incertum omnino est. Neque enim de re convenit inter interpretes, nec aliunde satis probabile quidquam affertur. Inanes siquidem sunt nonnnlli inter physiologos Sinas qui ex longinquitate aetatis aut etiam quod levius est ex figurae similitudine conjicere posse putant utrique inesse quandam cum coelo conjunctionem vimque arcanam qua mutationum vices sentiant. Quod quidem daremus si

ageretur de praedicendo, nec longe ante, aliquo naturali v. g. imbre, tempestate, quando revolant ex aequore mergi etc.

At quaecunque proferant exempla ut distantium rerum appareat naturalis cognatio, id totum nihil ad rem facit, absurdumque est de causis physicis et de moralibus idem philosophari. Quid autem morale magis quam negotium quodvis civile quodcunque, quam electio designati principis Yn in successorem?

Magis probabile est quod narrant de modo utendi herba Chi. Statuebatur supra dorsum testudinis quae quo major est, eo melior. Admoto herbae igne multa a conjectore observari solebant, lucis fulgor, colores dorsi, motus animalis et forte quies aliaque quorum significationes ne quidem tradidere posteris veteres. Quid enim non observat superstitio? Romae non solum alitum tripudium sed etiam silentium auspicia dabat, ita ut teste Tullio esset perfecti auguris silentium intelligere. Si vero nulla habita ratione auctoritatis nulloque sectarum habito discrimine libros consulimus, non dubium quin multa reperire sit diversa vana, superstitiosa, mala. Est siquidem infinitus prope librorum numerus et ingens scribendi licentia, at his dimissis quae litterati rejiciunt damnantque acribus sane verbis unum superest opusculum de quo a nonnullis controversia moveri potest, propterea quod in multis editionibus hodiernis tomo primo textibus libri Y-king ipsique dicendorum indici praefixum appareat. Dicitur Chi-y, ratio sortiendi, seu de divinatione. Non esse opus Confucii nec Principum Ouen-ouang, Ououang, Tcheou-kong, vel ex eo evincitur, quod nulla hactenus aetate tanto nomine impressum sit, nec in ullo antiquo recentiorumque commentario tantis viris tribuatur. Imo nec illud quidem habet collectio

omnium antiquissima librorum authenticorum, sub regia familia Tang edita, licet alia opuscula et quaedam capita in eam irrepserint, aliorum doctorum judicio non ita certa, diversaeque auctoritatis. Omissum est etiam in novissima editione libri Y-king, typis regiis, adjecta imperatoris in interpretum dissidiis locisque dubiis plerumque sententia; nec sane immerito. Nam praeterquam quod textus habet inania quaedam, quae nihil ad rem propositam conferunt, suntque tantum ad faciendum fucum, qualia sunt Bonziorum figmenta imprimis e Tao-kia, ut suas artes veraque etiam remedia obtegant ad majorem rudiorum admirationem majusque ex pretio lucrum; Bonzaica tota est quae refertur „admonitio spiritus," ipso textu verbis sectae propriis ac velut peregrinis intermixto.

Quamvis autem his omnibus demonstretur opus Chi-y esse apocryphum nulliusque in schola Confuciana quae littoratorum est auctoritatis, quod tamen alterum ab antiquo herba Chi utendi modum docet, quem perinde ac si magicus esset ita horrendum vulgavit in Europa non nemo, eum paucis exponam ad sensum litteratorum, rejectis (quod illi faciunt) inutilibus seu potius Bonziorum praestigiis detectisque indumentis.

Apparebit profecto nihil esse nisi certe simile ludis nostris arithmeticis quos habet arithmetica calculatoria et divinatoria ex clarissimo Bachet aliisque collecta a Patre Dechales v. g. propositis tribus rebus et tribus hominibus divinare quam quilibet acceperit, datis 15 Christianis et 15 Turcis divinare, quis ad exonerationem naviculae projiciendus est, sorte in novenarium incidente, dispositis tamen prius in orbem omnibus ad arbitrium devinantis. Ars autem ita habet: 1) Assumuntur quinquaginta virgulae ex herba Chi, sed

tantum quadraginta novem adhibeantur ad sortientis arbitrium in duos fasciculos quorum alter dexterae, alter sinistrae manui subjaceat. 2) Subducatur ex fasciculo dextero una virgula digitis sinistrae interserendo, quae relinquuntur, numerentur quatuor et quatuor, quaeque post numerationem supersunt, ad sinistrae digitos transeant. 3) Quaternatim etiam assumantur virgulae ad sinistram positae et quae residuae sunt digitis inserantur. Actum est, artem totam jam tenes; repetatur licet ad quosvis numeros habendos, eadem est; numeri autem qui obtingunt sua nomina habent ex Y-king petita. Itaque alii vocantur Yn, alii vocantur Yang, sicut dictum est parte I. Cap. 2 et dissert. II. de lineis Yn et Yang. Si summa virgularum quae e fasciculo dexterae subjecto superfuerunt, det tibi 5, pone esse Yang; si det 9, pone esse Yn. His subtractis repetatur regula, reliquis virgulis in fascem iterum collectis. Si obtingit 4 supponat pro Yang; unde fit ut adjunctus jam invento 5, 5 et 4 exhibeant ——— + ——— seu ——— imaginem primam. At si obtingit 8. supponat pro Yn atque 5 et 8 perinde erunt ac ——— + — —, seu — — imaginem secundam. Pari ratione conjungendo 9 primo inventum numeris qui obtingunt 4 et 8, habes duas conjugationes similes reliquis duabus imaginibus, ita ut 9 et 4 sit — — + ———, 9 et 8 sit — — + — — seu — —.

Atque hic insistendum est, si tantum quaeruntur quatuor numerorum combinationes simplices, primis utriusque lineae Yn combinationes similes. Verum qui haec tractant, solent progredi ad tertiam sortitionem qua habentur combinationes octo, tribus e numeris constantes, quae referunt trilineares figuras

quas illi vocant Pa-koua, nos octo symbola. Detur ergo 4, addatur numeris prima et secunda operatione repertis, nempe 3 et 4, manifestum est tres 5, 5, 4. Yang aequiparari ad 3 lineas ——— quae sunt etiam Yang parte I. constituuntque Kien symbolum primum. Caeteris idem dictum puta. Res per se loquitur, prorsus ut nihil opus sit spiritus ullius auxilio, quo se velut indigere stolide simulant Bonzii, sed ingenii mathematici aliquantula peritia, qua certe carebat quisquis in versandis illis virgulis numerisque, magiam horrendamque aliquid latere suspicatus est.

Ad quod demonstrandum satis sit annotare, quod per se evidens est, eosdem numeros haberi libri Y-king figuris seu linearum combinationibus similes, sive virgulae sint vel non sint ex herba Chi, sive assumatur numero 50 minor, 48, 38 qui detracto uno fient 47, 37 sicut 50 praecipitur fieri 49 ad ludum hunc divinatoriam. Supererunt enim in prima sortitione 3, 2, 1 etc. unde caetera ut prius sequentur. Herba itaque Chi dicta non adhibetur nisi ad majorem artis auctoritatem, ne videatur inferior antiquae divinationi ex herba Chi simul cum testudine. Numerus vero prae caeteris ad usum electus est 50. Deinde distinguendus in nomina Yn et Yang quod sit numerus globulorum nigrorum et alborum Yn et Yang in triplici habitu mappae antiquae a Fo-hi, usurpatae; nam inde etiam major accedit fides vulgique veneratio.

Verum etsi uti numero 50 integro vel imminuto 49, virgulisque herbae Chi est quid arbitrarium, at in usu ars certa est; eo pertinens ut numeri qui in partiendo obtinguntur praescriptis ex regulis referant imagines symbolaque linearum libri Y-king seu potius numeros quos parte prima diximus factos illis

figuris proprios, illi siquidem velut tanti valere ponuntur. Imaginum autem numeri Siang-tchi-chou sunt ibidem reperti 24, 28, 32, 36 reperiendi iidem, itaque hac virgularum arte proponuntur; nec id difficile est. Simul accipiantur numeri in qualibet tractatione virgularum tum earum quas dat sortitio, tum earum quas relinquit, illarum numeri necessario existunt vel 13 ex 5, 4, 4 referens ═══ Kien, vel 17 ex 5, 4, 8, item ex 9, 4, 4 vel 21 ex 5, 8, 8, item ex 9, 4, 8 ═══ ═ ═ vel ═ ═, ═ ═, ═ ═ ex 5, 8, 4 ex 8, 8, 5 ═ ═, vel 25 ex 9, 8, 8 ═ ═, ergo 13, 17, 21, 25 sunt summae.

Jam vero virgularum quae relinquuntur numeri extant semper vel 36 vel 32 vel 28, vel 24. Si autem ex numero 49 tollis 13 aut 17 aut 21 aut 23 supersunt 36, 32, 28, 24 habes igitur quod proponebatur inveniendum.

Atque haec sufficiant. Quae ne quidem attigissem nisi in lucem Europae producta auditum hic esset, haec ut alia non pauca (quae nullius sunt apud litteratos Sinas auctoritatis opuscula jacentque inter apocryphorum quisquilias) opera reprehensiorum scholae sinicae, an magno illorum peritiae argumento aliorum esto judicium.

ADNOTATIONES.

1) Inter reprehensores illos fuit adversariorum causae sinicae dux qui praeterquam quod nunquam studuerat (ut aliunde constat taedioso et difficili libro) cum incidisset in ea quae vulgo nunc vulgares editiones ante veros libri textus congerunt praeferuntque, magicis artibus quem descripsi ludum adscripsit, ut videre est in epistola quadam Parisiis edita. Sed qui facias viro arithmeticae et omnis mathesis imperito et ad scribendum audaci? Si vel librum ultimum arithmeticae

Patris Dechales qui est totus de arithmetica divinatoria, aut recreationes mathematicas attigisset, saltem de sua conjectura dubitasset; ad id genus homines ne quidem dubitandi causas quaerunt.

2) Ad inde majorem admirationem faciendam forensi plebeculae quae sola ad haec attendere solet, addunt nunc et addidere Bonsii e Tao-kia quasdam formulas ad spiritum sortium. Sed certum est (licet sit in editionibus multis hodiernis) non esse in melioribus v. g. non est in editione jussu imperatoris nuper facta quam secutus sum, nec apparet in editionibus antiquis v. g. septimi saeculi, sexti, quarti, tertii secundi primique, nec sub Han-tchao (ante Christum) nam horum omnium interpretum collectionem habemus paucos aute annos editam quae constat 52 tao et plus quam 500 tomis, nullibi reperitur, quod demonstrat veritatem nostrae assertionis de additione satis recenti formulae Bonsianae.

ARTICULUS SECUNDUS.

Mutua actione principiorum firmi et debilis Yang et Yn fit generatio et corruptio.

Ad eum ferme modum quo permutatione (ait commentarius) utriusque lineae Yn et Yang producitur tabula figurarum rebus exprimendis idonearum. Tabulam omnes editiones habent; habet et latina praefatio Confucii Sinarum Philosophi editi Parisiis 1687.

ARTICULUS TERTIUS.

Quae distinguuntur vocibus Ki, boni, et Hiong, mali, pertinent ad imagines rerum naturalium quae possidentur; et quae pereunt certus per vices quae distinguuntur vocibus Hoei, poenitentiae, et Ling, pudoris, spectant ad ex quae tristitiam molestiamque afferunt.

ANNOTATIONES.

1) His vocibus Ki, Hiong, velut totidem notis (ait interpres) mutationes morales seu politicae, prout invicem sibi succedere solent in libro Y-king explicantur. Malas exhibent velut in imagine quotannis pereuntia post decrementa varia. Quae res rursus in lucem prodeunt extantque, repraesentant conversiones reipublicae in bonum. Ita illa cum aliis. Nec est quod quis arguat Sinas istos loqui de mutatione imperii fere sicut de mutatione naturae. Nam cum hic sermo sit de similitudine aliqua non possunt non transferri aliquae voces a sensu morali ad naturalem, et ut daremus usos illos esse voce hac naturali, dum de imperio locuti essent ut philosophi nostri antiqui. Id (ait Tullius) enim ipsum a Platone philosophiaque didiceram naturales esse conversiones quasdam rerum publicarum.

2) Quae sunt tristia molestaque, non dici statim possunt omnino mala seu pessima. Sunt tamen ejusmodi ut poenitentiam aut saltem pudorem afferant.

ARTICULUS QUARTUS.

Quae in eodem Y-king designantur vocibus Kang et Yeou, firmi et debilis principii, pertinentque ad rerum generationem et corruptionem, haec sua sub imagine docent esse tempus cedendi et tempus procedendi ulterius seu promotionis, (ad majora v. g. munera) quae etiam humanae vices adumbrantur dici noctisque successione physica.

Transferuntur praeterea in figuris vario modo lineae istae sex ex quibus figura quaelibet (nempe 64) constat, exhibentque summam triplicis doctrinae coeli, terrae, hominis, (ait glossa), ita ut duae primae, quae infimae pinguntur, sint propter terram, media tertia et quarta propter hominem, suprema quinta et sexta, propter coelum.

ADNOTATIONES.

1) Dictum obiter est parte I. totum doctrinae sinicae systema dividi in tria de coelo, terra et homine. Ut de coelo disserant pro principiis assumunt Yn et Yang; at eadem vocant Keng et Yeou ubi de terra philosophantur. Utraque scientia proprie physiologia est, non astronomia, non geometria, licet haec nomina Sinicis Tien-ouen, Ti-li Sinicae philosophiae aptius conveniant. Ut vero ad hominis doctrinam aggrediuntur principia etiamduo ponunt, Jin et Y pietatem et aequitatem, ex quibus morum imperiique totius compositionem volunt pendere. Triplex ergo doctrina est quod versetur circa tria in mundo spectabili praecipua. Quapropter si figura quaevis divisa intelligatur in tres velut partes erit in qualibet figura locus disserendi de coelo, homine, terra seu illorum operationibus aut proprietatibus. Si vero cuilibet figurae parti duae tribuuntur lineae, respondebunt illae duobus principiis, quae ethica de hominum officiis disserens, quae coeli scientia, quae terrae physica pari numero assumit. Hac ratione concludunt vulgo interpretes figuras, quas vocavimus emblemata, debuisse constare lineis sex, nec pluribus nec paucioribus. Pace tamen eorum dixerim, si is fuit veterum librique Y-king finis, nec principem Tcheou-kong suis sententiis nec suis Confucium commentariis perfecte hunc fuisse assecutos. Raro siquidem contingit, ut patet ex tota parte II. distingui, ad quemvis linearum binarium, quae de coelo, quae de terra, quae de homine solum juxta veterum illud consilium essent dicenda, sed plerumque simul haec explicanda veniunt. Imago ex coeli terraque operationibus propriisque dotibus ferme repetitur et ad eam mores quales esse debeant, exprimi solent.

Eodem pertinet censura imperatoris, interpretum notis adjecta. „Agitur de coelo, terra et homine, sed haec simul tractantur non facta distinctione inter primam et secundam ac inter tertiam et quartam“ etc.

Nec tamen vana omninoque falsa dicenda est observatio Confucii. Quod enim raro contingit nunquam contingere possit, si non esset locus sex sententiis, quorum duae ad duo principia tum moralis tum coelestis, tum terrae scientia referri possent.

Certior regula ex dictis parte II. deduci potest, quae valet in toto Yking; ubi observare est duas datae figurae lineas infimas debiliorem Yeou, ad imitationem principii Yn, rei statum agendique modum exprimere; nec bonum dici nisi in medio seu in lineis mediis perveniri ad summum, ad duas scilicet supremas lineas; ultra non fit

processus rei sed conversio. Ratio est: sicut mutatio naturalis fit sensim et ubi perfectae res sunt, v. g. fruges, mox incipiunt decrescere deterique; ita pervenitur ad summum bonum per gradus, unde impendet lapsus. Haec illi philosophari in commentariis solent.

ARTICULUS QUINTUS.

Sapiens non conquiescit animis in quocunque loco graduque quem affert series libri Y-king; sed gaudet contextusque explicatione omnium linearum et sententiarum.

ADNOTATIONES.

1) Exhortatio est ad studium libri Y-king, quod maxime fecisse Confucium senem diximus parte II.

2) Kong-in-ta curam etiam cujuslibet figurae inculcat ad hunc textun. „Si (ait) conquiescit in prima linea, quae gradum infimum exhibet, frustra est. Si vero in tertia quae media est, utiliter conquiescit, utpote in medio; ad itaque sciendum in quo animus imprimis figi debeat, attendi debet ad ordinem locumque quem exhibet Y-king.

ARTICULUS SEXTUS.

Sapiens quidem immorari debet in contemplandis libri Y-king imaginibus, sibi satisfaciendo explicationibus sensibusque quaesitis at dum est aliquod novendum agendumque examinandae insuper sunt mutationes negotio accessurae, conjecturaque qua animus contentus sit excutiendae. Ut a coelo auxilium adest, adest cum multiplici utilitate conjunctum.

ADNOTATIONES.

Ita intelligunt exponuntque plerique, et quidem omni ex numero selecti. Tai-chi ait: „in contemplatione figurarum explicationumque approbatione sita est doctrina. Sed doctrinae usus seu praxis pendet ex

CAPUT TERTIUM.

ARTICULUS PRIMUS.

In Y-king proponitur coeli terraeque apta invicem justaque compositio, quod coeli terraeque agendi ratio possit disserendo, conferendo cognosci.

ADNOTATIONES.

Et, ait interpres, proponi in exemplum ordinis. Vide dicta parte II. cap. 1. 2. alibique. Idem Plato (in Timaeo): ob id potissimum genuit. Deus oculos, ut regulares coeli motus intuiti .... perturbationes ad illorum temperiem redigamus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Ut attolluntur oculi ad contemplandum coeli decus, ut demittuntur in terram ad examinandas terrae operantis leges, scitur lucida ac praeclara succedere obscuris, unumquodque habere initium et finem, nempe vitam et mortem. Ex vitali scilicet halitu Ki seu spiritu res prodeunt ac velut animantur, at corrumpendae ex spiritu illo vitali (v. g. hiberno tempore) certa lege abeunte, vicissimque revalescere per auctumnum et aestatem.

Nam, addit glossa, mutationes istae quae spectantur imprimis in plantis pulchri et deformis, prodeuntis et intereuntis, vivi et mortui existunt certo a conversionibus principiorum Yn, Yang eadem lege qua coelum terraque mutantur accessu recessuque solis seu caloris frigorisque vicissitudine.

ADNOTATIONES.

1) Hoc in loco mihi ut et caeteris qui e sinico aliquid latinum fecere, Ki idem sonat ac spiritus; is intelligendus est sicut a latinis poetis philosophisque intellectus est, v. g. a Virgilio de Boreali vento in Aeneide:

Boreae spiritus alto
Insonat;

a Tullio, Seneca, innumerisque, sicut passim intelligitur a Graecis antiquis πνευμα, imo juxta nostros interpretes ab Hebraeis ruach ventum et spiritum significans. Habent quidem Sinae illam vocem Chin, qua ad animum, veros angelos geniosque idololatrarum nominandos utuntur. Sed ea etiam forte est translata ut vox latina et graeca Spiritus, ab eo quod eximium est, sive (aiunt recentiores physicae sub familia Song auctores) in materia tenuissima Ki velut efflorescit, sive quod in subtilissimo motu magis arcanum fugiensque est. Qualis v. g. est motus productionis plantarum et rerum omnium crescentium, qui est prae caeteris insensibilis, ut notatur a philosophis Sinis in libro Sing-li non semel.

2) Ut ut sit de eorum usu philosophico hac tamen voce utuntur Christiani Sinae dum loquuntur de Deo, de spiritu sancto, de angelis, de anima hominis. Quid enim facerent? cum nulla occurrat melior et (si ita loqui fas est) defoecatior, quae ipso Christianorum usu religioni velut consecrari meruerit. Si quis in hoc reprehendit Sinas, id primum probet necesse est, Graecos Latinosque, non dicam populos, sed philosophos aut omnes aut plerosque nihil materialis nomine spiritus similibusque intellexisse, licet Divinitas ipsa a nominatissimis eorum corporibus coelestibus, elementis, mundo, naturae invisae, materiae tributa in eorum libris legatur. Idea seu notio perfecti Spiritus nunc quidem communis est, sed beneficio doctrinae Christianae. Contra nihil probant qui appellant Plotinum, Porphyrium, similes Platonicos quorum temporibus dogmata nostra erant publica, ad quae suas notiones correxisse jure censendi sunt ab omnibus criticis.

ARTICULUS TERTIUS.

Sapiens seu vir excellens perfectusque convenit similitudine cum coelo et terra; ut haec non errant, ita

hominis. Ita et Sinae, quandoquidem (aiunt) res illa existit et illius Li ratio, existit.

At saepe etiam verbo di utuntur pro ratione rerum causali. Quandoquidem haec terra producit, est ergo Li, ratio horum. Nisi quis haec distinguat sinicae doctrinae expositor, non minus hallucinabitur, quam quam si nomen naturae, rationis, causae non dividat in sua genera explicans Graecos Latinosque antiquos, in quorum textibus occurrunt illae similes voces, sed semper eodem prorsus modo intelligi velit; atque ita sensim incidet in errorem illorum Epicureorum qui cum solam causam materialem causae nomine agnoscerent, nihil ordine, nihil ratione factum esse volebant. Contra Sinae veteres et Confucius a remotissima antiquitate docuerunt, ut in hoc opusculo, esse in natura ordinem certum, esse rationem, ad cujus etiam imitationem ordinari et regi voluere imperium. Natura ergo, ex eorum sensu, est vis quaedam, sed vis particeps rationis et ordinis tanquam via progrediens. Quae est sententia Stoicorum apud Tullium: declarat autem natura haec quid cujusque rei causa efficiat quid sequatur; quod, ut ait hic noster textus, tribuat constanter unicuique rei proprias perfectiones.

ARTICULUS TERTIUS.

Charitas quae foras prodit, dicitur vere charitas. Sapientia quae spectata est, dicitur vere sapientia. Populus vero, licet quotidie utatur sapientum (legislatorum, magistratuum) praeceptis, non fit sapiens. Paucorum ideo est sapientia.

ADNOTATIO.

Populus (ait interpres) est similis illi hominum generi, quod optimis vescitur cibis, nec tamen saporum fit sciens.

ARTICULUS QUARTUS.

Charitas, quae prodit, fit velut multiplex, nec quae latet est sine usu.

„Ab illa interiore (ait Tchou-tse) ut a radice arboris foliorum florum fructuumque radice prodeunt tandem aliquando in lucem charitates seu benignitatis officia.“ Non convenit perfecte cum affectionibus sapientis illa omnium rerum parens vis coeli et terrae seu Yn, Yang, nam (ait Tching-tse) coelum et terra non voluntate sed natura productioni operantur. At sapiens voluntatem habet faciendi id ipsum quod facit.

ARTICULUS QUINTUS.

Virtus illa pertinet copia sua ad omnia, est ut lux quotidie recens micans.

ADNOTATIONES.

1) Qui aliter locum hunc interpretantur, non tam de obvio verborum sensu disputant, quam de doctrinae genere. Ouang-chi haec transfert ad physiologiam, nempe ad copiam opesque naturae, quae non exhauritur, semper velut nova est ut sol exoriens.

2) Aliis magis placet moralis interpretatio, ita ut non virtus seu vis physica intelligenda sit rerum efficax, sed quae est in moribus quotidie (ut ait Confucius) renovandis, nempe a charitate aut sapientia de qua articulo quarto. Leve est quod objicit non nemo, arguens Sinas saepe rerum materialium voces adhibere ad moralia, nam sensus illorum ex contextu patet, quod satis est. Quid ergo faciet sacro scriptori? „omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia. . . sapor est virtutis Dei . . . attingit ubique . . . est speciosior sole. Sapient. Cap. 7. alibique.

ARTICULUS SEXTUS.

Productionum successiones sunt ipsae mutationes Y-king seu in Y-king lineis Yn, Yang ordine permutatis figurasque producentibus expressae. Ita interpretes uno consensu.

Vis qua eduntur rerum prima specimina seu initia dicitur Kien, seu est coelestis materiae Yang; vis qua res spectabiles forma fiunt dicitur Koen, seu terrestris materiae Yn.

ADNOTATIONES.

Motum siquidem spiritibus subtilibus (ait interpres) dare, est edere prima specimina rerum seu initia facere, figuram sensibilem rebus dare, ac velut regere, est formam componere spectandam. Ita Doctor celeberrimus.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Omnibus numeratis expensisque scitur quid in agendis evenire possit, idque dicitur praevidere; penetrare ita in eas mutationes est quod dicitur penetrare in negotia.

ADNOTATIONES.

1) Omnes negotii faciendi rationes examinare est etiam Sinis Souen et Souen-ki, numerare, computare, metaphora a nostris scriptoribus trita, convenitque sapienti quem informat Confucius, longe ante praevidere et nisi (ut loquitur Tullius) rationibus subductis rebusque circumspectis ad negotium aggredi.

2) Praevisio (inquit interpres) pertinet ad negotia, quando non sunt decisa et constituta, at quando illa coepta sunt non provisione sed cura, opus est.

3) Sunt qui haec referant ad Physicam. Sed huc frustra et nisi violenter eam trahi posse arbitror. Agitur enim clare de negotiis

quorum experientia provisionem parit, non tamen similem scientiae mutationum temporis, quam notatio diuturna affert, etiamsi neutra sit certa. In hoc si quis eas componi posse putat nihil incommodi est.

ARTICULUS OCTAVUS.

Quod non cadit sub mensuram modumque principiorum Yn, Yang, dicitur Chin, spiritus.

Convenit inter interpretes de sensu obvio hujus textus, at de sensu dogmatico controversia est, cum diversae tum in religione tum in philosophia sectae applicare ad suas partes veterum verba studeant. Qui enim spiritus sive sine corpore sive in corpore existere profitentur, sicut Christiani, Judaei, Mahometani, Idololatrae, suntque adeo populi pars longe maxima, ita hunc textum accipiunt, ut negent quod solum materia vel tenuissima constat, proprie dici Chin, spiritum, in quo certe conveniunt cum litteratis antiquae suorum doctrinae tenacibus, quae scilicet liquet non solum ex librorum authenticorum sententiis sed et externis ritibus oblationum sacrificiisque erga Chin spiritus diversis quidem, summa tamen semper (ut percipitur) animi sinceritate, vitae integritate corporisque prostrationibus ab imperatore ipso quovisque principe usurpandis. Eadem certe praecepta habent commentarii haec in loca de cultu et de civili ac morali imperii disciplina, quacunque ex litteratorum secta prodierint, etiam eorum qui sub Song familia regia scripserunt. At in illis famosis philosophiae Sing-li-ta-tsouen pandectis, ea ipsa ad Physicam trahunt, ideo atheismi a multis missionariis suspecti. Explicare siquidem conantur physice effecta vi sacrificiorum quae interdum mira narrantur suntque prae caeteris apta

ad Deum et Divinam providentiam adstruendam, refugere ergo videntur supra naturam in divinae potentiae mentionem, esseque similes illis philosophis antiquis, qui apud Tullium Stoïcis exprobrant: omnium talium rerum reddenda est ratio; quod cum vos facere non potestis, tanquam in aram confugitis ad Deum.

Ut ergo illi ad explicationes ex quibus ingenii famam captant aggrediuntur, id assumunt quod in materia tenuissimum eximiumque est, sicut et in motu maxime insensibili aut insolito, dici posse Chin spiritum. Quod (ait Tchou-hi, alter hujus sectae princeps) ita sit, ne animo quidem velut mensurari seu clare comprehendi non possit. Ex eadem schola Kiou-fou-koue ait: supra dictum juxta textum alium Chin-fou-fang quod caret quantitate, dicitur spiritus. Quod autem quantum non est, non cadit sub mensuram, uti jam docet iste textus. Leang-chi sub Ming quandoquidem ante (ait) quod non est quantum est spiritus, sequitur quod nunc dicitur spiritum non esse quid mensurabile . . . nec est certe Yn, Yang, eorumque fit ratio, quam nulla mensura, (dicitur in Tchin-y, scholae Tang-tchao scriptorum), metitur, dicitur hoc in loco spiritus Chin. Alios omnium aetatum his similes omitto, quod jam satis sit approbationum in re certa, nempe sensum vocis Chin hujusque textus obvium ab omnibus admitti etiam scholae Song philosophis.

Concludamus itaque Chin spiritum proprie apud Sinas esse dicique, quod non cadit sub mensuram, quod caret quantitate quod non est materia, Yn, Yang. Nam ista loca prout sonant, ita perspicua sunt, ut aliter de sectis philosophisque definiri non possint. Unde liquet eas voces solum translatitie fuisse a succedentibus physiologis usurpatas ad id quod

eximium est in materia aut in motu, sicut a nostris aliqua praestantia dicta sunt divina, angelica.

Hoc addam, (quod jam artic. 2 notavi) etiamsi vox Chin esset forte translata ad usum scholae communem a philosophia de materia subtili motuque insensibili, liceret tamen Christianis ea uti ad doctrinam de veris spiritibus exponendam. Id enim et rationes adductae et exempla primorum Christianorum ita probant, ut nihil afferri contra possit quod aut apud Sinas sit verum aut recte conclusum. Potiori ergo jure uti possumus ea voce, cujus origo pura propriaque significatio ex libris authenticis Confuciique merito defendi potest, Quid autem boni sit voluisse haec arma eripere Christianis necdum satis intelligitur a multis.

CAPUT QUINTUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Quae in Y-king supponuntur, late patent amplaque sunt; alia longe excurrunt, nec tamen unquam excessura ad finem et inordinationem; alia prope sunt, quae ad rectitudinem perfectionemque componenda. Nihil autem non continetur coeli (quod longe est) terraeque hujusce communicatione.

ADNOTATIONES.

Hic subintelligenda est similitudo a coelo terraque, licet tanto spatio invicem divelli videantur, communicant inter se servantque in agendo aliquam convenientiam, suis tamen a legibus non aberrantes. „Haec dicuntur (ait imperator in censura interpretum) de his quae generantur in medio coeli et terrae. Nihil fit nisi ex lege et ratione (Li) naturae ordinique conveniente; haec dicuntur longe excurrere. Praeterea unusquisque habet in se naturam quae est mandatum ac velut vox coeli ad hominem immissa. Inde est quod dicitur prope esse alia. Regula illa est in manibus, nempe (ait Confucius) virtus. Nihil opus est procul ire ut invenias virtutis palaestram; est suus cuique animus sedatis motibus in recto continendus. Est propria cujusque persona ad omne decus componenda.“ Cur vero? ut, (addunt iidem Confuciani dicti expositores), quod sua compositione rposint aliis imprimis inferioribus. Quod enim sit (in eadem censura) communicatio superiorum cum inferioribus dicitur in textu coelo terraque contineri nec excedere. Ita servatur convenientia, nec aberratur ab ordine. Quemadmodum itaque in coeli terraeque operationibus nec fortuna nec temeritas, nec erratio; ita hominis virtutem excolentis aut sapientis agendi ratio consilio regulaque constanti regi debet.

ARTICULUS SECUNDUS.

Kien coeli materia aut secundum glossam, substantia est quieta, ut spontis velut suae est. Motum tamen habet ad dirigendum, ut fiat summum seu universale primumque producens, Koen, materia terrae quieta ut compacta crassaque movetur ut se aperiat fiatque productiva ampliter seu multiplicis generis specieique rerum.

Ita Tchou-tse, Tching-tse ex schola Song-tchao et ante multa saecula celeberrimus interpres Kong-in-ta cum suis sub Tang-tchao in collectione Chi-san-king.

Ex his clare infertur Confucium inde supponere quod a nostris melibribus philosophis assumitur, materiam, etiam eam, quae maxime tenuis fingitur, esse recteque concipi posse ac debere ad motum (ut aiunt) indifferentem, multo magis ad motum vel circularem vel rectum. Licet quod sit reipsa divisa in tot rerum species quas constituit, suos habeat constanter speciales motus unicuique proprios v. g. aquae, igni. Id observare debuissent qui objecere aliqua loca, in quibus dicitur, naturalem insitumque esse motum v. g. principio Yang-kien, seu materiae subtili coeli. Nulla est ergo inter haec pugna, sed rei ejusdem diverso in statu non eadem acceptio. At (inquiet) inter recentiores istos ex Song-tchao sunt, qui materiam motumque illius aeternum adstruant. Sit omnino ut dicunt (quod hic non expendo), id certe non dicit Confucius, nec illi inde possunt convinci non agnoscere indifferentiam materiae ad motum ratione naturae suae, ante omnem divisionem ac motionem externam spectatae, sed solum supponere motum semper expansionis v. g. et contractionis habuisse ad res producendas et corrumpendas idoneum: unde nullatenus inferri potest ab eis

negari primi alicujus motoris necessitatem, ut loquitur Aristoteles, quem nullus, opinor, hactenus inter atheos innumeravit. Hunc ideo appello quod mundum licet aeternum ipse doceat, nihilominus necessario existere aliquem primum motorem toto libro octavo physicae, et in metaphysica iisdem probet rationibus, quibus Sanctus Thomas parte I. Summae aliique etiam nunc utuntur. Non ergo nisi male contra istos Sinas philosophos concluditur ex hoc capite. Illorum certe princeps Tcheou-tse in hujus libri locum postea referendum, ubi agitur de mundi hujus productione ac dispositione, ita concludit: quis ergo haec prodouxit? quis disposuit perfecitque? certe necesse est existere aliquem qui fecit qui est Ti Imperator Supremus, nempe coeli Dominus et Rector.

ARTICULUS TERTIUS.

Doctrina libri Y-king mutationum quas exponit amplitudine coelum terramque complectitur. Mutationum continuitate cum quatuor anni tempestatum constante serie componitur.

Principiorum Yn-Yang aequa operandi ratione solis lunaeque motus aequabilitatem adaequat. Illud comprehensum habet bonum quo omnes virtutes continentur.

ADNOTATIONES.

Iterum vides rerum naturalium sub imaginibus gradum fieri ad virtutum species et praecepta moralia, atque ita faciendum ab Y-King interprete, quod observatum tota parte est secunda.

CAPUT SEXTUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Confucius ait: doctrina Y-king ut ad summum progreditur illius auctores fuere viri excellentes excolenda virtute omnibus negotiis pari. Alta fuit eorum intelligendi vis, officiorum ratio ad omne demissa, clara illa perspicacia eorum imitatur coelum. Submissio vero est ad exemplum terrae.

ADNOTATIONES.

Una est omnium interpretum sententia, hic institui comparationem inter vim animi eximii in omnem doctrinam, tum speculativam tum practicam, penetrantis, quae sapientis aut exellentis Ching propria est, et inter vim solis cujus luci nihil inaccessum est, ut et calori, quo beneficio se coelo praebens tellus operatur. Atque haec ut clarius percipiantur, glossa addit, adduntque caeteri interpretes has voces Sinicas You-tien, You-ti ipsi textui, licet ipse aperte similitudinem loquatur, adeoque sicut coelum, sicut terra.

Dubitatio est circa haec „Confucius ait“ hanc ad examen revocamus dissertatione sequenti.

DISSERTATIO TERTIA.

De auctoritate appendicum ad Y-king.

Confuciine opus est? Haec appendix Hi-tse in qua Confucius tanquam ab alio allegatur. Hanc rationem dubitandi affert huc glossa ista, Chi-y dicta: opuscula Confucii, quonam pacto Confucio asseri possunt, si haec habent: Confucius ait? ubi vides dubia fieri alia etiam opuscula quae parte I. Cap. 9 diximus videri

nihil aliud esse quam supplementa quaedam commentariorum Toen et Siang quaeque parte hac tertia appendicum nomine explicanda suscepimus, nempe Choue-koua-tchouen, Tse-koua-tchouen, Tsa-koua-tchouen, Ouen-yen praeter Hi-tse utramque partem. De hoc opusculo jam agitur, nec alia defendi possunt ut sincera, si hujus, quod caeteris praestantius habetur, fides et auctoritas non manet integra.

Celebris est hoc in genere Doctoris Ngeou-yang (honorifico agnomine Ouen-tchong-kong) censura, a sex amplius saeculis edita, cujus jam parte I. meminimus et quam longius quam par est progredi ex commentariis Regiis novis asseruimus, dum scilicet mappas Ho-tou, Lo-chou dictas principibus Fo-hi et Chun abjudicat nullo adducto teste rationumque momento contra tam antiquam scholae litterariae totius possessionem.

At hunc jam sequimur, quandoquidem contra auctoritatem appendicum iis rationibus pugnat quae et verissimae sunt et magni ponderis fuere apud plerosque post annum 1064 scriptores. Nam 1) si Confucius est scriptor libri Hi-tse haud dubie satis habuit, ut ipsius omniumque mos est, praefigere nomen primo capiti et continenti postea velut passu non solum ad quinti capitis, sed ad elucubrationis hujus suae finem pergere. Inepte igitur sextum iterum Confucii nomen habet, si nihil est nisi continuatio ejusdem opusculi Confuciani; inepte Confucius qui hactenus locutus supponitur non sua alia opera allegat, sed Confucium seu potius magistrum nempe: Tse-youe, „magister ait.“ In libro quidem Lun-yu legitur, saepe que: Confucius ait, at ita necesse est, cum inter locutiones et Confucii responsa ad discipulorum quaestiones

continere debeat, ut vel ex titulo patet, Lun-yu sunt sermones ratione conclusi, rationantium aut potius philosophantium colloquia, apophtegmata, sententiae, quoquo modo is vertatur latine, clarum est multorum ex dictis sententiisque contextum supponi, atque adeo distinguendas esse uniuscujusque nomine sententias, explicandasque quoties timetur obscuritas, ita quaerendi causas, quod praestant egregie discipuli Tseng-tse Tse-kia, Tse-kong, Fan-chi, Tse-tchang Tse-tsien, Tse-lou nunc interrogantes ut sé dat occasio, nunc responsa aliis explicantes confirmantesque. Nihil autem hic simile est. Confucius solus loquitur et tamen continenti oratione appellant „Confucium;" nullum huc adducitur ad propositae sententiae aut illustrationem aut probationem ex antiquis libris testimonium, ut fit in libro Ta-hio, nulla magistri dictis subjecta a noto discipulo expositio, quod in libro Tchong-yong Tse-sse observat; recte itaque concludit glossa, opus hoc non posse asseri Confucio, si semper habuit has voces: Confucius ait. Quapropter mox addit, forte additas fuisse a posterioribus litteratis, nulla tamen auctoritate antiqui aut scriptoris aut codicis suam firmans opinionem, sed dubiam relinquens, ne textum certo falsum interpretari videatur, labore vel inutili vel fallaci. 2) Confucii dos propria est, uti patet ex Tchong-yong certisque opusculis multa paucis dicere, prorsus ut obscurus posteritati non uno in loco jam sit, quod brevis suo tempore esse laboraverit. In his vero appendicibus multa repetuntur etiam ad nauseam, nec non redundant non pauca, quod utrumque non omittimus in interpretatione sequentium textuum sine animadversione. Confucii verba (ait Ngeouyang) sunt compendiosa. Sensum habent altum . . haec e contrario licet pauca tot in articulos dissipata,

iteratu sine causa adducta, iisdem ferme formulis recanta potius indicant auctorem magnae loquacitatis verb sumque garrulum. 3) Quae sunt Confucii ita eluc brata habemus, ut secum omni ex parte consentiant ubique eadem est doctrina, constans, immutata; at hi in opusculis magna est in loquendo ac sentiendo in constantia de non paucis capitibus, ita ut sicut in stylo scriptorum magna dissimilitudo, ita in eorum sensu majores animorum varietates appareant. Exemplum affert celeber criticus inventionem symbolorum Pa-koua, quae refertur ad mappam fluviatilem Ho tou, ad fundatoris Fo-hi meditationem naturaeque totius contemplationem, postea ad herbam Chi. At bene multas alias varietates in notis nostris textibusque legendis facile est observare, quibus ideo hic supersedemus. At non desunt (inquies) qui velint conciliari posse quae pugnare invicem videntur, aut saltem variare; id quidem conantur, at suis conatibus id unum viris peritis probant non posse, quae est responsio ejusdem Doctoris ad praeoccupatam ultro objectionem. 4) Nullus est his opusculis ordo, nulla inter partes connexio, nulla in tradenda doctrina praeceptorum continens series. Perturbate et confuse scripsisse Confucium dicere quisquis audet, is (ait alter interpres) absurdus aut prodigiosus homo est. Negari tamen non potest inordinatio qua majorem vix aliis in philosophorum libris reperire est, cum praesertim nulla sit causa deserendi ordinis naturalis emblematum, quem et Ouen-ouang in allegandis sententiis et Confucius in indubitatis commentariis Toen et Siang secuti sunt; erat certe auctori integrum non inchoare quas refert cap. 7 hujus part. epiphonematum expositiones a sexagesimo secundo emblemate inde ad 13, 15, 16. Hinc regredi ad 60 etc. etc. etc. Ecquid confusum magis

capitis 15 allusionibus? Inventio retium ad piscandum alludit ad trigesimum emblema in quo nihil simile annotatur; nundinae referuntur ad vigesimum primum ob aliqua verba, licet toto sensu ab his discedat; ad navigii fabricam scire laevigare lignum, currui jungere boves, exacuere sagittam, arcum curvare, aliaque id genus usu inventa, quid haec facere possunt ad emblemata politica 59, 17, 62. Nec mirum est nihil in horum textibus de inventis his mechanicis reperiri, utpote a sensu argumentoque ipsiusque libri Y-king alienis. Sed mirum ex his aliquas voculas interdum trahi invitas, aliquoties ne has quidem exsculpi potuisse ab his appendicibus appellatis tamen nominibus emblematum perinde ac allusio perspicua esset; sed haec distinctius ad calcem unius cujusque textus. 5) Praecissa solidaque est Confucii docendi ratio, studiosus semper delectus rerum dicendarum, gravitatis verborum, utilitatis praeceptorum aureaeque mediocritatis; at appendices istae utilia inutilibus et intempestivis interpellant, uti ad varios articulos annotatum reperies, v. g. capitis primi secundum, tertium et quartum, ubi fit mentio venientis solis, abeuntis lunae etc. vermis se torquentis etc. interjecta velut temere inter explicationem emblematis 32 et 47, quae cum motibus his nihil omnino habent. Nihilne inanius leviusque, ne dicam puerile, quam Caput septimum aut octavum: Kien est coelum, est equus, est caput etc. Koen est terra, est vacca, est uterus, quorum ut trium sequentium Capitum versionem ideo omittendam duxi. 6) Quid de numeris capitis octavi Hi-tse dicam? proferrine potest vel unus locus ex certis Confucii operibus, qui vim faciat in aliquo numero ad suae aut alienae sententiae probationem, qui leviter saltem indicet divisionem numerorum in coelestes et terrestres,

ADNOTATIONES.

Insitam animo hominis boni malique conscientiam a natura rationali minime distinguunt Sinae. Haec a Mencio vocatur primitiva bonitas a coelo infusa. Hanc (inquit illius interpres) ante omnem passionem habet unusquisque a natura: estque quidam rectus pietatis et aequitatis sensus. Docet siquidem quid oporteat, quid conveniat. Dum autem fit quod convenit, bene sunt omnia.

CAPUT SEPTIMUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Sapientes, Ching, inspecta rerum quae sub coelo sunt multitudine, omnes figuras formasque ac species animo velut dimensi, in eam venere sententiam, res effictas esse ut oportet.

ADNOTATIONES.

Nempe (aiunt philosophi) convenienter virtuti unius cujusque naturae propriae et utilitati usuique omnium. Quae hinc habent regii commentarii levia sunt, versantur siquidem circa criticem textus, e quo eradi vellent verbum Ki hactenus editum et mutari in aliud Tse.

Sed haec sunt quidem specimina curae Sinarum et fastidiosa essent lectori; id itaque solum annotabo, licet ipse imperator ita censeat, antiquum tamen textum edi voluit docens vel suo exemplo eorum damnandam licentiam, qui edituri veterum libros textum aut immutare aut (ut aiunt) corrigere audeant, quod aliter legendum putent spe concordiae meliorisque habendi sensus, et nomine majoris accurationis. Quod quia non licet apud Sinas, textus perstat hactenus intactus. Si quid in eo minus cohaerens videtur, id in notas rejicitur, atque ita et textui et lectori satis fit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Sapientes, consideratis qui sub coelo fiunt motibus, comperuere eos inter se communicare.

Haec jam appendix loquitur de bono maloque, determinate prout dicitur ad (Yao) lineas diversas figurarum.

in hac Confucius ait: sapientis doctrina sive erumpa sive lateat, sive meditando sive loquendo habeatur ita unum cum alio conjungit, ut utriusque unanimitas in loquendo non minus jucunda sit suavi flori odore.

ADNOTATIONES.

Initio (inquit glossa) sapientis doctrina non excurrit, at postea diffunditur superata difficultate, firma ut aurum, grata ut odorus flos. Inde post laboris luctum laetitiae sensus. In his paucis Epiphonematis quinti verbis non male convenit haec secunda explicatio cum prima ex multis excerpta, at non cum reliquis verbis; magnus exercitus post victoriam sese adimat. Latius itaque patet Epiphonema quam ad duorum conjunctionem amicitiamque referatur.

Praeferenda itaque explicatio est quae est ex commentario Siang Confucii, huic quae hoc in opusculo non ita certe jam refertur.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Ad tegendum utitur alba palea. Nullum est malum. Vide interpret. Cap. 28. Epiphon. 1. in hac Confucius ait: cum cura quovis in loco erige aut construe. Si in tegendo uteris palea, quid inde mali? diligentia solum opus est. Palea quidem levis vilisque res est, at illius aestimandus est usus. Vigilantia velut regula agendorum fit ut nihil erretur.

ADNOTATIONES.

1) Eadem hic dicuntur, quae parte secunda ad eundem textum Confucius in Siang tradit.

2) Iterum observandum est explicationes istas indigestam potius praeceptorum moralium farraginem exhibere quam elucubratum librum. Ex sexto capite transitur ad tertium decimum, ad vigesimum octavum, ad decimum quintum, ad primum, ex primo rursus ad ultimum 60, etc., nec hic insistitur, iterum ad 30.

ARTICULUS OCTAVUS.

Cum labore sapientis humilitas finem habet. Hoc bonum. Vide interpretat. Cap. 15. Epiphon. 3. ubi Confucius ait: humilis vereque modestus subit labores neque frangitur. Habet merita nec ea virtutem putat. Summe scilicet robusta est illius virtus. Quidquid illi est meritorum, est erga imperium. Virtus siquidem est ad perfectionem aliorum, officia ad observantiam quanta modestia! haec modestiae praestantia servat locum gradumque.

ADNOTATIONES.

Ad hoc enim (ait Kong-in-ta) utilis modestia est, cujus effigies hic exprimitur eadem quae capite decimo quinto, Epiphon. 3.

ARTICULUS NONUS.

Draco transgressus est. Est quod poeniteat. (Cap. 1. Epiphon. 6.) Confucius ait: huic draconi similis est vir se putans reverendum, licet sit sine dignitate, alte suspiciendum, licet sine inferioribus seu populo, sapientem ex infimo loco attollendum, licet sine auxilio. Si talis se movet et ad agendum ex sua sententia aggreditur, futura sunt quorum illum poeniteat.

ADNOTATIONES.

Si haec explicatio opusculi hujus Hi-tse conferatur cum antea part. II. allata ex commentariis Siang, facile intelligitur illis standum potius. Pingunt siquidem illa virum jam in fastigio collocatum, emblemate Draconis jam inter nubes, monentque ne limites praetergrediatur; hic vero supponitur ambitiosus sine dotibus meritis auxilioque, quem non exprimet draco nisi sine alis fingatur. Quapropter si haec explicatio (ut et articulis quarto ac quinto) relata est a discipulis Confucii, credibile est illam fuisse priorem, primum velut

ipsius cogitatum, suorumque specimen commentariorum Toen et Siang, quos postea meditate absolutos discipulis tradidit Confucius. Ne tamen quid ex sui magistri dictis periret, non solum commentarios posteritati voluere illi relinquere, sed etiam in unum opusculum, nullo licet ordine, congerere quaecunque ex illius ore excepissent.

ARTICULUS DECIMUS.

Non exit ex parva domus janua. Nullum est malum. Vide Cap. 60. Epiphon. 4. ubi Confucius ait: si exit, pariet turbas. Opus est loqui convenienter, imprimis Princeps si quae meditatur non tenet abdita, accidet ut perdat suum vasallum. Si vassalus loquendo prodit sibi commissa, se ipsum perdet; negotium scilicet magni momenti nisi silentio premitur, ferme corrumpitur. Ideo sapiens studiosus est silendi nec loquendi.

ARTICULUS UNDECIMUS.

Confucius ait: qui fecit Y-king, sciebatne venturos latrones? Y-king enim ait Cap. 43. Epiphon. 3. onustis humeris sedens in curru inducit latrones. Sciebat scilicet vilium improborumque agendi morem ac modum. Sedere in curru ac velut habenas tenere convenit soli onerato et sapienti. Hujus apparatum habitumque dum affectat vilis improbusque, latrones aut rebelles insurgendi ac usurpandi animum inducunt. Imo improbus ille ob falsam illam speciem a superioribus despicitur, ab inferioribus offenditur. Latrones ad ipsius caedem animantur.

De hac occultandi ratione quae latronem allicit, idem dicendum quod de affectata pulchritudine qua libido aliena excitatur. Verum itaque est quod dicitur in Y-king: onustis humeris sedet in curru, allicit latrones. Id siquidem facere est latrones, velut signo manu edito convocare.

ADNOTATIONES.

Haec ergo est summa doctrinae saepe etiam alibi traditae a Confucio. Vir summe perspicax rerumque usu doctus potest scire ventura non pauca, non augurando, sortiendo, sed inspiciendo praesentes mores populi, regiminis vitia, quaeque olim acta sunt, praedicere surrecturos rebelles, vagaturos latrones et extitura similia in imperio mala.

CAPUT OCTAVUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Numeri coeli et terrae. 1 est coeli. 2 est terrae. 3 est coeli. 4 est terrae. 5 est coeli. 6 est terrae. 7 est coeli. 8 est terrae. 9 est coeli. 10 est terrae.

Nota ad textum, quae sit velut interpretatio.

Numeri, ait Tching-tse, hi dicuntur coeli et terrae, quod impares quique referuntur ad Yang, materiam scilicet coelestem, pares vero etiam quinque ad Yn, materiam, scilicet terrestrem, secundum Ho-tou, mappam fluviatilem, numeros 1. 3. 5. 7. 9. albo, 2. 4. 6. 8. 10. nigro colore exhibentem. Notum est enim supraque observatum, nomen Yn et nomen Yang ab obscuro claroque seu lucido auctores libri Y-king veteresque omnes desumpsisse, quod numeris mappae nigris albisque deinde attribuerunt. Atque in hac vera hypothesi quandoquidem qui albo notanti exhibentur, sunt quinque impares. Manifestum est hos dicendos esse Yang, pares quinque alios dicendos esse Yn, quod reipsa qui nigro pinguntur, sunt pares. Unde patet totum hoc discrimen repetitum esse a mappa Ho-tou omnibus figuris libri Y-king antiquiore ad arbitrium auctorum ipsius, non autem ab ulla numeri (quae praeter communem arithmeticorum sensum a Sinis affingatur) proprietate. Nam non solum Tching-tse, sed alii omnes interpretes hujus differentiae istorum numerorum in hanc etiam explicationem conveniunt, quam nullus negaverit ita convenire naturae et genesi figurarum, Y-king parte I. explicatae, ut nulla magis consona et velut connaturalis afferri posse videatur.

Caeterum in hoc Caput et aliquot alios textus sequentes adjicienda aliqua putavi quae interpretationis (quam parte hac III. omitto) loco sint, notas ad textum voco.

ANNOTATIONES.

1) Nullo in loco librorum canonicorum, quos King vocant, nec Confucii operum certo reperitur haec nomenclatio numeri coelestis et terrestris. Imo ex Confucii certis textibus nullus afferri potest, qui ad hos clare alludat, multo minus in his aut in eorum proportione vim faciat. Horum quidem meminit paucis his verbis appendix ista Hi-tse at praeterquam quod nullam deinde allatae differentiae rationem habet, non appellat Confucium ut in articulis praecedentibus (Confucius ait); inde factum, ut hic textus variis temporibus varie sit commissus prioribus sententiis. In collectione saeculi VII. sub Tang-tchao editus videtur etiam nunc initio decimi capitis Tchang, at in editionibus sub Song-tchao rejectus apparet in hoc Caput octavum; in Regiis commentariis hic etiam legitur, adjecta nota, motum eum esse ex initio Capitis decimi. Nullatenus ergo fit probabile haec de numeris coeli et terrae esse Confucii. Certum saltem, dubiam rem esse, ita ut in illis numeris non possit quicquam statui quod sit certo Confucianum.

2) Astronomi Sinae veteres (v. g. qui sub Han-tchao floruere) ad astrologiam judiciariam, ut antiqui nostri, declinantes, hos (ut jam adverti). numeros adhibuere ad praenostica futurorum, additione coelestium cum terrestribus, multiplicatione, divisione eorundem, nullam tamen ex Y-king afferentes regulam. Verum undene conjecturas iidem non petiere? ex aequinoctio, ex conjunctionibus, ex recessibus, ex cometis, ex eclipsibus, imo ex nominibus seu caracteristis dierum, mensium, annorum, cyclorum pure civilium. Haec nihil faciunt ad auctoritatem horum numerorum, sed potius contra. Primus v. g. numerus coeli est 1. Si tamen eclipsis solaris ex calculo incidit in primam diem primae lunae anni, mala praesaga est, quae ideo ab illis legitur translata fuisse, vel in ultimam ultimae lunae praecedentis, vel in initium secundae lunae sequentis, vel etiam insulsa intercalatione dilata. Quae omnia reprehensa sunt tum ab Astronomis quarti, quinti, sexti saeculi sub Tsin-tchao, Song-tchao, Soui-tchao aliisque posterioribus, tum a philosophis ac interpretibus aetatum variarum, sicut inania et astronomiae noxia

quae, ut probant aliqui in refutatione, inde depravatur et vilescit apud doctos. Nec pro his numeris magis facit usus aliquorum astronomorum qui postea, ut admirationem suis inventis majorem moverent, haec in his Y-king numeris detexisse tandem videri voluerunt. Sume (aiunt) ultimum coeli numerum 9, et correspondentem ultimum terrae, 10, habes cyclum lunisolarem 19, qui dicitur Tchang. Similiter medium sume 5 inter coelestes, et 6 inter terrestres; habes 11, quo supplenda est periodus ex tot v. g. viginti decem novennalibus composita 39, ut sit exactior. Haec similiaque illi septimo et octavo saeculo jactantes, merito explosi sunt a suis aequalibus et posterioribus scriptoribus. Nam nihil est in hoc textu aliisque de his regulis, nec ipsi afferunt, cur potius ad ultimos numeros quam ad primos attendi debeat, nisi ipsam cycli 19 conformitatem. Evidens ergo est ipsos transferre ad Y-king quod sciunt, non addiscere in Y-king; bene si aliqui philosophi, qui carpunt illos philosophos, non eodem vitio laborarent, dum numeros transferunt ad physicam, ut mox dicam.

ARTICULUS SECUNDUS.

Coeli numeri sunt quinque, terrae alii quinque, etiam si loco inter sese opponuntur, eorum tamen nullus est qui non conveniat cum alio. Coeli numerorum summa est 25, terrae 30. Duae summae simul sunt 55. Res mutatione corrumpuntur et generantur actione Kouei-chin scilicet spiritus destruentis et producentis vel contractionis et explicationis materiae.

ADNOTATIONES.

1) Haec ultima vocum Kouei-chin interpretatio legitur apud interpretes aliquos sub Song-tchao, 11 et 12 saeculi et in primis in Pandectis philosophicis Sing-li-ta-tsuen 14 saeculi, ideoque non emittendam duxi.

2) Clarum est hic fieri mentionem mappae Ho-tou, cum ne quidem possit intelligi textus, si nescitur numerorum in ea pictorum situs. At non minus constat hos mappae numeros nunquam adhibuisse

in suis certis opusculis Confucium; qui si hic voluisset illorum meminisse, numquid secundo hoc articulo nihil novi dixisset, nisi primi articuli numeros impares paresque esse quinque, et summam 25 cum summa 30 efficere 55. Sententia enimvero digna brevitate, gravitate altisque sensibus Confucii, quae post dicta articulo primo est prorsus inutilis et tantum non puerilis. At sunt (objicit sibi celeber Nyeou-yang, qui velint haec mollire et etiam cum aliis conciliare; sunt ex eo scilicet numero, qui credunt hoc totum opusculum esse Confucii, et ideo non audent contradicere. Praeclare Mencius: satius esset non habere libros, quam eis plane credere nullo facto examine.

Verba saltem ultima textus hujus de mutatione et actione Koueichin debuissent aliquod dubium movere his interpretibus. Nam nec illi possunt causam probabilem afferre, cur mentioni numerorum ista adjungantur ad rerum productiones quidem pertinentia, at minime dicta consequenter.

Ut haec componant itaque aiunt primus seu 1 mutatione generat aquam, sed per sextum productio perficitur. Secundus producendo generat ignem, sed in septimo mutatio perficitur. Tertius mutatione generat aut inchoat lignum cujus productio perficitur in octavo etc.

Quae quam inania sint et a Confucii soliditate aliena, nihil attinet pluribus dicere; imo ne in hoc quidem textu est unde recte concludi, aut etiam conjici possit, aquae v. g. potius quam igni convenire posse coeli numerum 1 et simul terrae numerum 6; multo minus illos numeros posse conferre ad initium generationis aquae aut ignis et ad ejus productionem. Sola ergo textus luendi tanquam Confuciani necessitas illos interpretes et philosophos cogit, ut supra observatum est a Ouen-tchou-kong, ad haec torquendo concilianda fingendaque. Appellat hic aliquis Platonem, appellat Pythagoreos in numeris totam physicam ponentes, quin etiam mysteria non pauca. Ita sit ut objicitur, id tamen restat probandum, idem fecisse Confucium, eadem afferre hos interpretes et physiologos Sinas. De Platonis sententia constat vel ex uno dialogo Timaei Locri Pythagorici, sub cujus persona eum loqui in confesso est. At quis est qui his de numeris Confucii certum locum proferre possit? Absunt et longe numeris his suis Sinae isti a Platonis systemate, loquuntur siquidem de rerum generatione etiam annua v. g. ligni et unicuique duos numeros tribuunt ex decem numeris coeli et terrae, nempe: aquae 1 et 6, igni 2 et 7, ligno 3 et 8, metallo 4 et 9,

terrae 5 et 10. Sed Plato numeros v. g. 5. et 6. circulari mundi figurae tribuit quod sint numeri (ut loquuntur arithmetici nostri) circulares, radicesque sphaericorum 25 et 36. Quaternarium imprimis mundi plenitudini convenire docet, implet enim (aiunt Platonici) omnem numerorum differentiam primi scilicet paris et imparis. Implet et simplicem primorum numerorum progressionem; quatuor terminis explens 1. 2. 3. 4. denarium implet processum dimensionum, puncti, longi, lati, profundi, implet musicam consonantiam, diapason, disdiapente, diapente, diatesseron, implet elementorum, quae quatuor sunt, universitatem, implet per quatuor tempestates tempora etc. Contra a Sinis istis vides 4 tribui generationi solius metalli, 6 ne quidem inter coelestes numeros reputari, nec 5 ad 25 quintuplum sed a 10 duplum referri. Caeterorum ratio proximi ad proximum pure arithmetica est, oppositi ad oppositum, ne quidem, licet inter 5, tantum terminis consistat, quot scilicet numerari solent rerum genera vitaeque communis elementa, uti dictum est dissert. I. E contrario ex quatuor elementis mixtorum geometrica harmonica que invicem ratione conjunctis mundi machinam componunt Platonici et Pythagorici. Neque enim dum de numeris his agunt, sermo est de creatione materiae partiumque dispositione, qua coalescit mundi hujus machina. Deum siquidem esse, mundanam materiam semper fieri docet Plato, testibus Platonicis Crantore, Plotino, Porphyrio, Jamblico et plerisque aliis quos laudant Platonis expositores, nec ut opinor, repugnante Plutarcho, si mundi nomine intelleximus supponitur non materiam mundi, sed partium materiae hanc quam videmus dispositionem, quam solam Plutarchus negat fuisse sempiternam. Ad itaque mundum ordine rationeque disponendum Deus utique semper existens, unam (ait Plato) principio accepit ex universo portionem. Secundam autem primae duplam, deinde tertiam, quae secundae sesqui altera esset, primae tripla, postea quartam secundae duplam, quintam deinceps tertiae triplam, sextam insuper primae octuplam, postremo septimam (nam musica ratio non ultra septem procedit, aiunt Platonici et Pythagorici) partibus sex et viginti primam excedentem.



Caetera omitto quod haec pauca mihi sufficiant, id solum probare volenti, Sinas istos ob hunc numerorum in physicis usum male accenseri antiquis Platonicis, Pythagoricis. Adde quod illa mira, quae in numeris v. g. in 4. (de quo pauca consulto attigimus) vident, et ut mysteria Graecis suis venditant, ne reperiri quidem in istorum Sinarum commentariis vel leviter indicata.

ARTICULUS TERTIUS.

Magnae expansionis (Ta-yen) numerus est 50, usurpatur tamen solus numerus 49, dividitur in duos ut similitudine referat bipartitam materiam in duo elementa (Leang-y) seu mixtorum principia Y et Yang per numerum parem et imparem. Affigitur his duobus unus, ut ternario tres praecipuas orbis constituti partes exprimat, terram, hominem, coelum. Tres et unus coordinantur, ut per quatuor significentur quatuor anni cujuslibet tempestates. Rursus inter digitos unus seponitur adjiciendus ad similitudinem intercalationis in annorum cyclis faciendae. Nam intra quinque annos quandoque iterum intercalatur una luna pariter iterum unus seponitur postea affingendus.

Nota ad textum quae scit loco interpretationis.

Is est sensus a majore interpretum et philosophorum numero nunc tradi solitus, quorum aliqua etiam verba interserui ad textus perspicuitatem, ita ut non opus sit interpretatione, sed solum nota ad aliquas

ADNOTATIONES.

Numerus 50 immerito mihi videtur ab interpretibus repeti ab astronomia. Nam est, et quidem manifeste, ipse numerus trianguli rectanguli quem omnes antiqui dixerunt Heou-kou, compositum ex lateribus 5, 4 et basi 5 quorum quadrata summatim sunt 50; ita omnes Sinae arithmetici et geometrae veteres. Verum quidem est quadratum 7 esse 49, at quid illi cum sole et luna? mere itaque arbitrarium fuit illis interpretibus usurpare solum numerum 49 quod scilicet in periodo 19 annorum sint solum intercalares lunae. Vel ex hoc patet ista non esse Confucii verba.

1) Ex hoc textu cujus duplicem attulimus expositionem, videntur cepisse tum philosophi tum astronomi supra laudati causam gloriandi se cum antiquitate sentire, sed immerito.

Philosophos illos imprimis e schola Tcheou-lien-ki, Chao-kang-tsie similiumque novatorum articulo praecedente jam refutavimus. Nihil in hoc habent nisi duo rerum principia Yn et Yang designari, quod dogma est commune omnibus Sinis physiologis et ex toto Y-king certum. At ubinam inveniunt numeros generare aut generari? undenam conjiciunt generationi rerum convenire hunc vel illum numerum? non certe ex textu, ut per se patet. Astronomi non possunt etiam ex textu, in quo nulla traditur ratio supputandi nec summa motuum coelestium, aliquod argumentum desumere jactandi suam quam edidere variis temporibus astronomiam esse ex Y-king dignamque vel hoc antiquitatis nomine aliis praeferri. Nam isti qui pretium facere inventis suis volucre ab antiquitate, nihil attulerunt nisi similitudinem inter quosdam suos numeros cum libri Y-king numeris et quaedam nomina ex nominibus libri Y-king ab illis etiam translata et quidam sine ullo textu, sine antiquo exemplo, auctoritate ergo sua sola persuadere volunt (quod supra jam observatum est saepius) agnoscendos esse v. g. dies 384 anni embolemici in 384 lineis figurarum 64 tabulae a Fo-hi relictae; in duobus lineis Yn et Yang, duobus principiis, partem anni utramque, aestivam, quae sit dicenda Yang-y, hiemalem, quae sit Yn-y; in Sse-siang quatuor imaginibus, quatuor puncta cardinalia aequinoctii et solstitii utriusque; in Pa-koua, octo symbolis, octo anni praecipua tempora, quae Sinae vocant Ta-tsi'e-ki, puta 1. initium veris Li-chun. 2. veris medium Chun-fen. 3. Li-hia initium aestatis. 4. aestatis summam Hia-tchi. 5. Li-tsiou, initium autumni. 6. autumni medium, Tsiou-fen. 7. Li-tong, initium

hyemis. 8. hyemis summum, Tong-tchi. Volunt etiam alias 24 minores (ut vocant Siao-tsie-ki) partes in quas divisus supponitur a prima retro antiquitate circulus annuus suntque affixae signis coelestibus, haberi ex Y-king, multiplicando scilicet numerum 6, qui est numerus linearum cujuslibet figurae, per numerum 4, scilicet quatuor imaginum; haberi solis ex numeris mappae Ho-tou, (quam habes parte I. Cap. 1.) varios cyclos solares lunares, stellarum annuos motus, lunisolares magnas et parvas periodos; magnas quas ultra quatuor millia annorum varii varie produeunt, dividi debere in tres summas aequales quae ad tres orbis partes, coelum, terram, hominem, referantur. Quid plura? numerus 5, qui meditullium mappae Ho-tou occupat, denotat quinque planetas. Meditullium ambiens est numerus decem terminorum (Che-kan) cycli sexagenarii qui est (ut diximus) pure civilis, prorsus ut mensuras omnes motuum temporumque tum astronomicas tum civiles his in Y-king figuris ac numeris consignatas habeat posteritas a sagacioribus tamen solis detegendas. Ita illi multis sed frustra; nihil enim persuaserunt suorum etiam temporum et posteriorum astronomis, nisi haec ideo ab iis jactari, ut quae observationibus suis invenerunt, et quae ab aliis mutuati sunt, non meliore modo sed mirabiliore antiquitatis studiosis et obscuriora aestimantibus tradere videantur. Est reipsa (ut notant hi) illorum methodus ob nomina ab Y-king translata (neglectis propriis astronomiae verbis) valde obscura, rebus ad motuum coelestium cognitionem inutilibus plena, et notationibus vanis, tum eventuum, tum relationis astrorum ad figuras Pohianas et eorum motus ad mutationes rerum imperii saepe repetitis, prorsus fastidiosa. Id magis miror philosophos, qui illos non minus acriter refutarunt, tanquam libri Y-king sensum (qui ex solis textibus constare potest pertinetque ad Ethicam) minime intelligentes, et astrologiae judiciariae insania dogmata sectatos, nihilominus ita philosophari de motuum coelestium connexione cum rebus civilibus, ut eadem labe non sint omnino immunes. Nam ad quaestionem v. g. an sint multae aut paucae semper eclipses? respondet Tchou-tse sub Song-tchao celeberrimus: paucae sunt pacatis imperii temporibus, multae turbulentis temporibus. Quod unum exemplum nunc sufficiat.

2) Nec haec tam sigillatim prosecutus sum, quod putem textum hujus articuli esse Confucianum. Nam eadem quae supra allatae sunt rationes magis premunt textuum similium defensores. Habet siquidem hic textus (ut minimum dicam) non parvam similitudinem cum textu opusculi Chi-y de ratione sortitionis, rejecti dissert. 2.

ob Bonzaismum a quo manavit, prorsus ut prae caeteris suspectus videatur habendus ab omnibus. Nam undenam prodiit in hunc tertium articulum numerus 50? non certe ex numeris capitis hujus articulo 1 et 2 praemissis, non enim 50 sed 55 dant juncti simul numeri coeli et terrae. Sine ergo causa hunc in tertium articulum intrusus repente apparet, quod satis probant notae interpretum in hunc locum. Numerus 50 (ait Tchou-tse cum suis e Song tchao) est desumptus ex mappa Ho-tou ubi numerus 5 medium occupat et velut circumfert 10, qui est numerus terrae. Qui veniunt ad utendum Chi sortitione seu divinatione, utuntur solum numero 49; videtur ergo agnoscere Tchou-tse hunc locum saltem alludere ad Chi-y sortiendi rationem, quae supra explicata est, nec ultra numerum 50 reipsa excurrit. Ideoque ab hariolis ludo hoc arithmetico abutentibus Ta-yen, magnae expansionis numerus, eatenus dicitur, quod omnia de rebus futuris ducenda ratiociniis summa haec velut suo ambitu complectatur. Tchou-tse quidem abusum hariolorum et multo aequius Bonziorum vana effata de sortibus et praestigiis ita in suis commentariis negligit, ut ne memoret quidem, et in suis aliis opusculis saepe in illos invehitur. At haec de numeris loca non tamen clare pronuntiat esse falsa. Nec mirum, cum notum sit ex dictis parte prima, ipsum suam hausisse doctrinam ex Tchin-touan vero reipsa Bonzio, etiam post assumptum magistri nomen, a quo prodiit liber Chou-hio numerorum scientia, pars scilicet suorum in Y-king commentariorum, altera pars vocatur Siang-hio, imaginum scientia, relicto alteri discipulo. Hunc autem de numeris Bonzii commentarium libri Y-king clarum est versari imprimis circa hujus capitis articulis et sequentibus expressos numeros, suis ex principiis explicandos. Quem admodum facit in imaginibus seu 64 figuris, quas varie ordinat in quadratam, in circularem formam, susque deque invertit, in alias atque alias transmutat ac velut transformat, ut ex his aliquid eruat faciatque ex Y-king probabile, nullo tamen operae fructu haec fuerunt eruntque semper similia ad Y-king conamina. Nam libri sensus, (ut jam saepeque dictum est, convenitque inter interpretes e schola Confuciana) pendet totus ex textibus seu cuilibet figurae Fohianae subjectis sententiis, sine quibus figurae mutae sunt et numeri indifferentes, quod totum per se patet.

5) Sunt qui hos de numeris textus a Tchin-touan ex Bonzianis opusculis huic Confucianae appendici Hi-tse adscriptos fuisse suspicati sint. Quod non convenit tempori opusculorum auctoris

saeculo decimo exeunte editorum. Nam isti textus reperiuntur in editione collectionis sub Tang-tchao, adornatae imo quod a paucis observatum est, qui solos versant commentarios dynastiae Song, in libro Y-king sub initium Han-tchao multis in locis vigente, quo tempore scholam aperuerat celeber King-tang, agnomine Kian-ming. Narrat enim Hiong-sae-li primis imperatoris Suen-ti annis extitisse dissensionem inter litteratos de Y-king, aliis stantibus pro Doctore King-fang, aliis in contrarias partes sententiasque, quas tenebat illustris Ting-Kouang, non minore fere numero declinantibus;" dicitur (ait King-fang in commentario) esse quinquaginta, qui numerus continet numerum decem terminorum cycli sexagenarii duodecim horarum et viginti octo constellationum 10, 12, 28; sed in 50 summa hac unus est sine usu nempe sine actione polus, scilicet terminus cardoque Yang, coelestis materiae, natura sua purae, seu nondum mixtae in rebus." Doctore hoc posterior alter interpres sed tamen sub Han-tchao scribens nomine Ma-tchong agnomine Li-tchang hunc quoque de his numeris textum adducit. „In Y mutationibus aut conversionibus est unus Tai-ki, magnus terminus et axis polus, qui est boreale signum; ex eo procedunt duo principia Yn et Yang, sol et luna, 12 menses, 24 articuli annui temporis (Tsie-ki dicti, et per semisigna dispositi in Calendario Sinico), quinque elementa vitae, seu quinque rerum praecipua genera, quinque planetae. At ipse borealis polus non movetur, ergo tantum 49 habent suas revolutiones. Sola itaque sunt in usu, ut dicitur in textu." Quapropter fatendum est hunc de his numeris textum mille amplius annis antiquiorem esse Bonzio magistro Tchintouan, agnomine Hi-y, et allatam ex scholis Han-tchao explicationem ita differre ab inducta sub Song-tchao ut nulla magis opinor reperiri possit. Quo loco annotabo obiter nonnullorum insigne paradoxum, qui ut Sinas omnes secum sentire defenderent, nullam esse dixerunt inter omnium aetatum litteratos aliter atque interpretandi rationem et licentiam sectamque ab iis quas appellaverant, diversam, nulla tamen habita ratione antiquitatis duorum amplius saeculorum quae huic textui et similibus tribuenda est. Clarissimus interpretum dynastiae Han-tchao, qui sub extrema illius tempora claruit, Ouang-pi, eos interpretatione minime dignos judicavit, non omissurus certe in veterum King librorum generalibus commentariis, si hos quoque a Confucio prodiisse credidisset. Quin et schola magistri Kin-fang circa illa tempora collapsa est, florentibus docentibusque aliter Tchin-youen, Tching-tchong,

aliis doctoris Fei-chi discipulis quos audivit Ouang-pi. Nam in contraria Fei-chi declinasse asseritur a Hiong-sse-li in sua historia traditionis doctrinae (Hio-tong), adeoque merito credi potest hos similesque textus in ipsius schola non tradi, utpote non certo Confucianos aut forte tanquam a King-fang sine causa Confucianis opusculis adjectos. Ita sentiendi recens erat causa, institutum scilicet examen librorum, regnum auspicante (55 ante Chr.) Tching-ti ex Han familia, per Doctorem illa aetate celeberrimum Leou-kiang; jussus autem is erat praecipuas curas in examine Y-king ponere. Expensis vero omnibus comperit libros Y-king a magistris Tien-ho et Tien-kouang traditos inter se consentire, ac discrepare ab utroque librum a King familia relictum, qui tamen, licet depravatus, annis sequentibus sat diu viguit Tong-han familia imperante. Potest igitur a King-fang aut non procul ab ejus aetate repeti causa suppositionis additionis horum textuum. Sed utut sit de hac nostra conjectura circa eorum originem, eos omnesque saltem liquet ex dictis esse dubios, in quibus nihil solidi statui potest, multo minus quod Confucianum censendum sit.

ARTICULUS QUARTUS.

Pro Kien, coelo, magno Yang, numerantur 216.
Pro Koen, terra, magno Yn, numerantur 144.
Horum summa est 360, spectatque dies anni unius.

ADNOTATIONES.

„At minime exacte, ait Kong-in-ta. Assumendo utrumque coeli et terrae seu magni Yang et magni Yn numerum, habemus necessario 360, qui supponunt pro 360 diebus. Sed numerus hic dierum non assumitur; at praecise respondens anno Solari, quandoquidem in eo textus non numerat quinque dies insuperque minutas et unam ex quatuor partibus unius dici quibus percurruntur 360 gradus;" ita ille. Terminus Ki (ait Tchou-ouen-kong) circuitum unius annuae revolutionis hoc in loco significat. Superest ad perfectam interpretationem quaerendum, unde summae 216 et 144 prodeant. Suam (ait idem Tchou-ouen-kong) productionem

debent quatuor imaginibus et mappae He-tou in qua (ut notatum est parte I.) ad quatuor latera numerorum ordinalium 1, 2, 5, 4 videntur numeri 6, 7, 8, 9 albo nigroque distincti; hi per 4, numerum imaginum, multiplicati dant numeros proportionales 24, 28, 32 36. Numerus (ait Kong-in-ta) 36 ducatur in 6, quot sunt Yao seu lineae in quavis figura, habebis 216, 36 enim supponit pro prima imagine ⚊ quae vocatur Ta-yang, utpote potentior quantitate caeteris et 24 supponit pro ultima imagine seu ⚋, Ta-yn, qui si multiplicetur per 6, Yao, figurarum lineas, producit 144. Ex his fit eadem summa 360, si numeri 28 et 32 mediarum imaginum arithmetice proportionales sint ducti in 6 Yao; nam efficiunt pro Chao-yang 168 et pro Chao-yn 192 quod manifestum est ex calculo. Sed textus haeret in terminis extremis e quatuor proportionalibus 36, 32, 28, 24 qui hic sumuntur uti 9, 8, 7, 6 dicti parte I. numeri imaginum.

1) Haec annuae quantitatis explicatio a Kong-in-ta relata est eadem omnino. At Graecorum de anno Aegyptiaco veteri 360 dierum quo (ait inter alios Diodorus bibl. l. 1) numero non comprehendebant ἡμέρας πέντε ἐπαγομένας, pro anno 360 dierum, triginta dies mensibus dant, at post 12 menses supplent quinque dies cum quadrante diei; ita etiam Plutarchus, Herodotus aliique loquuntur de Aegyptiis, scilicet Thebanis. Aliis Aegyptiis vulgo annus erat 365 dierum sine quadrante. Nec tamen putandum hunc annum 365 dierum et 6 horarum convenire non posse cum sexagenariis cyclis Sinarum. Nam si anni v. g. octo assumantur, nempe redacti in cyclos dierum, erit numerus 48 cyclorum et 42 dierum, qui ductus in 10 dat 488 cyclos dierum, quos liquet esse aequales 80 annis julianis (constantibus 365 et 6) atque adeo juxta Sinas etiam antiquos annis solaribus. Si vero jam 487 cycli non esse supponantur dierum (360 seu 6 cycli) sed annorum tacita multiplicatione per 60 et per eundem numerum multiplicetur 80, 487 anni (360) erunt aequales 480 jul.

2) Numeri 36, 32, 28, 24 (ait Tchou-tse) reperiuntur juxta regulas quibus disponuntur regulae herbae Chi. 4 sumitur pro Ki linea Yang, 8 sumitur pro Yeou linea Yn. Ita ille, Caetera omitto quod eadem ferme sint quae retuli dissert. II. de Chi-y, sortiendi ratione, ejusque arithmetica divinatoria. Unde si illi interpretis loco credendum est, efficitur hunc textum et alios similes ita alludere ad

Chi-y, ut hoc caput octavum videatur vix differre ab opusculo Bonzaico de sortibus, de quo dictum est supra.

Quamquam nihil opus sit ad formandos hos numeros quatuor recurrere ad artem Chi-y, quae licet ingeniosa sit, et mira imperitis, etiam quando sine Bonzaismo traditur, est tamen operosa nihilque omnino habet cum mappa Ho-tou, uti patebit attendenti, ex qua tamen repetendi sunt numeri hujus Capitis vel ipso fatente Tchou-tse cum suis interpretibus Song-tchao, parum in hoc (ut in aliis interdum) sibi constantibus. At si numeri imaginum Sse-siang-tchi-chou assumantur, ut fit a Kong-in-ta et Tang-tchao commentatoribus, 9, 8, 7, 6, et ducantur in numerum 4, numerum imaginum, numeri qui ita exurgunt vere prodire ex mappa consendi sunt. Ex his autem numeris 36, 32, 28, 24 efficiendi utramque summam 216 et 144 ratio ab omnibus admittitur.

Ex utraque summa haberi numerum 360 perspicuum est ut illi concludunt. At non perspicuum est numerum 360 ita effectum esse numerum annui circuitus. Nec hoc illi attingunt. Videtur tamen ineptum ex numeris nihil ad coelestes motus calculosque pertinentibus additione colligere summam annuae revolutionis quaecunque illa esse supponatur. Quo vel uno hi textus Confucio indigni judicari iterum nec immerito ab interpretibus omnibus potuerunt. Verum inter eos multi fuere qui textibus sine ulla critice admissis in eorum sensum solum intenderunt.

8) Certum est Sinas nunquam usos esse anno dierum 360 in suis imperii Calendariis. Licet negari non possit Sinas astronomos ad illud ordinandum, et ad solis calculos adhibuissa olim diutque pro anno medio numerum hunc 360, supponentes solem motu medio unum gradum circuli annui qualibet die percurrere. Qui error haud dubie emendari ab illis debuit aliqua (quaenam fuerit, non est examinandi locus) reductione motus medii ad verum, ut loquuntur nostri astronomi, quam petere potuerunt ex quinque diebus dieique minutis supra 360. Facta scilicet aliqua proportione ad quantitatem totius anni solaris ex observationibus suis vel traditione cognitam aut quavis alia ratione ab antiquioribus orta astronomis, quorum aliquos libri King aliique vetusti memorant, velut scientes non solum motus annuos sed eclipsium putandarum rationem, ita ut plecterentur qui in eis praedicendis errarent, idque fieret ex antiqua imperii consuetudine, quod totum imprimis constat ex Chou-king libri secundi Capite Yn-tchin valde antiquo sub imperatore Tchong-kang

anno 2155 ante aeram Christianam, ut ex eclipsi de qua infra, constat. Id autem fieri non potuisse veris solis lunaeque motibus non cognitis manifestum est, et sine aliqua arte (licet non multum exacta) tot eclipsium (quarum multas in Tchun-tsiou habemus) calculos voluisse in lucem imperii proferre veteres illos sapientes vix est credibile. Incensis autem libris 215 ante Christum, astronomica opera periisse oportuit, quandoquidem tantum laboris et curae in ea restituenda sub familia Han, quae proxime successit anno 200 ante Christum, impensum est, ut narrant annales.

Praeterea in Chou-king lib. I. Capite Yao-tien anno ante Christ. 2345 expressis verbis dicitur anni solaris (quem bissextilem vocamus) quantitatem maximam esse 366 dierum, lunae intercalationis habendam rationem ab astronomis regiis, observanda ab iis in coelo puncta aequinoctialia et solstitialia, ut ab eorum aliquo fieret motus solaris numerandi initium. Ab hyemali autem fecisse veteres illos multa persuadent, diem vero solstitii invenisse per umbram gnomonum. Nam in vetusto libro Tcheou-li (quem inter King aliquando fuisse numeratum demonstrat collectio Chi-san-king) describitur Gnomon a principe Tcheou-kong antiquitatis studioso sectatore positus in nova quam tunc moliebatur urbe aulaque Lo-yang, (erat altus octo pedes), cujus umbra in aestivo solstitio deprehensa est longa unum pedem quinque pollices, 8 lineas; hiberno 13 pedes, 1 pollicem 4 lineas. Ex quibus paucis quae adhuc supersunt colligitur primis illis monarchiae sinicae temporibus viguisse astronomiae studium, nec ignorari potuisse motus annui dierumque numeros. Dividebant autem (aiunt Tchou-tse et Tsai-tan in Yao-tien) veteres diem in 940 partes; inde uni anno communi tribuebant 365 dies et 235 ex illis partibus, intercalabant septies unam lunam inter 19 annos solares; post quos cum non inveniretur perfecta ad idem reversio, sed aliquot partibus aberrans, inventa est periodus 4617 quae restituit solem et lunam ad idem coeli punctum eodem die anni, imo et cycli sexagenarii: ita illi sub Song-tchao interpretes. Alii sub Tang-tchao volunt diem vel a prima antiquitate divisum fuisse in 100 partes Ke, quarum quaelibet sit subdivisa in 100 Fen. Antiquis viciniores sub Han-tchao (ante Christ.) astronomiae instauratores et calendarii Sse-ma-tsien, Kong-sun-king, Ho-ma-tsan, Lo-hia-hong [1]) idem de divisione senserunt

1) Ex Tong-kien.

et annum voluerunt esse et fuisse apud antiquos 365 dierum 25 Ke. Ex his tamen collectum cyclum 19 non reducere ad idem punctum cum observassent, periodum 4617 invenerunt, (quam alii haud dubie ex illis habent acceptam) imo et multo majorem 6345 quam aliqui eorum volunt esse exactiorem, quod an verum sit inutile est hic expendere. Satis est ad interpretationem textus hujus scire quae fuerit sententia veterum Sinarum de quantitate unius circuitus annui. Non nego tamen antiquos calendarii sub tribus primis familiis ordinatores potuisse numerum 360 dierum adhibere tanquam annum medium aut hypotheticum divisione illius in 12 menses 30 dierum, sicut circuli annui in duodecim signa Kong, solis loca, et magis ad litteram solis domus (Kong est domus regia); nam cum sinensis mos sit et fuerit affigere cujuslibet signi principio et in medio duo puncta, quae Tsieki vocant, v. g. arietis principio Chun-fen, veris punctum, medio Tsing-ming diei, lucis incrementi punctum; ita ut in anni lunaris statis variationibus eodem in gradu manere debeant illa 24 puncta; ad haec suo in loco retinenda ordinandaque ad civilem usum, necessarium aut saltem utile fuit annum lunarem currentem conferre cum solari anno seu potius cum solis annuo circulo in 12 partes diviso. Hic siquidem annus ex hypothesi medius, est inter annum solarem 366 dierum et lunarem communem 354 dierum. Differentia haec tota est, quae est 12 dierum, atque adeo intra 2 annos et 6 menses unam lunationem complens, uti erat facilis adverti, ita utilis erat dirigendae civili intercalationi, quae ultra duos annos dimidium commode saepius rejici posse inde intelligebatur, nempe habita ratione differentiae inter annum solarem et medium, quae est dierum sex, lunatio plena non habebatur, nisi post quinque annos. Embolemicus autem annus (qui ideo non pari intervallo disponi in calendariis poterat nec ultra quinquennium hujus medii motus differri) constabat etiam tempore imperatoris Yao diebus 384. Quandoquidem aiunt sub Han-tchao, Yao voluit annum statui 364 dierum, cum quadrante diei post quatuor annos fieri 366 dierum, observari solstitium, intercalari luna utendum. Annus communis componi debet ex duodecim lunationibus, embolimicus ex 13, sole versus orientem circiter gradu uno procedente intra unam diurnam revolutionem, luna vero 13 gradus, aliquot gradus partibus interim supergressa. Ultra Yao ascendere, et ab ipso Pohi repetere numerum anni embolimici inutile est. Absurdum vero velle in lineis 384 figurarum dies anni fuisse expressos et ex earum numero definitos; absurdius quod ait unus ex illis interpretibus: „absit, ut hoc ab homine inveniri fierique potuerit.“ Nam hi numeri (si

cui placet eos ex Y-king efficere) possunt haberi modo faciliore et aptiore quam qui affertur, ex numeris 36, 52, 28, 24 sive mediis, sive extremis, fit additione 64 cyclus Sinensis, qui si multiplicetur per 6, habetur summa 360 anni medii, ex quo pendent caetera, quae illi in Y-king invehunt, tanquam a Fo-hi non sine coelesti auxilio inventa. Sed taedet me inania pluribus prosequi; id tamen adhuc annotabo, quod ad haec ipsa interpretum loca intelligenda facit, circuitum solis aliquando ab illis assumi pro motu temporeque illis respondente, quod apud alios aliter refertur, nempe juxta calendaria temporis sui tunc paulo majus, nunc paulo minus. Sub Han (ut supra dictum est) 365 dies Ke, at sub Tang 365. 24 Ke 44 Fen aliquando assumi pro spatio decurso seu circulo quem omnes supponunt esse 360 graduum, ad quos vident referri quidquid libri habent de antiquis observationibus calculisque motuum et phenomenorum coelestium. Una est itaque interpretum sententia, hoc in textu agi de revolutione annua solis ad idem punctum. Supra laudatis ex Song et Tang interpretibus adjungo adhuc Tchao-ping-ouen sub Youen florentem. „Quandoquidem (ait) textus loquitur de intercalatione lunae ad cujus similitudinem jubet unum interponi, haud dubie est intelligendus de circuitu unius anni cujus similitudo quoque numero est exprimenda.“ Licet autem circulus annuus 360 grad. ab antiquo divisus fuerit in duodecim partes (signa) aequales, annus tamen civilis in inaequales semper fuit. Mos fuit antiquus post tres lunas 30 dierum consequentes numerare duas 29 dierum; quod vel ex hoc constat, quod ne quidem in reformatione calendarii anno post Christ. 445 a Ho-tching-lien edita in Tong-kien-i-song cujus meminit historia, non sit admissa regula de tribus lunis plenis consequentibus non admittendis. Quaeri ad textus elucidationem etiam potest quaenam fuerit antiquiorum astronomica intercalandi ratio? Sed nihil de methodo afferunt interpretes, de praecepto intercalandi, ab Yao suis astronomis dato textum esse clarum fatentur. Videtur tamen eadem fuisse quae Han-ou-ti regnante, restitutis libris e astronomia instaurata ex antiquiorum scriptorum reliquiis, monumentis, traditionibus post varias observationes magisque necessarias usurpata in calendario est. Ducto nempe numerandi principio a solstitio hiberno, si motuum fiat temporis partium collecta summa correspondebat duobus (ex 24) punctis (tsi-ki), circuli annui 360, tunc non intercalabatur; si secus, fiebat intercalatio. Hac nostra vero aetate sequuntur Sinae methodum magis accuratam et ingeniosam, quanquam dici possit ad imitationem antiquae. Illa sola luna nunc

saltem ad textum breviter indicassent modum utendi a prioribus litteratis usurpatum. Ita enim facere solet et muneris impositi ratio postulat. At (dicet aliquis) non intellexerunt hunc textum; cur ergo sicut in aliis quos parte II. retulimus, ita et in hoc non annotarunt obscuritatem, deesseque hac aetate ex quibus intelligi possit? Hoc unum restat illis tot aetatum commentariolis textum videri clarum et ex eo ipso perspicuum, quod ad dicta prius sit consequens nec nisi corollarii loco habendus ad mentem veterum libri interpretum, ut et plerorumque recentiorum; quae ratio eo majoris est ponderis, quo magis constat de studio sinarum scriptorum in quaerendis annorum periodis. Confuciana aut Fohiana illisne sola fuisset aut ignota aut neglecta penitus, ita ut ne quidem ab ullo illorum inter periodos cyclosque numeretur?

Superest itaque ut extra Sinas suae opinionis auctores quaerant et quod apud alias gentes regni antiquitate celebres semper fuisse ad usum cyclos et periodos affirment, ita et inter Sinas factum conjiciant. Quod sane si admittitur nullum ego fatebor non reperiri posse in Y-king; nam speciminis gratia, duobus figurarum elementis quae vocant Leang-y ———, — —, utique exhiberi potest antiquae Graeciae triaeris includens biennium. Leany-y lineis succedunt (in Y-king) Sse-siang, quatuor imagines, (vid. Tab. I. fig. 2.); his siquidem exprimitur penteris Endymionis quatuor annorum absolutorum, quae biennii cyclo successit; penterida excepit octris Harpali, octo symbolis (Pa-koua) quatuor imagines subsequentibus definita. Hujus duplum constituit olim cyclum Sancti Hippoliti 16 annorum, quem numerum habet figura cujus meminimus, octo symbolis succedens in linearum combinatione. Paucis, nihil fere est quod simili

ratiocinio haberi non possit, ita ut unus liber Y-king temporum rationarium ac velut encyclios disciplina videatur. Quod paradoxum cum exposuisse, refutasse sit, eó deveniendum est, ut quandoquidem in Sinarum libris Sinica tandem expetenda sunt, multo minus Graeca Latinaque introducenda, sicut nullam ex his minoribus periodis agnoscimus in numeris figurarum Y-king, ita nec hanc summam 11520 ab illis numeris productam pro periodo vera magnaque Y-king nulla Doctorum Sinarum auctoritate habeamus. At quid ergo affertur? numquid nihil aliud cum sit quam consecutio dictorum omitti debuit? Quaeri enim adhuc poterat quis esset maximus numerus linearum Yn et Yang ex regulis libri Y-king exhibendus. Is autem habetur si utriusque generis numerus qui est 192 summusque multiplicetur tum per maximum numerum (Ta-yang) magni Yang 36, tum per 24 magni Yn (Ta-yn) primo proportionalem, quod igitur factum est articulo praecedenti de lineis Kien et Koen id in praesenti fit de lineis omnium 64 figurarum. Summus scilicet harum quoque exhibetur numerus a lectore desiderandus, intra tamen valores primis terminis aut institutione antiqua aut usu diuturno constitutos.

Quae cum ita sint per se clara et velut e re nata, sequitur hanc annorum summam multo minus dici posse Confucianam; nam praeter silentium Confucii, qui illam in suis operibus ne quidem obiter indicavit, demonstratum, opinor, est hunc textum tantum esse consecutionem praecedentis doctrinae de his numeris, quos Confuciano opusculo Hi-tse suppositos additosque ineunte Han-tchao probavimus. Summa itaque quae illorum multiplicatione sola colligitur, qui vocari potest Confuciana? et si Confuciana non est quantae antiquitatis censeri poterit, quae anteriore nec monumento,

nec uso ullo indicatur? Licet autem non sit ita antiqua nec par verae et exactae periodo lunisolari, ideoque a nullo ex philosophis astronomisque variorum cyclorum sub succedentibus Dynastiis inventoribus ne quidem memorata, potest tamen (ut est expositum in notis ad dissert. 2) nobis usui esse Sinarum praecipuis chronologiae epochis ordinandis. Nam omnis summa, quae sola utilis est ad historiae cyclorumque civilium revolutiones praecipuas illigandas, dici quidem potest periodus, sed potius arbitraria, imaginaria, quibus nominibus notatur etiam a viris doctis ipsa famosa periodus juliana. Eo itaque ex genere, quin haec 11520 habeatur, nihil vetat; in suos enim civiles cyclos ut juliana, praecisse resolvitur, quandoquidem continet 192 cyclos sexagenarios Sinarum. Unde habetur certa regula habendi annum cycli quantumvis antiqui, subtractis scilicet 60 ex majori quocunque dato numero annorum, si numerandi initium fiat ab anno currentis cycli, quod pertinet ad numerum 192, potest quidem componi ex numero 24 (ut vocant Sinae) temporis articulorum quos annus quilibet ut cyclum habet simulque ex numero multiplicante 8, magni apud Sinas usus, tum (v. part. I.) punctorum cardinalium coelitum plagarum terrae. At cum hi numeri cuivis affixi sint anno, nulla dare possunt signa, quibus anni inter se distingui possent, atque adeo nihil de illorum ordine docerent. Contra anni cycli quod suo quilibet nomine ac caracteribus propriis distinctus sit non potest non internosci; unde fit ut chronologia Sinensis ab antiquioribus et recentioribus historicis per cyclos sexagenarios ordinari certius possit, memoria teneri facilior sit et emendari, siquis in quaestionem numerumque error irrepserit.

Quod autem periodo huic 11520 parte I. dissert. 2. alligavimus varias epochas diluvii, aerae christianae mundi conditi ad certos annos, id nullus putet nos habere ex monumentis Sinicis, sed facilitatis et compendii causa factum, ut calculus rerum Sinensium, quae sola magna periodo cum nostris connecti comprehendique possunt, fiat expeditior clariorque. Nihil omnino est in antiquis Sinarum libris ex quo vel probabiliter conjici possit aetas diluvii universalis. Qui e nostris hoc voluerunt confundere cum inundationibus tempore Yao legislatoris a fluviis tumentibus aulamque ac vicinas provincias vastantibus, redarguuntur ab ipso libri Canonici Capite Yu-kong quod solum appellant. Nam in eo recensetur magnitudo operum ad derivandas aquas, multitudo tributorum variorum diversis provinciis impositorum, longitudo itinerum versus orientem aliasque plagas. Quae omnia a magno Yu jussu imperatoris facta evidenter supponunt magnam hominum multitudinem, populosas provincias et quaqua versum non incultas regiones, atque adeo non conveniunt temporibus diluvii universalis ipsique ita proximis. Quae autem a diluvio universali contigere ante conditam monarchiam a Fo-hi, et quorum aliqua in aditu annalium breviter memorantur, (exceptis pauculis) fabulis similia sunt, ideoque apocrypha a Sinis auctoribus pronuntiari solent, et a nonnullis magnis viris jam dudum refutata. At quae sequuntur et latine facta sunt a patribus Couplet et Martini, [1]) tam certa sunt quam quae maxime in nostris historiis. Nam et antiquorum monumentorum fide nituntur, utpote quae libri Canonici ab ipso Confucio examinati

1) Chou-king ed. Deguignes.

commemorant, et ab historicis per omnes aetates clarissimis summo consensu admittuntur et calculo eclipsium plurium, quarum meminere, vera demonstrantur, vix enim duas tresve aut saltem perpaucas puto memorari, quas supputatio non exhibeat. Dummodo habeatur ratio initii anni quod historia mutatum docet, variae intercalationis lunae, diversi lunarium mensium ordinis, discriminis inter observata et supputata, inter hypothetice dicta et absolute conclusa, et emendationum in methodo calendarii factarum. Ex dictis siquidem jam constat astronomiam Sinis non eandem semper fuisse, unde facile est colligere mutationes in annuum calendarium quod secuti sunt historici, introduci debuisse; imo nec calendarium idem toti imperio Sinensi fuit diversis temporibus, nempe inter principes diuque diviso, quorum unusquisque in occupatis provinciis imperatoris titulo ritibusque colebatur. Quod uno saltem exemplo illustrabo, ut res tota melius, intelligatur. Seculo quinto familia Song imperante, pars borealis imperii Sinensis parebat familiae Tartaricae; anno 439 (ut narrat historia) Tou-pa-tao [1]) nolens videri minus litterarum studiosus quam imperator Ouenti astronomiae reformandae munus imposuit suis litteratis, et imprimis celebri Tsoui-hao qui (inter alia) quoscunque invenire potuit astronomiae libros et calendaria collegit, ad examen revocavit, omnes eclipses solares et lunares, imo et quinque planetarum motus a primis Han dynastiis ad suam aetatem, sigillatim notans errores, inquirens in eorum causas, correctiones docens. Quibus curis effecit ut calendarium fuerit prioribus accuratius subditis sui principis in parte Sinarum boreali, quam vocabant imperium Ouei, aut

1) In Tong-kien.

imperium dynastiae borealis (Pe-tchao); at eod tempore in australibus Sinarum provinciis quas re bat verus imperator Ouen-ti in astronomia reforma laborabant viri selecti et inter alios Ho-tching-ti astronomus principis haeredis astronomiae studiosi, ut anno 444 prodierit nova astronomia jussu impe toris vulgata, et ex ea Calendarium tunc institut Quantum autem differat ab antiquis, ipse Ho-tchi tien, suo ad imperatorem libello publico quem re historia, sigillatim explicat. Ex quo haec pau ;„quando scitur locus lunaris eclipsis, locus solis ig tus esse non potest. Observato accurate his annis stitii puncto collatoque cum iis quae habemus de stitio Yao juxta antiquam methodum, pertineret gradum 17 constellationis Teou, at ex observati habetur intra 13 et 14 . . . ex gnomonis umbra a et post solstitium ad mensuram exacta secundum re las antiquas. Error ergo in solstitio corrigi deb Praeterea multas observavi irregularitates in motil lunae . . . versans calculos antiquos, comperui nc lunia et plenilunia non ita convenire tempori, sed terdum ante ire, interdum subsequi, quapropter mo recte constituendi rationem trado hoc in opusculo, quid addendum est subtrahendumque diversis tempo articulis edoceo.“ Ita ille. Quam saepe vero astro mia reformata sit, potest intelligi facile ex libello cimo tertio saeculo exeunte imperatori Youen-c tsou oblato ab illustri astronomo Ko-Cheou-ki nomine tribunalis mathematici:[1] „nostra (ait), ast nomia a primis familiae temporibus ad hanc nostr

1) In Tong-kien-kang-mou lib. Song-tchao, anno p. Chr.

1) In Tong-kien lib. Youen, anno 1280.

aetatem mutata est septuaginta vicibus, a 13 astronomia magistris, et ex eorum schola ad tribunal assumptis discipulis. His annis summa cura, quae hoc in genere sub aliis dynastiis facta sunt, expendimus, et denique inter nos conclusum est, septem immutanda capita, quinque de novo addenda priori astronomiae, ut eam quam offerimus in usum imperii tuo jussu inducendam, illa etiam quae habuere antiqui astronomi subtiliora complectatur et ita perfecta prodeat, ut nulla deinceps reformatione indigere possit."

Ex his paucis certo colligitur multas in libris astronomicis tribunalis mathematici mutationes fuisse factas, atque adeo diversa etiam eadem aetate Calendaria apud Sinas viguisse. Unde nihil mirum est, si dissensio aliqua reperiatur inter auctores, tum dum referunt praeterita et antiqua, tum dum referunt praesentia et nova. In antiquis v. g. eclipsibus quae, ut dixi, a Tsoui-hao aliisque sub variis dynastiis illustribus astronomis ad specimen suae peritiae edendum supputata sunt, quidquid reperitur dissidii, rejiciendum est in diversas eorum methodos, quae non melius et probabiliter minus inter se conveniebant, quam nostrae tabulae astronomicae diverso tempore editae, Ptolomaicae, Alphonsinae caeteraeque. In novis phaenomenis referendis dissensio oriri potuit ex diversis Calendariis ejusdem aetatis quae secuti sunt non iidem auctores.

Licet autem scriptorum dissensio etiam in nonnullis annis quam P. Couplet in Sinensis Chronologiae opere aliquando notavit, aliquando negligendam putavit, levis videatur scriptoribus annalium et commentariorum, et in tot annorum intervallis perrara sit, nihilominus calculos versare volenti ad veterum observationum historiaeque fidem probandam omnia sigillatim ad minutias usque consideranda sunt. Si supponit

Calendarium Sinicum antiquum iisdem regi solitum regulis quibus hodiernum, haud dubie (ut olim advertit doctissimus Cassini, Regles de l'Astronomie Indienne) reperiet magnam earum observationum partem contingere non potuisse. Contra erit, si attenditur ad mutationes initii anni, intercalationis lunae caeteraque id genus in libris Sinicis non neglecta; nec immerito, utpote quae ad accuratam narrationem ita faciunt, ut sine his falsa demonstrari possint. Exempli causa omnium eclipsium antiquissima, cujus mentio ullibi fiat, quae in ipso authentico libro Chou-king [1]) refertur imperatore ex prima regia familia Hia quarto Tchong-kang: autumnali luna hora Chin [2]) nondum ingressu in Fang constellationem completo, seu secundum Commentatores et eximium criticum harum observationum (ex notis calculisque auctorum et astronomorum sub Tsin, Soui, Tang aliisque familiis quos expenderat) Ma-touan-lin lunae nonae primo die inter horam septimam et octavam illo tempore aut jussu magni Yu familiae primae conditoris aut consuetudine ab antiquo inducta, scitur primam soleri numerari lunam, quae proxima erat (Li-tchun) initio veris ad decimum quintum amphorae consistenti, nempe mense nostro Februario, ita ut luna nona cadat in Octobrem, cujus reipsa undecim dies calculo a Patre Adamo Schall, in Sinensis astronomiae opere, et ab aliis nostrorum hic repetito, eclipsi assignatur. Sicut

1) Chou-king 1, 2. c. 4.

2) In textu libri Chou-king assignatur eclipsi hora Chin. Haec par est horae nostrae septimae et octavae; nam divisam supponit diem in suas duodecim horas. Ita nostra 9 et 10, dicuntur Se, 11 et 12 dicuntur Ou, aliae sequentes Oueï, Chin, You, Si, Tse, Yn, Mao. Media nox cadit in Tse meridies in Ou.

et debitus temporum intervallo situs ad constellationem Fang quam componunt quatuor stellae in fronte Scorpionis; atque adeo contigerit anno ante aeram Christianam 2155 cycli sexagenarii currentis anno tertio. P. Couplet in Chronologiae Sinensis opusculo assignat annum secundum; vel ut alii volunt annum sextum; verum anno sexto nulla contigit eclipsis solaris; secundo etiamsi quae potuit hic observari, nec tamen observata aut recensita legitur aliqua supputatione; nec autumnalis est, nec ad constellationem Fang pertinet, sed solum vernis mensibus spectabilis. Lunae ergo nonae astrorumque situi congruit eclipsis anni tertii cycli, seu anni 2155. Unde posito regni, in quo aliqua dissensio est, initio ad annum 2160, quod durasse 13 annos communis sententia est, sequitur hanc eclipsin autumnalem referendam esse ad sextum regni currentem. Non errat glossa communis, cui consentiunt fere alii commentarii, annum quintum regni memorans, si annos completos numerat; nec a secundo cycli ad tertium multum abest; sextus cycli cum sexto regni facile confunditur. Hi omnes errores sunt leves, nec fidem historiae, quoad eclipsis veritatem, ullatenus labefactant. At si non habetur ratio accurata initii annorum, eclipsis fit impossibilis majorisque erroris arguit historiam quo illam distinctius describere studet. Quod ut clarius fiat, proponatur jam eclipsis solaris post annum solarem 1121 fundatoris tertiae familiae Tcheou laudati toties supra Ou-ouang, qualis scilicet accidisse dicitur in Chi-king sub Ou-ouang decimo successore luna decima, initium anni quaerendum circa Tong-tchi hibernum solstitium quandoquidem novae imperatoriae familiae mandato hac rejectum erat; ita ut prima luna inchoanda fuerit Decembri nostro nondum evoluto, et initium

decimae lunae incidere saltem possit in Septembrem sexta die anni Chr. 776. Id nisi observetur, eclipses libri etiam authentici Tchun-tsiou fient suspectae, ptsi contigisse historiae omnes pro certo habeant. Earum primam nescio cur omiserit Pater Couplet; [1]) accidit tamen anno 720 sub Ping-ouang imperatore XIII. ex eadem familia Tcheou, mense Februario, die 22, et ipsa supputatione probari potest eam vere convenire cum numeris Chaldeorum quorum observationem ex Ptolemaei Almagesto referunt astronomi et chronologi nostri in plenilunio sequenti quo luna eclipsim passa est, mense martio anni ejusdem 72 ante Christianam aeram. Pari ratione efficitur in eclipsibus post eandem aeram ab historia Sinensi relatis; a calculatore attendendum ad mutationes factas in ratione putandi

1) Extat quidem in libris astronomiae nostrorum opera Sinicis examen eclipsium antiquarum et hodiernarum Sinice scriptum a. P. Adamo Schalt; his tamen postremis annis hanc eclipsim imperatoris Tchong-kang et aliquas alias supputarunt P. Kegler. P. De Mailla, aliique mihi non ita noti. Has autem et reliquas omnes in antiquis libris relatas ad calculos nuper hic revocavit P. Gaubil, ex cujus computo mihi cognito, scio motum, tempus, quantitatem certo haberi et quidquid in hoc genere desiderari potest a nostris astronomis chronologisque, nihil ut opus sit quidquam addere. Si quid enim reperitur inter variorum variis ex tabulis computationes dissidium, id in tabulas nostras a tanta antiquitate remotiores et in vitia observationum rejiciendum esse norunt harum rerum periti. Eclipsis mortis Christi fit mentio in Apologia Sinica anni 1664, contra Yang-kouan-sien accusantem falsi religionem quod ejus libri memorent prodigiosam quae hic non apparuit. In responsione sua R. R. P. P. Verbiest et Buglio supponunt tunc solum lucem defecisse totum solem, cum vita Christum defecit, hora scilicet tertia, licet a meridie tenebrae mortem praecesserint. Quae sententia est non paucorum interpretum, et fit probabilis collatione aliquorum locorum Evangelii Marci 16 „emissa voce expiravit et velum templi scissum est.“ Lucae 23: obscuratus est sol et velum templi scissum est. Cur autem hanc sententiam aliis hic practulerint causa est quod difficultatem ab adversario gentili rerumque exterarum ignaro propositam brevius refellat et fortius meliusque secet rem.

Calendarii et imprimis ineundi anni intercalationis ordinisque lunarum. Nam quinta familia Han (qua regnante natus est Christus Dominus) nec secuta est rationem astronomicam quartae familiae Tsin, annum a sagittario inchoari, et ad nonam lunam intercalationem affigi volentis, nec praeceptum familiae Tcheou de initio anni ad solstitium hibernum, sed in antiquum locum illud permulgato edicto restituit. Repetito certe inde initio deprehendentur eclipses v. g. vere contigisse, invenitur illa quam ut unicam (ex quibus nescio libris) P. Couplet refert sub Kouang-ou-ti imperatore XIV., nempe anno post Christum trigesimo primo currente in urbe provinciae Ka-fong-fou, qui a Petavio multisque viris doctis morti Christi assignatur. At in novilunio menseque Majo, quem nullus ex chronologis mihi notis hactenus illi attribuit. Adde quod eclipsis simul videri tota non potest in aula sinensi simul et judaica, quandoquidem differunt utriusque meridiani quinque ad minimum horis, si Hierosolymis fieri supponitur circa horam tertiam, qua Christum mortuum esse constat ex Evangelio; quapropter ex eclipsi hac in Sinis visa et quidem totali, unde forte ob obscuritatem ab affectione aëris insolitam nata est admiratio observatoribus minus eruditis, nihil concludi potest ad epocham mortis Christi definiendam alligandamque periodo aut julianae aut huic sinicae 11520, aut cuicunque alii ex his omnibus, quas recenset in chronologia Ricciolus, vocatque periodos et epochas fictas ob commoditatem investigandi cyclos. Atque haec de anno Christi mortis ex sinicis monumentis erucndo dicta sint obiter, ut indicemus saltem antiquitatis studiosis frustra eos laboraturos, qui, ut fecere nonnulli, rerum Christianarum epochas in libris annalium gentis tam remotae suaque duntaxat amantis inquirunt.

Post familiam Han extinctam quarto, quinto, sexto saeculo regnantibus dynastiis Tsin, Song, Tsi, Leang, Tchin, Soui quarum principes numerantur soli in annalibus inter Sinarum imperatores, multae maximaeque familiae simul dominatae sunt in magna Sinarum parte, assumptis imperatoriis insignibus titulisque antiquarum dynastiarum et regnorum Han-tchao, Ouei-tsi, Hia-tcheou. Hae ferme omnes usae sunt variis Calendariis opera suorum astronomorum sui tribunalis mathematici, inter quos nullum multum eminuit, Tchan-tse-sin ab interpretibus sub Soui caeteris laudatus, licet fuerit in regno, seu (ut ipsi loquebantur) in imperio Tsi. Nam ut hoc solum attingam, illis non idem fuit anni initium, Tcheou, Hia, Tsin v. g. sequentibus in hoc ut in multis aliis consuetudinibus antiquas familias ejusdem agnominis. Quam autem longe lateque spargerentur id genus Calendaria vel ex hoc conjici potest quod annales narrant sigillatim de familia Fou quae antiqui regni imperiique Tsin nomen, sibi arrogaverat. Nam notant Fou-kien (qui fuit tertius ex Tsin) non solum imperasse in tributarios toto Si-yu, quo (ut dictum est alibi) nomine intelligunt occidentalia Sinis regna ferme ad mare usque Caspium; prorsus ut ille solus ab externis Sinensis imperator habitus sit, solaque urbs Tchang-yan (Si-gan-fou nunc) celebrata ut aula Sinarum. Sua etiam habuere Calendaria publica auctoritate facta regiae familiae Leao et Hia quae post decimi saeculi initia dominari coeperunt in Sinis usurpato etiam imperatoris nomine. Habuit et familia Kin duodecimo saeculo Sinarum borealium imperio potita. At constat exiguum inter haec calendaria fuisse discrimen quod eorum mathematici non ex novis a se inventis sed ex antiquis suam compilarint astronomiam

„Quamvis astronomi Kin astronomiam se reformasse gloriati essent, eos nihilominus constat astronomiam sub prima familia Song secutos esse, additis solum aliunde nonnullis correctis sine ulla observatione.“ Ita Ko-cheou-king et Tchin-ting-tchin sub Youen [1]). Sub familia Tsing nunc imperante multo major facta est correctio in astronomia sinensis tribunalis Calendario praepositi, reformata scilicet a nostris ex theoricis tabulisque praesertim Longomontani et Tychonis Brahe totaque innovata. Licet autem nunc habeatur ratio 15 gradus amphorae in quo semper consistit Li-tchun initium veris, attamen potissimum attenditur ad signum piscium, ad quod ut ingreditur luna primum mensem anni facit. Unde fit ut saepe Li-tchun initium veris in Calendario praecedentis anni quaerendum sit; nempe luna duodecima v. g. 1722 anni die 29 seu 4 februarii. Nam ingressus in signa non ex motu medio, sed ex vero ut et caetera Calendarii a tribunali definiuntur. Qua in re egregie hallucinati quidam Romae aliquot abhinc annis; qua ex urbe missa est oblataque imperatori a R. P. Bonjour Calendarii forma illa, ineunte hoc saeculo adornati, et ut rumor erat Claviano substituendi, hic certe nulli usui futuri, quantumvis magna de eo mota spes esset. Nam collatum cum Calendario Sinico 1711 currentis anni ad veros motus supputato non poterat convenire, lunationes edens nunc serius nunc citius quam reipsa daret tabula astronomica, si nota fuisset illius consilii auctoribus ratio Calendarii Sinici, non cogitassent Sinas quorum anni ordinatio non ad motus solis lunaeque medios, ut erat in novo illo Romano

1) In Tong-kien.

Calendario nostrisque omnibus solet, sed ad veros dirigitur curis calculoque tribunalis mathematici.

Ut autem semel omnibus quae observavimus aliisque si forte sunt differentiis recte expensis, praecipuae annalium Sinicorum epochae et nostrae difinitae fuerint, nihil facilius erit quam illas illigare fictae huic periodo 11510, cum (ut observatum est dissert. 2) cyclo cuique tum ante tum post Christianae aerae initium repraesentando par conflata sit.

ARTICULUS SEXTUS.

Ex quatuor disponendi modis pendet compositio figurarum libri Y-king. Sed perficitur per decem octo mutationes quae consequuntur.

ADNOTATIONES.

1 Ex quatuor imaginibus seu primis combinationibus linearum Yang et Yn sit progressio ad alias 1, 2, 3, 4, 5, 6 et 2, 4, 8, 16, 32, 64 quae est magna tabula figurarum 64 quae toto libro explicantur, quoque docuimus modum habendi numeros seu valores figurarum. Ex sortitione habentur primo valores quatuor (ut vocant) imaginum et quidem reperti sunt aequales seu proportionales numeris dictis imaginum. Clarum est alios numeros majores minoresve fieri qui ex primis illis nascuntur, ut figurae aliae ex quatuor primis imaginibus prodeunt, prout primi pluris minorisque valore supponuntur.

Advertimus etiam tertia sortitione reperiri valores trium linearum atque adeo combinationes octo symbolorum quorum unumquodque constat solis tribus lineis atque ad formationem Lou-chi-ssekoua sexaginta quatuor emblematum sortitionem sexties repetendam. Unde existant ter sex seu decemocto (ut vocat textus) mutationes; quamquam verum est, si absolute loqui volumus, variari posse sortitionem 64 modis ut exhausta dici possit. Sed de hac hujus textus explicandi ratione communi quidem sed magis ac magis suspecta, quo proprius trahitur ad Chi-y opusculum Bonzaicum, nihil

habemus dicendum quod ex tam longis supra explicationibus non facile intelligi possit.

Ex lineis producta primum sunt parva octo scilicet symbola coeli (ait Kong-in-ta) terrae, fulminis, venti, solis, lunae, montis, aquarum. Recurrunt recentiores sub Song-tchao ad numeros sortitionum regulis obtingentes quibus tres valores pro illis symbolis habeantur, novemque ideo mutationibus fieri dicunt.

Observetur uno ex primo numero velut aditu ad alios quam multa sequantur et sequendo crescant ad summum. Ad hunc modum perficiuntur negotia etiam imperii unum post alium, secundum quem inter se habent connexionis ordinem.

Ut symbola octo trium linearum repetita ter inveniuntur eadem operatione seu novem mutationibus, ita figurae 5 per 5, 9, 6 per 3, 18, ex linearum habentur ter repetita operatione virgularum sortitionis seu 18 mutationibus. Sed haec pro apocryphis merito habentur dignaque negligi ab interpretibus doctrinae Confucii veterumque.

Maximus (ait glossa) numerus ille ad quem ut summum crescit, est 4096. Unde is, explicat clare imperator in censura interpretum, ut octo symbolorum numerus per octo productus dat 64 ita 64 dabit 4096 figuras et quidem 12 linearum si per 64 multiplicetur, numero etiam sex linearum duplicato.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Quod lex seu ratio in lucem redit, id spiritus virtus haud dubie agit. Tunc aequum est illi correspondere; aequum est velut adjuvare spiritum.

ADNOTATIONES.

Correspondere (dicitur in glossa Chi-san-king antiqua) est adjuvare et promovere opus spiritus. Nihil clarius afferunt interpretes recentiores, quod forte non melius textum intelligant, quo spectet, et cur praecedentibus adjungatur. Probabilius videtur hic agi de doctrinae bonique regiminis ratione jam reflorescente beneficio spiritus vel spirituum, ad quam instaurandam concurrere populos omnes aequum est. Qui cum nihil e contrario possint conferre ad naturae operantis rationem legesque, non nisi insulse inviterentur

ad correspondendum adjuvandumque, si textus is loqueretur physiologiam, ad quam illum refert unus ex interpretibus.

ARTICULUS OCTAVUS.

Confucius ait: scire viam corruptionis et productionis rerum, est scire spiritus actionem seu agendi modum, consilia, causas.

ADNOTATIONES.

Mutationum, ait glossa, et productionum via seu ratio superat facultatem viresque humanas. Quod ut intelligatur Confucii discipuli huc referunt dictum magistri sui; nec dubium quin Confucianae doctrinae certis in operibus expressae consentiat abhorrentis a nimia rerum a natura abditarum indagatione, cui imparem esse profitebatur humani ingenii vim Confucius, solitus (ut referunt discipuli) loqui de virtute, pietate, obedientia, nec nisi aegre loquens de monstris, rebus insolitis, fato, scrutandis spiritibus. Putabat scilicet indignum sapientis gravitate atque constantia aut falsum sentire aut quod non satis exploratum habebat, discipulis tradere. Ita notant interpretes ad celebre responsum Confucii: necdum novisti servire spiritibus quos vides, quomodo vis scire servire spiritibus invisibilibus? secundum scilicet eorum naturam. Nam in ea quaestione difficultas a discipulo proposita versebatur, quam ideo aiunt interpretes, ut inutilem repulit magister spirituum rituumque omnium observator suo tempore eximius.

CAPUT NONUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Excellentes illi viri in suo Y-king quadruplicem viam habent ad institutionem. Primo habent verba unde existant optimae explicationes, secundo motus agendique modos, ad quos exigendae sunt conversiones morum et ipsius imperii, tertio perscribunt regulas legesque, secundum quas quilibet effingi potest ad exemplum, quarto docent futura praevidere, ut sciatur, ubi sit insistendum, adhaerendum.

ADNOTATIONES.

Nec tamen (aiunt) semper. Apud Mencium est qui ita argumentatur: Princeps Tcheou-kong, excellens vir priusquam suum fratrem natu majorem Kouan-tcho vel praevidebat illum rebellaturum vel non. Si praevidebat, et tamen misit, pietati defuit. Si non praevidebat, desideratur scientia praesentiendi futurique prudentia. At respondet philosophus, princeps et vir rerum prudens ubi non habet cur malum futurum credat, non praedicit nec diffidere debet. Nihil itaque plus intelligendi sunt dicere philosophi Sinae hi de morum sapientum scientia futuri, rerumque providentia, quam nostri Latini apud Tullium: Sic qui cursum rerum eventorumque consequentiam diuturnitate pertractata notaverunt aut semper, aut si id difficile est, plerumque, quodsi ne id quidem conceditur, nonnunquam certe quid futurum sit intelligunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

Ideo sapiens est semper paratus ad decernendum, semper paratus ad agendum, interroganti respondens: obediens coelesti mandato perinde ac Echo sono respondens, cui nihil est remotum, absconditum, profundum

imperviumque, potens scire quae eventura sunt. At enim vir tam perfecte perspicax nullus est sub coelo qui ita omnino possit.

ADNOTATIONES.

Virum Sapientem libri Y-king scientia effici docent non pauci in notis illius admiratores. At iidem negant ullum hactenus exstitisse qui perfecte impleverit nomen speciemque sapientis illius excellentis, quam liber Y-king et postea Confucius informatam posteritati tradiderunt. Sed de hac idea dictum est parte II.

ARTICULUS TERTIUS.

Tria et quinque sunt ad mutationes. Certum simul numerum constituunt pertinentem ad has mutationes, nec, ut habeatur perfectum orbis decus, ultra hunc numerum procedendum est; ita ut sit velut determinata imago rerum orbis. Ad hunc ut non perveniant mutationes quis potest facere?

ADNOTATIONES.

In censura interpretum censet imperator hic agi de Pa-koue octo symbolis fulminis, venti, aquae, ign's etc. Tres et quinque siquidem faciunt octo, qui combinationum numerus sufficit, repraesentandis velut in antecessum praecipuis materialis utriusque principi Yn et Yang permutationibus, quas ad octo a Sinis referri diximus dissert. 1. Cap. I.

In glossa tamen dicitur voces (Han-ou) esse antiquas, intelligi difficiles. Nyan-siun-tse antiquus auctor ad mutationum ordinem haec amendat. Tan per tres vertunt omnes, et communem trium caracterem vetusto substituunt; nam forma etiam in caracteribus variavit. Vide partem primam.

ARTICULUS QUARTUS.

Mutationes fieri sine nostra meditatione; sine nostris affectionibus quiescere, esseque sine motu, postea se referre ad motum rerum omnium causam. Si non est summus earum spiritus, quis est qui facere possit?

ADNOTATIONES.

„In his rerum mutationibus est (Hou-hiu-jin in hunc locum ait) certa ratio; rerum licet sit tanta varietas, omnium tamen una est origo, omnes existunt ab uno corde animoque; unde habent quod ad invicem referantur continentque mutuam communicationem, si ab origine non acceptam haberent illam agendi rationem legemque, quomodo communicationis continuitatem obtinerent?“ Ea ipsa nonne est Stoicorum argumentatio apud Tullium? quid vero tanta rerum consentiens, conspirans, continuata cognatio, quem non coget ea quae a me dicuntur comprobare? posseine uno tempore florere, deinde vicissim horrere terra, aut tot rebus ipsis se mutantibus conservari, nisi ea uno divino et continuato spiritu mundi partes continerentur (de nat. deorum 1. 2.)

Ad haec advertere aequum fuisset eos, qui ut inaudito Theologis hactenus paradoxo totam Sinicam gentem Atheismi in Europa ream facerent, satis ad rem esse putarunt ex aliquot recentiorum commenteriis loca afferre quibus naturales effectus per quandam (ut ipsi vertunt) sympathiam motusque revolutionem haberi supponitur. At vel ex hoc loco (missis nunc caeteris) patet sophisticam esse consecutionem, quandoquidem juxta textum et interpretes ex supposita rerum naturae proportione, cognatione operandi, ratione legeque constanti colligitur existere primum rerum causam et quidem spiritualem, imo praecedentes textus ad unam hanc spectare docet in iisdem commentariis regiis laudatus Ling-hi-youen in hunc locum: „hujus inter res cognationis mutuaeque communicationis certe existit causa. Supra ubi de numero dictum est ad hunc perfici coeli terraeque decus, determinari rerum imagines formasque, obediendum coelesti mandato, perinde ac echo respondet sono, haec sunt ut intelligamus sensum quem habet ipsa rerum productio, et ideo quaecunque supra mox dicta sunt eo pertinent omnia ad spiritum unum adstruendum.“ Quid deest huic argumentationi ut Tulliana sit, nisi haec assumptio; nihil enim est quod numero et ratione moveri possit sine consilio.

ARTICULUS QUINTUS.

In Y-king quod est summe profundum, id fuit solerter subtiliterque inquisitum ab excellentibus viris.

Dicere proprie profundum: summe seu profunde scire, quid est nisi penetrare in intima finemque rerum mundi; dicere solertiam est posse efficere rerum qualitates; solus id potest spiritus, qui sine gravedine sine agendi labore celeriter omnia ad finem perducit.

ADNOTATIONES.

Haec (inquit interpres) spiritus propria sunt, perscrutari, inquirere hominis est, at perdingere, reperire nemini datum hactenus.

ARTICULUS SEXTUS.

Confucius ait: excellentes illi viri in suo Y-king quadruplicem habent viam ad institutionem.

Quadruplex est (ait glossa) quae supra exposita est art. 1.

ADNOTATIONES.

Nam reipsa hic articulus totidem verbis expressus est pars superioris, quem Confucio totum nullus opinor tribuerit, si is Confucii et dicitur, vere est. Vel enim ille minime sincerus, sed interpolatus auctusque haberi debet, vel is inter redundantia effata concensendus est, a quo vitio ita abhorret Confucii stylus, ut nullum putem hac in critice tam parum versatum, ut suspicari possit hunc philosophum bis in eodem Capite eandem sententiam iisdem verbis scripsisse. Opusculum hoc itaque merito supra notavimus esse potius ex variis aut a discipulis auditis aut dictis per ora hominum vagantibus, in quae facile est incerta spuriaque irrepere, serius collectum a Tchang-kiu aliisque auctum quo tempore viguisse constat passimque circumferri sententias scholae Lao-kiun tanquam Confucio non indignas mireque excogitatas.

CAPUT DECIMUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Confucius ait: Y-king quid est? Est quo res aperiuntur, perficiuntur negotia. Via ad omnia illo comprehenditur, ideo viri illi excellentes eximieque sapientes (chi) usi sunt ad conandum penetrare in intima rerum subcoelestium, ad statuenda, quae cuique conveniunt munera, ad tollendas dubitationes variis in difficultatibus.

ADNOTATIONES.

Haec est interpretatio tum obvio sensui maxime conveniens, tum in commentariis sub Tang-tchao olim ab omnibus admissa. Torquetur in multis textus a Tchou-hi, ex Song-tchao praeceptis, in inveniendo scribendoque nova, dum ad artem sortiendi illum alludere vult. Si quae futura nec sine causa aliqua creduntur respiscendo virtutisque exercitatione evitantur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Herba Chi mire supra caeteras crescens, postea arescens, est naturali affectione peridonea exprimendae circulationi operationum spiritus varie operantis seu producentis et destruentis. Figurarum Koua proprium est demonstrare suis combinationibus certum operationum earum ordinem, qui ideo sciri potest. Sex linearum cujusvis figurae sensus verti potest (per affixas sententias) ad communem institutionem.

Hoc unum virorum excellentium est mundare cor, repellere abjecta, efficereque ne populus in bona malaque sine discrimine incurrat. Solius spiritus est

perfecte nosse ventura, ut praeterita quae jam latent. Quis homo potest ea scire! Et nostri illi antiqui quantumvis perspicaces ingeniique eximii ne quidem scivere quonam modo agat spiritus destruens et producens.

ADNOTATIONES.

Hic fit mentio herbae Chi, quae, ut caeteris praestans, adhibita est in sortibus praegnosticisque antiquitus, quod Fo-hi figurarum auctor dicatur ex sex foliorum herbae hujus sex lineamentis definisse senarium numerum linearum, quae quamvis earum componunt. Ad Fo-hi itaque pertinent quae textus dicit de herba Chi et figuris Koua, ad Tcheou-kong sensus cujuslibet e sex lineis quibus epiphonemata alligavit, ad caeteros sapientes antiquos caetera.

ARTICULUS TERTIUS.

Id vero praestans est exploratam habere coeli in agendo rationem at si examinetur quomodo agat populus, comperiemus illi ad exploranda ad se prioribus jam temporibus usui fuisse testudinem herbamque Chi, perinde ac si essent res sensum habentes. Contra nostri eximii excellentesque viri antiqui adhibuere pro se sui observationem, attentionem, abstinentiam, ut possent assequi summam illam animi perspicaciam.

ADNOTATIONES.

Koua (ait glossa) fit, ut eventus praevideantur ad imitationem spirituum ventura scientium. Ad imitationem, inquam, simili velut quadam, non aequali eademque futuri scientia. Quis enim est sub coelo tam perspicax qui scire tantum possit art. 2. Cap. 9. Si antiqui adhibuere testudinem ut Chun et Yu, id fecere post multam in rem decidendam attentionem sumptumque a sapientibus consilium, ut populi quoque suffragia animosqua non neglecto plebeio more adjungerent, uti observatum est supra.

ARTICULUS QUARTUS.

Primum emblema quod dicitur Kien coeli seu materiae coelestis actuosae et operativae, velut portam aperire dicitur Y-king, mutationum doctrinae; alterum emblema Koen terrae seu materiae terrestris natura segnis velut portam claudere dicitur eidem. Res mutatione corrumpi producique est velut claudi aperirique sed non interruptis abeundi et redeundi communicatione naturali vicibus..

Quod primum prodit in terra est specimen rei, lineamentum, imago; quod deinde a terra corporatur est figura, corpus sensibile; quod praescribitur ad usum faciendum, est regula, doctrina. Hanc populus quia utiliter utitur censet a spiritibus profectam.

Vere tamen (ait Lou-chi cum aliis) illa ab eximiis illis excellentibusque viris nostris reperta est et instaurata. At populus qui nescit unde illa orta sit experiturque eximiam eam spiritus esse dicit.

ARTICULUS QUINTUS.

Tai-ki in Y-king est summus terminus. A quo in mappa Fohiana quae vocantur Leang-y, duo elementa, producuntur, nempe Yn et Yang. Haec producunt quatuor imagines utriusque lineae combinatione; ex his quatuor producuntur octo Koua, figurae, seu, ut vocavimus, emblemata tribus lineis constantia

ADNOTATIONES.

In glossa communi notatur, produci hic accipi posse periodum ac dividi. Unum producit duo principia, Tai-ki habet Leang sicut una linea dividitur in duas, ita Tai-ki dividitur in Yn

Yang seu (ut dictum est saepe) materia universe et velut in summa sumpta dividitur in duas, coelestem dictam Yang a lucido, terrestrem dictam ab obscuro Yn.

Nihilominus si non attenditur ad physicam (ad quam haec refert glossa) quae reipsa his linearum combinationibus a Po-hi secundum philosophos expressa est, certum est vocem Seng, producere, idem significare apud Sinas quod apud nostros mathematicos, qui numerum multiplicatione exurgentem vocant productum, item figuram ex aliis arte efformatam, quod satis patet ex dictis parte I, de genesi harum figurarum per multiplicationem binarii et additione (in lineis) unitatis. Hunc locum non esse Confucii, imo nec ullius ex illis antiquis Ching, eximie sapientibus, censet celeber Ngeou-yang. Equidem verum est quod dicitur de Tai-ki nullibi in Confucianis aliis operibus nec in Y-king certis textibus aliorumque librorum authenticorum reperiri. At quandoquidem et in formandis Y-king figuris utilis est, ut melius intelligatur quemadmodum ab una linea caeterae procedant, et in physica ab omnibus philosophis Tai-ki sumatur pro materia, non videtur vox Tai-ki ut summus terminus, ut totum aliquod, ut aliqua late causa omnino repellenda ac damnanda. Multa alia sunt non Confuciana, quae tota posteritas admisit, et quidem communi omnium sententia, non immerito, sed recte et utiliter inventa dicta. Is certe vocis Tai-ki (de materia) sensus in antiquis quibusque commentariis legitur. Tai-ki (in Chi-san-king) sub Tang-tchao verus sensus dicitur: tot tenuis materia primigenia ante divisionem in coelum et terram, seu in coelestem et terrestrem, ut est confusa, est una adeoque magna, et una primum magna seu summa, quidquid materiale est continens et determinans, unde dicitur Tai-ki. At in antiquis illis commentariis non reperitur haec formula Tai-ki, Ou-ki, summus terminus, sine termino, a Tcheou-lien (vid. part. I,) inducta, et usurpata a philosophis sub Song-tchao quod significare possit materiam esse principio. Contra veterum et Confucii doctrinam de suprema omnium origine, auctore, productore, gubernatore, Domino atque imperatore Chang-ti, quae antiquitatis dicta probant Sinas bene etiam olim sensisse de mundi origine, licet non clare doceant modum, nec utantur voce creationis ex nihilo, quam frustra apud Aristotelem aliquosque nonnulli quaesierunt.

ARTICULUS SEXTUS.

In octo Kóua symbolis, quae ponuntur bona et mala sunt ea quae pertinent ad parienda negotia magna nempe publica in imperio.

De bonis et malis Y-king dictum saepe, nihil ut opus sit addere.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Inter exempla ad regulam proposita nulla sunt majora seu insigniora coelo et terra.

Inter mutationes rerum nullae sunt majores seu notabiliores iis quae accidunt quatuor anni tempestatibus.

Inter suscipienda nulla majora aut praeclariora sunt sole et luna.

Inter excelsa praecipuaque nihil majus imperatoris potestate.

In parandis quae sunt ad communem usum in quaerendis perficiendisque quibus imperium instrui convenit nulla major facultas quam virorum eximie sapientum. Illi siquidem quod sciant explorando delegere occulta, praecavendo occurrere et velut appropinquari remotis, sunt perinde ac si omnia bona malaque imperio obventura haberent animo comprehensa decretaque jam viderent. At populo ultra haec tendere conanti in futuri cognitionem nihil majus aut melius adhibitum est usurpatumque ab eo testudine cum herba Chi.

ADNOTATIONES.

Utrique quid tribuant Sinae dictum est dissertatione tota. Usum esse ad vulgi non sapientum mentem et consuetudinem d

textus praecedens tertius, imo in censura interpretum imperator in eam propendet sententiam, quae tamen singularis est, hic agi de Fo-hi inventoribusque Y-king qui imprimis ex contemplatione herbae hujus et lineamentorum folii figuras suas perfecere; concludit profectione itaque tam mirabilis plantae omnium creator concurrit cum illis ad bonum saeculi regimen quod in Y-king designatum (aiunt) habemus.

ARTICULUS OCTAVUS.

Coelum producit res eximias mirasque, seu antea non visas. Vir eximie sapiens imitatur coelum extraordinaria interdum procurando.

Coeli vis ac efficientia immutat res. Viri eximie sapientis doctrina et instructio convertit animos ad bonum.

Coelum ostentat signa prognostica bonorum imperii et malorum ad admonendum. Sapiens et suas proponit imagines seu emblemata hominibus informandis; ideo quando ex fluvio croceo exivit mappa et postea quando ex rivo Lo emersit diagramma numerorum, illius temporis sapientes eximii (Fo-hi et Yu) usi sunt ad regulam et institutionem gentis.

ADNOTATIONES.

De utraque mappa ex aquis emergente dictum est alibi parte I. Haec verba esse Confuciana negat expresse Ngeou-yang, Ouang-fou negat a quoquam sciri unde haec sint. Citatur tamen unus locus ex Tchun-tsiou qui alludit ad fluviatilem mappam et ad rivi Lo diagramma. Sed haec non ex persona Confucii dicuntur in Tchun-tsiou, sed ex vetusta populi et communi opinione, quae per tot saecula invaluerat.

ARTICULUS NONUS.

Ut quatuor imagines quas primas habet Y-king sunt ad instructionem propositae, ita haec appendix Hi-tse est ad expositionem ejusdem instructionis ampliorem et (ut ait interpres) perfectam contra bona malaque ex negotiis, quae certo succedent in imperio, addit idem You interpres hujus loci in regiis commentariis tom. 14.

CAPUT UNDECIMUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Quod dicitur in Y-king, a coelo auxilium cum quo bonum utiliter consequi potest, in hoc Confucius ait: auxilium illud sublevat, facitque ut submittat se, (ait interpres) Tao, ordini.

Perinde est ac inter homines, illi qui opem fert creditur, credendique assiduitate obsequium discitur. Ita illi eximii sapientes se gessere erga coelum, cujus auxilio in ipsorum bonum eventus verterunt.

ADNOTATIONES.

Locus Y-king est part. II. in Cap. 14 Ta-you articul., cujus hic nova proponitur explicatio minus quidem copiosa et ad argumentum totius Capitis non ita faciens, sed tamen ingeniosa dignaque Confucio.

ARTICULUS SECUNDUS.

Confucius ait: picturae in Y-king non exhauriunt quaecunque dicenda essent; quae in eo dicuntur non exhauriunt quidquid sentire nos oportet. Sensus itaque virorum eximie sapientum (a quibus est Y-king) non potest percipi. Confucius ait: Sapientes illi primum extulere imagines (Siang) ad sensus suos perfecte exponendos; deinde proposuere (Koua) emblemata ad exerendos sui animi affectus erga posteros, quos (aiunt) verbis et figuris formare ad prudentiam, esseque hac via felices volebant. Haec jam appendix Hi-tse est ad supplenda quae dicenda restant, exhaurire vero

ARTICULUS QUARTUS.

Mutationes fieri sine nostra meditatione; sine nostris affectionibus quiescere, esseque sine motu, postea se referre ad motum rerum omnium causam. Si non est summus earum spiritus, quis est qui facere possit?

ADNOTATIONES.

„In his rerum mutationibus est (Hou-hiu-jin in hunc locum ait) certa ratio; rerum licet sit tanta varietas, omnium tamen una est origo, omnes existunt ab uno corde animoque; unde habent quod ad invicem referantur continentque mutuam communicationem, si ab origine non acceptam haberent illam agendi rationem legemque, quomode communicationis continuitatem obtinerent?" Ea ipsa nonne est Stoicorum argumentatio apud Tullium? quid vero tanta rerum consentiens, conspirans, continuata cognatio, quem non coget ea quae a me dicuntur comprobare? posseine uno tempore florere, deinde vicissim horrere terra, aut tot rebus ipsis se mutantibus conservari, nisi ea uno divino et continuato spiritu mundi partes continerentur (de nat. deorum 1. 2.)

Ad haec advertere aequum fuisset eos, qui ut inaudito Theologis hactenus paradoxo totam Sinicam gentem Atheismi in Europa ream facerent, satis ad rem esse putarunt ex aliquot recentiorum commentariis loca afferre quibus naturales effectus per quandam (ut ipsi vertunt) sympathiam motusque revolutionem haberi supponitur. At vel ex hoc loco (missis nunc caeteris) patet sophisticam esse consecutionem, quandoquidem juxta textum et interpretes ex supposita rerum naturae proportione, cognatione operandi, ratione legeque constanti colligitur existere primum rerum causam et quidem spiritualem, imo praecedentes textus ad unam hanc spectare docet in iisdem commentariis regiis laudatus Ling-hi-youen in hunc locum: „hujus inter res cognationis mutuaeque communicationis certo existit causa. Supra ubi de numero dictum est ad hunc perfici coeli terraeque decus, determinari rerum imagines formasque, obediendum coelesti mandato, perinde ac echo respondet sono, haec sunt ut intelligamus sensum quem habet ipsa rerum productio, et ideo quaecunque supra mox dicta sunt eo pertinent omnia ad spiritum unum adstruendum." Quid deest huic argumentationi ut Tulliana sit, nisi haec assumptio; nihil enim est quod numero et ratione moveri possit sine consilio.

ARTICULUS QUINTUS.

In Y-king quod est summe profundum, id fuit solerter subtiliterque inquisitum ab excellentibus viris.

Dicere proprie profundum: summe seu profunde scire, quid est nisi penetrare in intima finemque rerum mundi; dicere solertiam est posse efficere rerum qualitates; solus id potest spiritus, qui sine gravedine sine agendi labore celeriter omnia ad finem perducit.

ADNOTATIONES.

Haec (inquit interpres) spiritus propria sunt, perscrutari, inquirere hominis est, at perdingere, reperire nemini datum hactenus.

ARTICULUS SEXTUS.

Confucius ait: excellentes illi viri in suo Y-king quadruplicem habent viam ad institutionem.

Quadruplex est (ait glossa) quae supra exposita est art. 1.

ADNOTATIONES.

Nam reipsa hic articulus totidem verbis expressus est pars superioris, quem Confucio totum nullus opinor tribuerit, si is Confucii et dicitur, vere est. Vel enim ille minime sincerus, sed interpolatus auctusque haberi debet, vel is inter redundantia effata concensendus est, a quo vitio ita abhorret Confucii stylus, ut nullum putem hac in critice tam parum versatum, ut suspicari possit hunc philosophum bis in eodem Capite eandem sententiam iisdem verbis scripsisse. Opusculum hoc itaque merito supra notavimus esse potius ex variis aut a discipulis auditis aut dictis per ora hominum vagantibus, in quae facile est incerta spuriaque irrepere, serius collectum a Tchang-kiu aliisque auctum quo tempore viguisse constat passimque circumferri sententias scholae Lao-kiun tanquam Confucio non indignas mireque excogitatas.

CAPUT DECIMUM TERTIUM. [1]

ARTICULUS PRIMUS.

Pao-hi alio nomine Fo-hi dum imperium gubernaret sublatis sursum oculis coeli formam contemplatus est. Demisso postea obtutu in terrae speciem intendit, quod in volucribus bipedibusque nitet, et quod tellus suppeditat, inspexit. Ex corporibus sibi vicinis sicut et ex aliis rebus a se remotis mutuatus est, unde initium daret octo symbolis (Pa-koua); intelliguntur siquidem simili consideratione, quae sint in spiritu agente vires et quae rebus insint proprietates seu insitae affectiones.

ADNOTATIONES.

Spiritus (ait interpres) est intelligendi vis, sicut ea apparet s natura motus et quietis, firmi et flexibilis, sicut et ex proprietatibs fulminis, venti, montium, aquarum, quibus symbola velut imagines constituit Fo-hi, et omnium aliarum rerum atque, ut supra non semel in textu dictum est, imprimis mutationum et revolutionum naturae nunc operantis, mox cessantis, iterumque ad opus velut redeuntis magno telluris emolumento. Quid est in his, in quo non naturae ratio intelligentis appareat? Neque enim aliud concludi potuisse video ex textu et argumentatione interpretum hujus loci. Si tamen eos sequimur non trahimus ad praeconcepta.

---

1) Vulgo secundum partis secundae hujus opusculi Hi-tse, et ita de sequentibus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Ex chordis simul texta retia capiunt pisces varii generis et colligunt; hae Fo-hi figurae, pulchra, diversa, puta ignis, aquae, montium etc. symbola, aiunt interpretes.

ADNOTATIONES.

Videtur in his agnoscenda similitudo inter utramque textus partem, voce sicut subintellecta. Supponitur siquidem Fo-hi ut figuras Y-king invenisse, ita et retia artemque piscandi. Quae non sunt omnino certa, notat in censura imperator. Refert ex antiquis interpretibus sub Tang-tchao, sexaginta quatuor Koua figurarum seu emblematum nomina fuisse praescripta aut statuta a principe Ouen-ouang. Tempore autem fundatoris Fo-hi fuisse solum octo (Koua) symbolorum nomina cum imaginibus. Notat etiam in Chi-king vocem Li quae est in textu et ab interpretibus varie accipitur. imprimisque accipitur pro emblemate 30, Li, quod tamen nihil habet de piscibus, significare idem ac abducere, efferre, capere, juxta hunc versiculum antiquum:

Li efferunt mergos retia piscium.

ARTICULUS TERTIUS.

Fo-hi mortuo imperium gessit Chin-nong, 1) docuit artem ligni secandi ad stivam aratri, excavandi ad jugum et jungendi boves facilitatem, atque ita collecta sunt paulatim quae sunt utilia.

ADNOTATIONES.

1) Ita interpretes, conveniuntque cum historicis agriculturam imperatori Chin-nong tribuentibus.

---

1) Succepit anno 2857 ante Chr.

2) Hoc loco in omnium aetatum commentariis expresse aitur authenticae imperii historiae ut refellant apocryphas successio inter Fo-hi et Chin-nong. Sunt enim hae similesque in Chin-nong et Hoang-ti, uti fabulae de tribus imperatoril Hoang per posteros multa annorum millia ante Fo-hi imperio titis, quae originem habent a figmentis Bonziorum Tao-sse Ma strorum Tchouan-tse et Li-ki-tse, anta nullus certe memi istorum principum, in Ouai-ki ait Leou-jou in praefatione l storiae, non bene hic alludi ad emblema Ye 42. in quo al simile ieere estg. Vid. Cap. 42.

ARTICULUS QUARTUS.

Ejus generis sunt nundinae et commercia circ meridiem fieri solita quae imperii populi celebrant. quibus imperii merces ac res similes tractantur, dant commutantur, ubi unusquisque habet sua quae ag quamquam inde fit ut coeant veniantque impedim difficiliaque digeri, aut molesta et intricata.

ADNOTATIONES.

Haec ultima verba alludunt quidem ad Caput 21. et emble Chi-cho, at non sensus textus.

ARTICULUS QUINTUS.

Chin-nong mortuo imperium gessere Hoang-t Yao, Chun. [1]) Effecere illi suis mutationibus ut p pulus laboraret quidem, at ita, ut non frangeret praescriptis laboribus. Ut erant animo praestantes, i populum formavere, ut ex instituto faceret quod opo

1) Hoang-ti successit anno 2697. Yao anno 2557, Chun an 2257 ante Chr.

tet. Mutatis varie rebus eam formam induxerunt quae possit transmitti ad diuturnitatem. Ita coelesti auxilio a quo pendebat nihil non boni atque utilitatis consecuti sunt. Imperatores Hoang-ti, Yao, Chun vel sola externi habitus compositione moderari poterant totum imperium. Atque has collectas omnes dotes sub coeli et terrae utroque symbolo expressas habemus nempe in imagine optimi imperatoris, generatim.

ARTICULUS SEXTUS.

Laevigatur lignum ad navem fabricandam, exacuitur lignum ad ramum qui navi utilis est; hoc siquidem fertur in loca alioquin non penetrabilia; pervenire longe prodest imperio. Similia habes in emblemate Hoan de penetratione, distractione, dispersione.

ADNOTATIONES.

Similia quam pauca habet Caput 59. Hoan nedum textum hujus sensum complectatur, patebit relegenti illo in loco dicta. Quapropter hi textus articuli secundi, quarti et istius sexti videntur non Confuciani, sed assuti primo, tertio, quinto aut saltem adulterati ab imperita manu. Quale est illud hoc in textu postquam dictum navibus loca in omnia perveniri posse, insuper addere (ait interpres) pervenire longe prodest imperio, quae sunt verba superflua et redundantia abscissaque.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Junctis currui bobus, ascensu equi, etiam ponderosum longe transferri potest. Multa alia ad imperium utilia habet emblema Soui de sequendo.

ADNOTATIONES.

Nisi accipiantur haec velut in proverbium et per similitudinem dicta, abhorrebunt omnino a doctrina Cap. 17, Soui, et aliorum de obedientia. Contra, si significent quae onerosa sunt vereque dici possunt imperii onera, ita dividi posse, ut a multitudine simul subeunte aut a fortioribus ferri diuque possint.

ARTICULUS OCTAVUS.

In media porta pulsando crepitaculum exspectare adventum furis, hoc bonum est et in emblema In de laetitia.

ADNOTATIONES.

Haec quoque in consuetudinem proverbii venire illa aetate credibile est. His similia nunc adagia Sinae quoque usurpant. Vide Yu Cap. 16.

ARTICULUS NONUS.

Scindere lignum ad pistillum faciendum, excavare terram in formam mortarii, utrumque etiam usui alicui et populo cui similia pertinent ad emblema Siao-ko de parvo excessu seu potius de provectione parvarum rerum.

ADNOTATIONES.

Ita faciunt qui in locis minus cultis tundunt orizam. Ab hac agresti modo videtur petitum quod hic dicitur, et in genere dici potest, instrumenta et utensilia crasso licet modo parata suum etiam habere usum; metaphorice: homines impolitos posse esse reipublicae utiles.

Quod vero additur de emblemate Siao-ko fatendum est parum convenire cum sententiis Cap. 62. nec quidquam affertur ab interpretibus, quo ista cohaerere probentur. Imo tam obiter omnes istos textus attingunt, ut satis appareat a se parvi fieri, utpote qui populariia potius quam philosophica axiomata solum loquantur.

ARTICULUS DECIMUS.

Curvatur lignum ad faciendum arcum; exacuitur lignum ad sagittas; arcum cum sagittis habere prodest imperio, quod arma sint. Sunt haec ad emblema Kouei, [a]) discrimina, exponens.

Quonam pacto ad hoc referatur haec sententia nec ex textu nec ex commentariis apparet. Videtur haec in eundem sensum dici, quem exposuimus articulo praecedente, imperium armis licet ex rudi materia inelegantur factis etiam defendi posse, nec decorum militem sed fortem bellatorem quaerendum.

ARTICULUS UNDECIMUS.

Antiquitus usitatum hominibus in antris habitare; qui illis successere excellentes viri haec mutaverant in domos et palatia. Sub tecto continent illa aedificia res uniuscujusque et quidem ita composito ut contra ventum et pluviam stare tuto possit, atque haec referuntur ad emblema Ta-tchouang, quod significat magnum robur. (Vid. embl. 54.)

ADNOTATIONES.

Quae hic dicuntur de antiquissimis Sinis legere est etiam in libro Li-ki, ita ut vero simile sit ante aetatem principis Pe-hi quem imperii sui velut parentem agnovit gens tota, vitam agresti similem illos duxisse. Verum haec historiae ita parum facere videntur ad Y-king Caput 54. (quod patebit legenti) ut nullus, ut opinor, persuadere sibi possit voluisse Confucium a proposito argumento aberrare, ultroque incohaerentia quaesivisse, e quibus suis veris commentariis Tsen et Siang supplementa (ut dici solet) sensui faceret. Quo etiam vitio inficitur sequens articulus.

a) Est emblema 56.

ARTICULUS DUODECIMUS.

Olim qui sepeliendus erat multa palea, tanquam veste involvebatur. Locus tumuli erat quilibet agrestis locus, non claudebatur. Tempus luctus funerisque non erat determinatum. At posteriores sapientes id immutarunt inductis in morem feretris. Habet haec emblema Ta-ko, 1) de magno excessu, seu magis ad sensum sententiarum, de provectione rerum magnarum nempe publicarum ac communium.

ADNOTATIONES.

Notatur in censura imperatoris interpretationibus adjecta, feretrum tunc esse duplex praescriptum; alterum quo includendum erat cadaver, alterum erat velut hujus operimentum ac theca. Erat ex ligno utrumque. Mencius observat etiam olim densitatem ligni non esse lege sancitam, sed statutam sub familia Tcheou a principe Tcheou-kong, non (inquit) ut pulchriora viderentur, sed ut cadavera diutius illaesa permanerent, prout amor filii in parentes exigit. In eundem sensum loquitur vetustus liber Li-ki variis in locis referens praescripta deinde, circa mortui indusia, feretrum et sepulturae locum, cum (inquit) Sinae olim mortuos suos fastidirent. Quamquam dici potest Judaeos in hoc cultu locique saltem delecti Sinis antiquiores esse; quandoquidem Jacob Principe Tcheou-kong multis saeculis superior tanto studio commendabat Josepho: condi me in sepulchro more majorum meorum. (Genes. Cap. 47.)

ARTICULUS DECIMUS TERTIUS.

Antiquiores chordarum nodis ad cingulum appensis utebantur ad danda mandata. Qui successere viri excellentes his litteras scriptaque substituerunt. Inde est quod electi fuerint mox varii magistratus ad mandan-

---

1) Est emblema 28.

dum, populi eruditi ad observantiam obsequiumque. Haec capit emblema Kouai; 1) quod (ait glossa) habet sensum clare rescindendi seu negotia decidendi.

ADNOTATIONES.

Jam dictum est parte I. Cap. 5. et dissertat. 6. tempore fundatoris Po-hi nullum fuisse litterarum seu characterum usum, sed solum jussu principis conamen aliquod factum ad eorum inveptionem, combinatione linearum; nec opus fuisse absolutum, nisi sub Chinnong aut etiam sub Hoang-ti, unde infertur et gentem illo tempore incultam rudemque fuisse, nedum (ut nonnullis placuit) libris antiquis antediluvianis atque scientia instructam, nec ullum scriptum tribuendum Po-hi, si historiae sinicae fidem totiusque gentis sententiam admittimus. Contra quam certe nullius semper momenti erunt merae conjecturae argumentaque ex locis incertis ac controversis petita, saltem apud aequos rerum aestimatores.

---

1) Est emblema 45.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Y-King constat figuris; figurae sunt imagines.

ADNOTATIONES.

Omnium (ait Kou-chi) rerum, quae habent suas formas sensibiles. At evidens est, has principis Fo-hi figuras quae solae constituunt Y-King (de quo hic agitur) non dici posse imagines proprie loquendo, sed solum symbola signaque emblematica ex hypothesi post assumptas lineas integras et interruptas pro characteribus, pro notis principiorum Yn et Yang, mutationes rerum naturalium significantia. Quae satis superque supra exposita sunt. Primae illae solae combinationes utriusque lineae sunt quatuor. Vocantur quidem imagines saepe in Y-king, sicut annotavimus suis in locis; at in hoc textu ut in multis aliis, et quoties de figuris in genere sermo est, vox imaginis pertinet ad quascunque combinationes ex his primis subortas. Sin minus, textus hic nihil aliud significaret, nisi totum Y-king principis Fo-hi componi ex solis quatuor primis combinationibus ———, — —, lineae utriusque, quod falsum ineptumque est.

ARTICULUS SECUNDUS.

Toen dicitur materia seu substantia figurae cujusvis, seu clarius (Han-ki-pi ait) sensus figurae transmissus ad nos a Ouen-ouang et a Confucio explicatus commentario Toen dicto.

Yao dicitur motus rerum mundanarum quae permiscentur.

ADNOTATIONES.

Yao (ait Kou-chi) supponit mutationem sive fiat obtinendo sive perdendo sua, quamquam is qui rationi convenienter agit, dicendus est obtinere, perdere vero qui deficit a ratione. Ita illa,

nec male de mentis sensu at parum accurate de significatione vocis Yao, ne quidem ad textum hunc accipienda, sed, ut jam non semel dictum est, ad alias definitiones supra adductas. Nam quae hic dicuntur de Toen, de Yao, de Ki-hiong, Lin-hoei, quorum nominum usus est frequens parte secundâ in sententiis libri Y-king, nihil aliud sunt quam repetitiones dictorum Cap. 2. et consequentibus, et quidem non sine aliquâ loquendi inconstantia. In praecedentibus Yao dicuntur lineae junctae ac combinatae, at nunc non linearum permutationes exprimendis naturae mutationibus appositae sunt Yao, sed ipsae naturales permutationes seu permixtiones, ita ut res ipsa cum ejus symbolo confundatur in ipsa vocis Yao descriptione atque definitione. — Verum quâ non ex parte labat hoc Hi-tse opusculum!

TEXTUS.

Boni malique vices producunt poenitentiam, Hoei, pudoremque sese tandem prodentem, Lin.

ADNOTATIONES.

Hic attingitur rursus usus vocum Ki-hiong, Lin-hoei, quibus notis distinguuntur pleraeque sententiae principis Tcheou-kong parte II.

ARTICULUS TERTIUS.

In symbolis quae dicenda sunt Yang, plus est linearum Yn, et vicissim in symbolis quae dicenda sunt Yn, plus est linearum Yang.

ADNOTATIONES.

In primis (ait glossa) fulminis, aquae, montium, est una linea Yang, principii Yn linea. Contra in secundis venti, vaporum, ignisque symbolis vid. part. primam.

TEXTUS.

Cur haec ita habent? Yang exprimitur lineâ

à, quae dicitur Ki; Yn lineâ interruptâ, quae
: Yeou.

ADNOTATIONES.

circo (ait glossa) dicuntur symbola Yang, quod constent
e penicilii ductibus; symbola vero Yn quatuor solis. Verum
atio exploditur in censura interpretationum ab imperatore ad
ovis commentariis, censetque figuras illas dicendas esse pri-
ang, in quibus linea suprema est Yang, ideoque dominari
ium Yang supponitur; et vicissim dicenda symbola Yn, in
linea Yn, aliarum velut domina spectatur. Sunt itaque
, Li, Kien (vid. tabulas) symbola Yang; contra Tchin.
Ken, symbola Yn. Hanc ita denominandi veram esse ratio-
addit idem) liquet ex sequenti textu.
luid haec significare possunt? In primis figuris est una lin
velut unicus princeps, sub quo sunt duo populi, duabus sub
lineis adumbrati, atque haec est principis perfecti ratio re
In secundis sunt duae linese Yn, velut duo principes, sub
st unicus populus subjecta linea designatus, atque haec es
pis pravi notio.
Nempe princeps vere hoc nomine dignus est (aiunt) qui ani
que suâ par est regendis populis ad quatuor usque maris pa
ibus.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Magna sollicitudine itur et venitur, amici sequuntur tecum cogitantes. (vid. Cap. 32. epiphonema 4.) In haec Confucius ait: quid opus est tot recogitare! quorsum tot consultationes! imperii res unam habet viam, ad quam caeteri tramites pertinent. Si illa (licet unica) regentibus bene cognita, unde pendent omnia consilia, nihil habebunt quod ulterius meditentur et extra eam consilia ineant.

ADNOTATIONES.

Una est (inquiunt interpretes) veritas, ratio, lex recta, non duplex. Haec est via de qua non est deliberandum, ad quam aliae dirigendae sunt; atque idem alibi docet Confucius, atque adeo non dubium, quin haec sententia Confucio saltem digna sit. Nihil tamen confert ad explicationem emblematis Kien, ut patebit relegenti.

ARTICULUS SECUNDUS.

Sol abit, luna venit, et ut luna abit, sol venit. Quod invicem subsequantur, orbis illustratur.

Abeunte frigore venit calor et abeunte calore venit frigus, ex hac utriusque successione annus componitur. Abire dicuntur quae decrescunt et velut se contrahunt; venire vero quae accrescunt et sese aperiunt. At ex hac mutationum inter se relatione existit utilitas frugum productione rerumque omnium ad usum copia.

ADNOTATIONES.

Hic textus videtur a reliquis omnino abscissus adeoque nulla ex parte illis cohaerere. Nam sequens longius adhuc a prima capitis hujus sententia aberrat. Est tamen qui putet, motus annui revolutionum constantia una (ait) veritate et ratione nixam afferri in exemplum negotiorum, quae etiam sola rectitudine et ratione tanquam unica via peragenda sunt, quod dictum est ante. Aliis magis placet in his revolutionibus annuis nobis spectandas dari conversiones politicas sui imperii, quarum successiones mutatis etiam toties familiis imperialibus observant, ita ut (ait unus) multo minus mirari debeamus hominum magnorum et tantarum domorum casus, qui naturae totius (cujus vi nulla potentior) revolutiones oculis spectamus.

ARTICULUS TERTIUS.

Vermis velut de contrahendo ac torquendo accessum obtinet. Serpens hiberno tempore humi se occlit, atque ita corpus servat. Debet et quis viris contentis ac velut in unum contractis alte imbibere rectitudinem ut possit suo tempore ea uti. Proderit illi ad vitam tranquillam tutoque transigendam cum virtutis magna accessione.

ADNOTATIONES.

Etiamsi ab hac animalium similitudine praeceptum hoc morale potuerit non abs re petere Confucius suos docens discipulos, ut etiam soliti sunt nostri adductis in exemplum ipsis insectis; nullo tenus tamen credibile est hoc in loco assutum esse a Confucio, in quo nihil ad Y-king facit.

ARTICULUS QUARTUS.

Haec praeterierunt; quae ventura sunt sciri forte non possunt. Sola enim perscrutatione sciri possu

spiritus virtus ac naturalis vis in tanta productionum copia.

ADNOTATIONES.

Aliqui interpretes id ita intelligunt, ut velint a solo spiritu (proprie dicto) sciri modum producendi motus materiae coelestis Yang, ejus appulsum operationisque initia. Neque enim (aiunt) tellus scit qualiter res apparent in suo sinu, neque coelum, quanam parte producatur lux. Haec tamen et in terra et in coelo existunt, nec possunt per se existere, sed possunt a superiore. Cur ergo istarum rerum quae efficiuntur perscrutatione non posset cognosci spiritus, licet non mensurabilis? Patentur tamen a nullo hactenus cognitum satis esse, imo nec animo concipi comprehendique. Alii interpretes vocem Chin sumunt pro Ki, pro spiritu improprie dicto, seu materia subtili principiorum Yn et Yang, ita ut notatione natura illius visque sciri possit.

Sunt denique et forte verius qui fatentur hunc locum esse obscurum et hoc ipsum judicari textu, cujus is est (si illis credimus) sensus: quae antea attulimus, explicari possunt, quae sequuntur, ignorantur. Qua velut parapbrasi, prima textus hujus verba ad suam sententiam detorquere quidem possant; at non solvere difficultatem. Praeterquam quod, si quaecunque deinceps sequuntur hunc textum, ignorantur, non intelligitur cur huic tam multa et quidem expresso Confucii nomine adduntur sequentibus articulis referenda.

ARTICULUS QUINTUS.

In Y-king (Cap. 4. epiphonem. 3.) dicitur: ad lapidem redactus ad extrema, offendit ad tribulum terrestrem (spinosum) in palatium suum ingrediens uxorem suam non vidit. Hoc malum. In haec Confucius ait: si laboriosum ac molestum reddis quod non est re ipsa laboriosum, inde tibi erit nominis infamia. Si eo inniti vis quo non innitendum est, inde tuae personae periculum. Infamiae ubi periculum accedit, perendum est. Quid opus est uxore et id genus deliciis?

memoriam turbarum, qua attentione scilicet et se securum et imperium tutum conservat. Huc pertinet illud e Y-king Cap. 12. epiphonem. 5.: mortuum est, mor tuum est; moris addensatis alligatur.

ADNOTATIONES.

Convenit hujus textus sensus cum epiphon. 5., hoc unum i nificante: principem non debere praesentis quietis specie ita ca ut curas omittat suas, sibique occini ab adulatoribus patiatur: bo semen mortuum est. Habet hoc siquidem malum tot ferme radic quot densatum ex moris dumetum, quorum aliqua repullulant d aliqua avelluntur.

ARTICULUS DECIMUS.

Confucius ait: quale est illud, tenuissima e virtute et tamen velle munus amplum honorificum stinere? esse peritia perexigua et machinari mag viribus esse minimis et in grave onus succedere. No cui parum est, ille parum potest? atque hoc ips est quod sibi vult dictum in Y-king. Cap. 5. phonem. 4. pedes cogulo resecat. Kong frume deglutit; suppliciis mulctatur; hoc pessimum.

ADNOTATIONES.

Kong est dignitatis Sinicae nomen. Qui illi muneri impl impar tam alto in loco sedet, quid faciat aliud nisi comedere cis sumptibus, nullo in populum emolumento, apud quem ideo est. Ita interpretes. vid. Cap. 6.

ARTICULUS UNDECIMUS.

Confucius ait: Yen-tse discipulus non l aberat ab illa viri cauti perfectione. Si quid erat

bonum, non diu id ignorabat; sciens id iterum non faciebat. Dicitur in Y-king (Cap. 24. epiphon. 1.) non remotus rursus redit; non pervenit ad poenitendi locum; magnum est bonum.

ADNOTATIONES.

Quod Confucius suum discipulum pro viro perfecte cauto ac prudentissimo habuerit, aliis ex opusculis constat; at quod hoc encomium retulerit ad emblema 24. vix credibile est, quo non exprimitur vir cautus nec cautionis fructus, constat scilicet sapientiae auctoritas splendorque, sed ejus post lapsum tenebrasque reditus.

ARTICULUS DUODECIMUS.

Coelum et terra motibus sub sensum non cadentibus arcte inter se communicant atque ita res copiose producunt. Homo et foemina communicatione fiunt parentes. Dicitur in Y-king (Cap. 41. epiphonem. 3.) si tres procedant unus minuatur, si unum procedit, amicum obtinet. Omnia haec verba ad unum recidunt. Illud juxta interpretes et sensum textus.

ADNOTATIONES.

Scilicet duo sufficere (ut antea dictum est epiphon. 5.) ad negotia perficienda pariterque ad productionem rerum hominumque. Duo illa (aiunt interpretes) sunt principia Yn et Yang, materia scilicet coelestis et terrestris. Analogice per metaphoram vir solet dici Yang et foemina Yn a Sinis philosophis.

ARTICULUS DECIMUS TERTIUS.

Confucius ait: sapiens prius se componit quam externa tractet. Prius cor suum moderatur, quam in verba erumpat. Prius considerate statuit cum quo

conjungi debeat, quam amicitiam ejus expetat. In sapiente tria illa excolente nihil desiderari potest. Si incompositus ad agendum aggreditur, a populo non aestimatur. Si animo incertus, eloquitur, a populo improbatur. Si indignis conjungi ambit, a populo despicitur. Ecquod majus vulnus potest accipere? ideo in Y-king Cap. 42. epiphonem. 9. dicitur: non est quo augescat; aliquoties ferit; qui cor stabiliunt, non perseverant; hoc pessimum.

ADNOTATIONES.

Textui huic minus congruere videtur haec posterior Confucii explicatio emblematis Y, quam prior Cap. 42 allata, cohaerens cum praecedentibus totius figurae sententiis. Quapropter si hoc effatum est Confucii, fieri potest facile ut a collectoribus male hunc in locum rejectum sit, assuta illi inutili ex Y-King sententia. Melius certe (observant interpretes) effatum Confucianum caderet in figuras illas quae sunt de cauta conjunctione v. g. Pi-tse aliisque similibus.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Confucius ait: symbola (primum et secundu
Kien et Koen, coeli et terrae, sunt janua ad Y-ki
Nomine Kien, coeli, intelligitur materia dicta Ya
nomine Koen intelligitur materia dicta Yn. Ut i
duae Yn et Yang coeunt viribus, existit corpus c
stans et ipsum ex utraque, alia debili segnique, a
firma activaque, coeli terraeque opus. Sed haec c
nino penetrare solius spiritus est, non humani inge
ait interpres supra.

ADNOTATIONES.

Hic locus vel unus sufficit philosophis Sinis ad physicam
nos vocare solemus) generalem veterum auctoritate comproband
Nihil proinde mirum, si is Confucio omnino in libris physiolog
asseritur. vid. dissertat. I.

ARTICULUS SECUNDUS.

Licet sint tot res et nomine et genere divers
comprehenduntur omnes materiis dictis Yn et Yan
attamen reflectendo ad haec et (addit glossa) ad mo
hominum antiquorum, praesens saeculum videtur f
tum deterius.

ADNOTATIONES.

Addit insuper interpres: his verbis indigitatur tempus, q
Ouen-ouang rem habuit cum Tcheou, Imperatore ultimo
secunda familia. Quam sententiam seculi sumus parte I. et II.,

tam multis explicuimus, ut, quantum hoc rerum genus patitur, pro demonstrata habenda sit.

ARTICULUS TERTIUS.

In Y-king docemur (aut monemur) ex ante praeteritis ventura explorare; et quae tenuiter apparent, in lucem proferre, qua ratione res distingui debent, distinguuntur et vera sententia deciduntur. Haec sunt ad quae nos instruit liber Y-king.

ARTICULUS QUARTUS.

Si attendis ad nomina figurarum Y-king, nihil hae habere videntur, nisi parvi, si ad naturam rerum de quibus agunt, magnum quid complectuntur. Si quo referantur spectas, longe est; si, quid eloquantur, praeclarum. Quidquid dicendum est, in se involvit, licet aliqua sint manifesta, aliqua velut dubia et abscondita, quod forte pertinerent ad res populi seu negotia publica, ideoque ut bona obtenta olim, ita et damna jam illata comprehenderent.

ADNOTATIONES.

Sunt in illo textu aliqui caracteres non ita certi sensus, ut dicant interpretes; unde existit aliqua obscuritas et dubitatio major quam tunc temporis erat, quo tamen (ut dicitur) de negotiis publicis imperiique malis clare loqui non erat animus auctoribus utique sententiarum libri Y-King, cur vero nollent hi loqui ita clare? dicetur articulo sequenti Cap. 17.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Y-king viguit in media antiquitate, factum scilicet luctuosis ac difficilibus temporibus. — Ouen-ouang (ait glossa) erat in vinculis, desinente familia secunda regia.

ADNOTATIONES.

Y-king (ait interpres) dicitur tunc caepisse currere, Hing at id ita intelligendum est, ut illo tempore rursus cucurrerit seu (ut vertimus) viguerit. Quae adeo non inter se pugnant, ut necesse fuit ita rem habuisse. Nempe figurae a Fo-hi inventae jam dudum vulgi saltem manibus terebantur, sed sine sententiis, quas ubi addidit Ouen-ouang majus haud dubie pretium eis accessit, prorsus ut magnatum et sapientum in usum venirent, qualem etiam nunc habent.

ARTICULUS SECUNDUS.

Inter figuras quae dicitur Li, de officiis, est virtutis velut caementum; quae dicitur Kien, de modestia, est virtutis velut manubrium; quae dicitur Fou, de reditu, est velut virtutis fundus; quae dicitur Heng, est virtutis robur; quae dicitur Sun, est virtutis instauratio; quae dicitur Y, est virtutis amplitudo; quae dicitur Koen, est virtutis discriminatio; quae dicitur Tsing, est virtutis altitudo; quae dicitur Suen, est virtutis exercitatio.

ADNOTATIONES.

An haec vera sint judicare potest examine Capitum 12, 15, 24, 32, 41, 42, 47, 48, 57.

ARTICULUS TERTIUS.

Doctrina figurae Li, quae de officiis est, si unanimitatem parit, pervenit ad summum; doctrina figurae Kien, de modestia, humili; ubi honores adepta est, inclarescit; doctrina figurae Fou de conatu ad reditum, dum etiam exigua esse supponitur, utilis tamen est componendis rebus; doctrina figurae Heng de perseverantia, ne solitae casuum varietatis pertaesum sit efficit; doctrina figurae Sun, de imminutione, proponit primo adversa, sed jubet postea sperare prospera; doctrina figurae Y, de emolumento, quantumvis late pateat, motum tamen ponit; doctrina figurae Koen, de adversis, postquam eorum exhaustum satis est, utilis percipitur esse etiam ad alios; doctrina figurae Tsing, de puteo seu de doctrina alta, est ea quae nequit mutari nec exhauriri; doctrina figurae Suen, de docilitate, seu sequendi facilitate, habet sermone celebrandi habet et silentio premenda, utpote non semper laudabilis.

ADNOTATIONES.

Legantur quae dicta sunt ad has figuras, et convenire cum hoc textu earum explicationes intelligetur, ita ut omnes ultimo referri non possint, nisi ad moralia seu politica.

ARTICULUS QUARTUS.

Doctrina figurae Li unanimitate viget; doctrina figurae Kien praeceptis officiosa est; doctrina figurae Fou se ipsam experientia perficit; doctrina figurae Heng virtutem quae hac una nititur, parit, doctrina figurae Sun prodest ad avertenda deinceps damna; doctrina figurae Y ad quodcunque utilis est; doctrina

figurae Koen invidiam et adversum murmur tollit; doctrina figurae Suen edocet modum se gerendi.

ADNOTATIONES.

Paucis multas hic textus complectitur egregias sententias: officiorum societate et communicatione civium summam concordiam parari et foveri; viro modesto nihil officiosius facilinsque ac clementius; suo sapere periculo sapientis esse ex malorum experientia proficere; virtutem non benefacto sed bene faciendi perseverantia aestimandam, periculum ex praeteritis damnis faciendum, quid nunc expediat etc. At in locis textu indicatis leguntur ne illae sententiae summam certe accurate reddere deberent aliqua ex epiphonematibus. Verendum igitur ne quae Confucius egregie dicebat de officiis, de modestia, de perseverantia caeterisque a collectoribus opusculi translata sint ad figuras has Li, Kien, Heng aliasque ob significationis argumentique similitudinem. Ita sentire Confucio dignum fuit, ita sensa exponere, vel potius confundere, indignum. Sed tota res haec in conjecturis posita est.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Quae sunt in libro Y-king, ab animo abesse nunquam debent, pertinent enim ad rectam agendi et cessandi rationem. Mutationis tempus non est quid fixum. Liber is Tcheou-Y multa quidem habet per sex lineas cujusvis figurae diffusa; at quae sunt supra cum his, quae sunt infra, non semper ita pariterque connexa sunt, ut quid ex his certi statui possit.

Illae etiam lineae exprimunt permutationes utriusque principii firmi et debilis Yn et Yang; at non ita possunt ut ne minimum deficiant. Satis est si non incongrue.

ADNOTATIONES.

Merito id observatur a Sinis, quod et a nostris annotatum legerat. In ejusmodi figurarum opusculis attendendum est potius ad id quod sibi vult similitudo, quam ad verba quibus exponitur. In singulis vim facere, quae ad ornatum dicuntur non secernere, nihil discrepantiae interesse velle, nihil est aliud quam rei clarae tenebras offundere.

ARTICULUS SECUNDUS.

Exeundi et ineundi certam regulam habent, nempe principia Yn et Yang, quibus plantae caeteraque generantur.

Figurae id suis lineis internis seu intermediis et externis seu extremis exhibent, quo docent cautionem ac sollicitam diligentiam inter negotiorum mutationes quarum haec naturae crementa et decrementa sunt velut imagines.

ADNOTATIONES.

Haec (ait glossa) non sunt distincta. Forte aliquod verbum interscissum est; nec tamen obscuriora ut nunc sunt mihi videntur praecedenti textu, in quem eandem posse cadere suspicionem verosimile est.

ARTICULUS TERTIUS.

Qui recte intelligit luctus et moeroris causas modumque, etiamsi parentum morte jam privatus sit instructione, perinde tamen ac si parentes adessent, se gerit.

ADNOTATIONES.

Illos (addit interpres) animo dolente recolendo, recogitando illorum praecepta, virtutum exempla, velut (ait Li-ki) audiendo illorum vocem monentem. Sed de his plura parte II.

ARTICULUS QUARTUS.

Cum quae principia dicuntur (in Y-king) connexionem habeant cum consequentibus, recogitandum est quae insit illorum ratio. Ita invenitur certis legibus ea contineri, ita ut non videatur ab homine, sed a ratione corporis experta, seu (ut ait glossa) a spiritu prodiisse omnia.

ADNOTATIONES.

Nam Y-king omnium imagines complecti volunt interpretes, unde fit ut saepe de mutationibus naturae perinde ac de variatione linearum in figuris loquantur, quod saepe observari potuit in praecedentibus et iterum attingitur in sequentibus.

CAPUT DECIMUM NONUM.

ARTICULUS PRIMUS.

In libro Y-king figurae suum habent primum principium (a linearum diverso genere), habent et necessarium finem a numero sex linearum quae solae unumquamque constituunt; lineae illae sunt permixtae exhibentque rerum mutationes, suo tamen solum tempore faciendas.

ADNOTATIONES.

Ita vulgo interpretes in locum minime clarum. Quis enim scire potest hujus textus prima verba intelligenda esse de elementis figurarum, non de principio et fine rerum quarum sunt imagines? Ver Tche proprie materia est, licet possit accipi pro eo quod aliquid constituit, atque ita intelligi potest: sicut habet originale, habet initium, ita et necessarium finem. Litteralis certe est haec interpretatio.

ARTICULUS SECUNDUS.

Initium figurae cujuslibet difficile est explicatu, sed ascendendo a primis lineis explicatio fit facilis, ut a radice facile habentur rami. Initii explicatio suppleri velut conjectura fere debet, sed decurrendo ad extremam usque lineam sensim perficitur; seu perfecta beneque conveniens intelligitur concipiturque.

ADNOTATIONES.

Initium appellatur hic prima tum sex linearum emblema quodlibet componentium, tum trium, e quibus constat quodvis symbolum.

ARTICULUS TERTIUS.

Cum res existant permixtae illarum propriae dotes expendendae sunt, ut verae a falsis distingui possint; nisi id fiat nihil habes in libro Y-king ad explicationem meditullii.

ADNOTATIONES.

Nempe linese quartae aut tertiae aut utriusque in emblematis vel secundae in trium linearum symbolis, quod tota perfectio rei naturalis figura expressae medias ad lineas memorari soleat, tanquam imago verae virtutis in eo sitae medio, quod est inter plus et minus; quod verissimum est, nam plerumque ad has lineas emblematis in ipso epiphonemate fit mentio medii aureaeque mediocritatis quae ipsa virtus est.

ARTICULUS QUARTUS.

Oportet servare memoriam praeteriti boni et mali, ita aliquid sciri potest; sciens si attendat ad epigraphes (Ouen-oulang), et explicationes (Confucii) Toen dictas, intelliget aliqua ex parte rerum praeteritarum rationem.

ADNOTATIONES.

„Principis (ait Imperator in Commentariis) doctrina in totam „figuram sex lineis comprehensam, est in Toen explicationibus. v. g. „in tertia figura exhibet Principem dignum elevari; in quarta magis„trum dignum populos rudes instruere; in septima ducem exercitus, „quem vult egregium virum esse: postea unum perfectum sapientem.“ Paucis se ipsum suis pingit moribus, qui ut perfectus Princeps, magister, dux, sapiens semper habitus est. Nec parum acuti fuere nonnulli qui illum statim toti et licet his sub figuris quoad mores delineatum aut non viderunt aut videre noluerunt.

ARTICULUS QUINTUS.

Linea secunda et quarta figurarum conveniunt dotibus, differunt loco et dignitate, bonum etiam non idem parere dicuntur. Secunda plerumque habet quod laudet, quarta sollicitudinem ob viciniam cum quinta principem exhibente. Locus vero secundae est locus inferior, debili (nempe primo seu infimo) propior. Cui ideo convenit non longe recedere, nec alta tentare. Atque ita sine malo solaque moderatione assequitur medium.

ADNOTATIONES.

Satis accurate is ordo servatur tota parte secunda.

ARTICULUS SEXTUS.

Tertia et quinta conveniunt dotibus, differunt loco et dignitate. Tertia pleraque habet de malis commeritis; quinta multa habet de bonis beneque meritis simili suo in genere, via quaesitis. Illa ordine nobilis ac superior est; haec vilior inferiorque est, illi firmitas roburque ad superanda obstacula; huic debilitas ac tenuitas, quae timori ac sollicitis curis obnoxia est.

CAPUT VIGESIMUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Liber Y-king longe lateque patet per omnia quae simul complectitur, nempe coeli, terrae, hominis agendi rationem. Triplicis istius rerum ordinis cuilibet tribuuntur duae lineae, ideo sex sunt in quocunque emblemate, nec plures, triumque illorum ordinum doctrinam simul habent.

ADNOTATIONES.

Ad mentem Sinarum philosophia, quanta quanta est, in tres duntaxat partes dividi debet, juxta triplicem rerum ordinem coelestium, terrestrium, humanarum. Humana medium locum occupant, quod homo sit in medio coeli et terrae; at ab infimis nempe terrestribus philosophandi initium faciendum est, quod haec sunt minus nobilia, faciliora, cum sub sensus cadant, adeoque oculis, manu, gustu cognosci ac velut attrectari possint. Neque tamen cogitandum est, in his figuris quaslibet lineas medias v. g. semper humana officia aut simile quid exponere, dum duae infimae de terrestribus, duaeque supremae de coeli phenomenis loquuntur. Id enim falsum esse demonstrant ea omnia quae tota parte secunda attulimus ex Principum Ouen-ouang et Tcheou-kong sententiis, nec non ex commentariis Confucii, cui hic textus attribuitur. Superest igitur ut hic textus accipiatur juxta partitionem philosophorum. Nec aliud putentur figurae libri Y-king complecti praeter coeli, terrae hominisque agendi rationem. Atque hoc ipsum est quod librum Y-king legenti occurrit et observare saepe necesse fuit. E rei naturalis imagine seu coelestis seu terrestris plerumque gradum fieri ad hominum mores et ad civilia negotia et vicissim, a quo certe argumento nullae aberrant figurae, sententiaeque, perpauca sunt quae juxta triplicem linearum situm infimarum, mediarum et supremarum documenta sua dividant inter terrestria, humana et coelestia. Caeterum harioli, divini, Bonzii et quicunque alii qui ex Y-king exsculpere conantur varia aut inania aut hactenus inaudita, quaeque ideo nullatenus pertinent ad

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Licet nihil sit natura potentius coelesti materia, quam prima exprimit figura Kien, oportet ut ejus vis in movendo perseveret, res immutare sciens sine detrimenti periculo. Licet etiam materia terrestris quam secunda exprimit figura Koen, maxime a coelesti dependeat, oportet ut ejus vis perseveret cooperando compendium rebus facere sciens ex obstaculis. Haec dicuntur ad informationem virtutis, perseverantiae praesertim (aiunt interpretes) in agendo caute ex regulis legibusque, nec cessando, uti incumbit sapienti principi, cui hoc in loco, ut in primo Capite Y-king proponitur ad imitationem ipsa coelestis ordinis constantia.

ARTICULUS SECUNDUS.

Qui potest scitque corde gaudere, quod Cait glossarationi adhaerens habet, qui potest scitque res in omnes partes meditando versare, is potest statuere de bonis malisque imperii, et quamvis multa simul occurrant, illa perficere.

ADNOTATIONES.

In interpretatione observatur in textu vitium irrepsisse et abesse duabus litteris heou-tchi, quae non solum lucis nihil afferunt sed etiam orationis filum abrumpunt, ita ut nulli certae explicationi relinquatur locus.

ARTICULUS TERTIUS.

Quod de mutatione naturae dicitur, eo pertinet, ut quando boni aliquid evenit, sicut quando nova annuatim nascuntur, laetum id habeatur. Quando animo aliquid informatur, modus illius exequendi inquiratur, sicut natura rerum formas figurat.

Ex negotiis praeteritis praevideat futura, sicut agricola praesagit experientia copiam frugum aut inopiam.

ADNOTATIONES.

Necesse fuit notas textui immiscere, ut obsura ejus brevitas intelligi possit.

ARTICULUS QUARTUS.

Coeli terraeque determinata sunt munia. Haec vir quisquis est summe excellens (Ching) potest facere mutando (ut ait interpres) sua virtute meritoque hominum mores. Sicut coeli terraeque dos est frugiferas annuatim mutationes facere.

Mali homines, ut et diaboli, suas habent artes. Propensior est ad iis utendum populus qui rudis est.

ADNOTATIONES.

Inde concludit populo invigilandum, ne ea addiscat quorum ignarus est. Quod una Sapientum virorum summe excellentium opera recte obtineri potest.

ARTICULUS QUINTUS.

Octo symbola sunt imagines quibus homines admonentur officii. Lineae earumque epigraphes exprimunt

animi sensus permixtione linearum utriusque principii firmi et debilis, spectanda proponitur boni malique necessitudo.

Mutationum in illo motu sua inest utilitas; boni malique affectus vices non ita sunt. Amor odiumque sibi quidem succedunt, at nunc bonum nunc malum pariunt. Ut alia jam urgent suntque proxime futura, dum alia jam longe sunt. Inde existit eorum poenitentia aut pudor. Sed si affectui tali accedit actio, pernicies ingruit. Quicunque existunt ex mutatione affectus, si non cohaerent sed pugnant, pariunt malum forte excidium, multo magis poenitentiam ac pudorem.

ADNOTATIONES.

Haec mutationum moralium et naturalium discrimina clare observare operae pretium fuit, saltem ad calcem opusculi, ne quae per similitudinem in Y-king et Hi-tse dicuntur, ab imperitis aut a minus attentis proprium in sensum accipiantur. Quod tamen incautis nonnullis interpretibus praesertim e Song.tchao accidisse variis exemplis probari potest, quos scilicet physiologiae amor longius abduxit, nempe ad physicas explicationes prorsus absurdas, qualis est illa quae in pandectis philosophicis [1]) affertur mortis principis criminibus famosi ab ictu fulminis. Actionum (ait eorum aliquis) malus halitus seu spiritus (Ki) adest tunc temporis; terribilis autem fulminis fragor est. Et ipse coeli terraeque spiritus aut halitus iratus ergo ad invicem referuntur, invicemque occurrunt, atque haec est causa quae quaeritur. Moralia autem cum physicis confundere, non solum inane est absurdumque, sed etiam periculosum. Ideo hae similesque explicationes a multis Sinis non recipiuntur, impugnanturque, quod et sensui librorum authenticorum et rationi repugnent. Liberum siquidem hic est textum meliori quo potest quisque modo, interpretari et meliora proferre si meliora invenit. Satis est si textus non attentatur, si reverenter admittitur et fidem invenit atque ita perseverat intactus in tanta opinionum et interpretationum varietate cujus interdum licet obiter meminimus. Credo (aiunt vulgo) textui, ne credo commentario.

---

[1]) Sing-li-ta-tsuen.

ARTICULUS SEXTUS.

Qui rebellionem perniciemque parat, non dicit quae habet in animo. Qui corde suspiciosus est, loquens fluctuat ut ramus arboris. Vir frugi (Ki-jin) est paucorum verborum; praeceps est verbosus. Inconstans in bono et malo etiam verbis non constat. Qui suo debito defuit, anxius est.

ADNOTATIONES.

Quae sententiae quidem sapiunt doctrinam Confucianam, at non ordinem, utpote cum praecedentibus minime cohaerentes, sed omnino ab iis obscissae avulsaeque.

Ki-jin est certe hoc in loco ex textus vi et commentarii vir frugi, non ergo semper bonam fortunam, casum felicem significat vox sinica Ki, uti a nonnullis Romae assertum est.

Sed de hoc ipso argumento dictum est abunde part. 2 et part. hac 5.

ANALECTA

interpretationem figurarum dicta Choue-koua-tchouen.

CAPUT PRIMUM.

ARTICULUS PRIMUS.

qui (Ching) summe excellentes viri auctores
ris Y-king; in quo faciendo adjuti sunt a
telligente, qui produxit herbam nomine Chi
gratiam.

ADNOTATIONES.

iptorum nec paucorum opinio, fundatorem gentis Po-hi
casu, seu sua investigandi cura in herbam quam libi
t Chi. Ut omittam quae nonnulli fabulantur nec referri
biter, satis est revocare ad hunc locum quae supra dixi-
in hujus herbae foliis attente consideratis sex observari
larum ductus, ad quorum imitationem Po-hi sex in suis
descripserit; unde facile intelligitur quod in textu forte
idetur. Nam quemadmodum repertum mappae Ho-tou
numentum, quod haud dubie hominis opus erat, Principi
lio fuit in componendis suae primae tabulae figuris seu
uod prima parte demonstratum est: ita herba haec licet
nul producta ab eo spiritu (ut dicitur) qui intelligens
solam in notitiam veniens, dici potest adjuvisse, si sup-
jus foliis specimen suarum figurarum, quae emblemata
b eo fuisse repertum. Nec in eo plus erit aut mysterii
ut suspicionis, quam in monumento mappae fluviatilis,
etiam scriptoribus ut ab omnibus aliis fere admittitur,
m intersit discrimen quod isti praeterea herbam Chi
urarum in subsidium vocent. Imo hunc ipsum opusculi
n textum Confucio indignum putant antiqui quidam in-
Sancti seu summe excellentes viri sunt adjuti a spiritu

„intelligente qui produxit herbam Chi. Haec verba non sunt Confucii viri summe excellentis.“ Quod quidem vix negari potest, si spiritus nomine intelligendus est aliquis spiritus aut hujus herbae aut divinationis proprius praeses. Haec enim interpretatio haberi non potest a Confucianis nisi pro (ut ipsi loquuntur) Y-touen haeresi. Petita siquidem certo est ex libris sectae Bonzaicae Tao-kia docentibus, spiritus simul cum omnibus quibusque materialibus productos et velut concreatos in innumeris ferme rerum, locorum generibus et speciebus, quibus velut addicti necessario praesunt. At cum nihil sit in textu quod ad haec commenta cogat et commode explicetur de ipso spiritu plantarum etiam praestantium ut et caeterorum omnium intelligentissimo creatore, sicut exponitur in commentariis etiam novissimis mandato hodierni imperatoris, cujus verba supra retulimus, is textus qui antiquus est, videtur non expungendus, sed relinquendus cum tam multis aliis quos collectores horum opusculorum tradidere saltem ut illo antiquo tempore per ora hominum vagantes, nullo facto discrimine inter Confucianam Scholam aliasque, e Tao-kia, sub Han-tchao imprimis reconditae doctrinae gloria florente. Quod et aliis libris ipsique Li-ki accidisse passim dicunt Sinae, et facile meo quidem judicio non solum probari sed demonstrari potest collatione aliquot locorum v. g. Tchouang-tse, ex schola Tao-kia, cum aliquot textibus ex Li-king. Sed non sunt haec nobis accuratius hic expendenda quae judicare tamen oportuit ad criticem textus propositi.

ARTICULUS SECUNDUS.

Tres est numerus coeli; duo numerus terrae; inde alii.

ADNOTATIONES.

Jam dictum est de his numeris supra. Quae hunc in locum afferuntur a Commentatore, levia sunt et parum accurata. Coelum (ait) est rotundum et terra quadrata. Unum sumitur pro rotundo seu diametres rotundi; hujus ergo ambitus est tres. Unum et tres conveniunt utpote impares; duo sumitur pro quadrato seu pro latere quadrati, ergo ejus ambitus est quatuor. Duo et quatuor conveniunt utpote pares; et quidem quadratum recte dicitur esse quatuor, at de circulo non ita est. Supponit enim peripheriam ter praecise

continere diametrum, quod certe non concedet Archimedes, cui minor numerus est $3^{1}/_{7}$. Verum si est is sensus Confucii in assignando ternario coelis, danda est venia antiquitati, ipso Archimede duobus amplius saeculis majori.

ARTICULUS TERTIUS.

Contemplatione mutationum quae fiunt ab Yn et Yang principiis materialibus, constitutae sunt figurae Koua. Bona malaque ex firmo et debili, v. g. regimine oriri solita expressa sunt lineis et earum combinationibus Yao.

Ex concordia cum ratione orta est virtus et agendi modus ad aequitatis leges.

Nonnisi perscrutando verum, rationes, et pervadendo meditatione rerum hominisque naturas scitur haec congruere coelesti mandato.

ADNOTATIONES.

Has sententias continenti textu expressas habet liber sinicus quas nos velut divisas distinctasque damus. Sunt siquidem sensa ita diversae, ut minime in unum orationis corpus coalescere possint, sed ex variis forte Confucii sermonibus excerptae traditaeque posteris, ita ut velut ex diversis philosophi ferculis analecta reliquiaeque non immerito habeantur.

CAPUT SECUNDUM.

Quod intenderunt antiqui illi nostri (Ching) eximie sapientes in fâciendo Y-king, illud fuit, inducere scilicet homines obsequi rationi legique naturae eorum cuique insitae.

Ad doctrinam coeli seu mundani orbis constituendam dixerunt existere Yn et Yang, duo rerum materialium principia. Ad doctrinam terrae seu annuarum mutationum terrae constituendam posuere unum ex illis esse firmum, aliud debile. Ad doctrinam hominis seu moralem constituendam caritatem et justitiam praeceperunt.

Tria itaque rerum genera sunt ab illis distincta. Unicuiqui illorum exprimendo duae lineae distinctae; unde fit ut sex lineas emblema unum quodcunque habeat. Praeterea ad distinguendum Yn ab Yang illorumque vices juxta operationem debilem aut fortem, lineae ———, — —, diversae mutant, etiam locum ordinemque naturae spectabilem faciunt.

ADNOTATIONES.

Quae hic textus verba habet, clare, licet breviter, probant dicta a nobis part. I. in expositione systematis libri Y-king. Caeterum non est necesse monere hoc opusculum a Confucio non esse elucubratum, in quo vix aliqua reperire est aut in superioribus libris non jam dicta aut philosopho digna. Nam quod ibi dicitur moralia praecepta ad duas medias solum alligari, falsum est, ut patebit legendi allata ex Confucio tota parte II.

CAPUT TERTIUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Coelo terraeque suus est locus determinatus in universo. Montes pervaduntur ab aqueis halitibus, ex quibus fontes, fulmina et venti se mutuo urgent, seu fulmineae exhalationes, calidae scilicet et igneae ventis majorem impetum habent, et vicissim ventosi halitus ab igneis invalescunt. Aqua et ignis non se mutuo conficiunt destruuntque, sed pugna sua contrarias vires ita temperant, ut mutendis, non perdendis, rebus idoneae fiant.

Atque illorum symbola octo (Pa-koua) haec exprimunt, et utpote facta dispositione diversa linearum duplicis generis sunt mutuae invicem actionis perpetuo succedentis etiam symbola.

ADNOTATIONES.

Linea Yn et Yang utriusque principii indices sunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

Res praetereunt et quidem prono rerum cursu. Res advenient, quae nunc adhuc sunt retro. Utrumque mutationis genus habet Y-king.

ADNOTATIONES.

In glossa dicitur de rerum generationibus quarum ut multae praetereunt ita et aliae succedent semper suo tempore. Ad illas ibidem dicitur pertinere imprimis symbola Suèn, Kan, Ken; ad has Toui, Li, Tchin. At haec observatio prorsus inanis est; si Suen ventus et Kan, aqua, dicatur referri ad praeteritum, quod

fluxum habeant, cur Ken mons, natura sua consistens, his adjungitur duobus? De reliquiis idem dictum puta. Inutilis est quoque Doctoris Tchao-tsa in glossa textus adductus, quae dicuntur de venti et fulminis, aquae et ignis oppositione aliorumque ad octo oppositas horizontis plagas referens. Nihil enim haec partitio ad sensum facit ut per se patet.

ARTICULUS TERTIUS.

Proprium est fulminis, movere; venti, dissipare; pluviae, humectare; solis, fovere; Ken symbolum est ad consistendum. Toui ad recreandum. Kien ad regendum.

ADNOTATIONES.

Ken est symbolum montis omnisque rei se ipsa stantis, solidae ac gravitantis. Toui est symbolum vaporum aqueorum ascendentium sursum qui in pluvias fontesque montium concava resoluti recreant omnia. Kien est symbolum coeli seu materiae coelestis in omnia dominantis actuositate suaque vi naturali, qua a nullo alio continetur, ipsa pervadit quocunque. Koen est symbolum terrae seu materiae terrestris, quae subjacet coelesti ac velut sinum, quo tegit omnia, praebet. Natura sua minime actuosa sed segnis ac crassior. Ita philosophi hujus loci interpretes. Fulmine aperiri ver supra dixere iidem. Nec fulminis motus nomine vulgo intelligunt quemcunque motum (qui pertinet ad Kien, ad coelum aut coelestem materiam) sed qui rigidus est et modo quem exposuimus dissert. l. quanquam et in genere intelligi possit, de impressione motus in alia inditi.

CAPUT QUARTUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Supremus Imperator prodiit seu manifestavit movendo omnia in Tchin, coordinavit distinguendo quaecunque in Suen. Spectabilia reddidit illuminando ea in Li. Usibus destinavit subjiciendo eadem in Koen. Recreare res, est in Toui aqueis vaporibus, seu mostium aquis; Vincere obstacula contra generationem rerum, est in Kien vi materiae coelestis. Soliditas est in Ken montibus.

ADNOTATIONES.

Ti, Imperator (ait glossa) est Coeli dominus et gubernator Tien-tchi-tchou-tsai. Quid significat Ti (ait Ouang-fou) Ti imperator nempe rerum omnium productarum dominus. Hic ipsum in locum ita exclamat Doctor Tcheou, quaerens „quinam „has res produxit? quis eas perfecit? Certe existit unus dominus „et gubernator, qui hic dicitur Ti, imperator supremus.“ Postquam quae habet hic textus exposuit recensuitque singula Tchang-kolao ita concludit: haec omnia sunt a Supremo Imperatore Chang-ti. Sed actum agam infinitusque sim si omnes eos interpretes omnium aetatum magnique nominis, apud quos legitur Ti et Chang-ti significatio, appellare velim, simulque hic colligere omnes textus librorum authenticorum veterumque de Supremo imperatore Chang-ti, omnia vel intima sciente, omnipotente, summe justo, puniente malos, remunerante bonos, causa et auctore rerum omnium soloque earum naturam intelligente etc. Paucis dixero de sensu proprio et vio litteralique sensu Chang-ti nullam esse Sinarum inter se dissensionem, cum et interpretes per has voces intelligant mundi dominum et gubernatorem, et plebei, si idololatrae sunt, colentes idolum Yo-houang-chang-ti, aut si Christiani, Judaei, Muhammedani Deum verum hoc nomine (uti legi in earum religionum libris et monumentis apud Sinas constat) appellantes Supremum rerum omnium Dominum, quo nullus major, nullus praestantior, sine pari, sin

aequali, significare non dubitant. Sensus itaque immediatus proprius-que ab omnibus sectis totaque gente admittitur, dogmaticus in controversia est. Unde liquet nomen Chang-ti significare etiam nunc supremum Imperatorem, sed male adhiberi a multis sectis, puta ad maximum propriae sectae idolum; puta ad quod praecipuum habent varii Philosophi primumque rerum principium, aut etiam, si ita placet (ne disputemus de opinione scriptorum sub Song-tchao), de Li, ratione de Tai-ki, Tcou-ki termino sine termino commentum. Ut ergo ex omnium sectarum consensu in vocem Deus tanquam propriam Sancti Apostoli ipsique primi Christiani concluserе latine Deum quem praedicabant, esse appellandum: quidni eum (si nihil aliud obstat) appellare potuerunt Christiani nostri Chang-ti, quo nomine a caeteris omnibus Sinis Ens summe excellens, juxta propriam unicuique religionem scholamque, intelligitur. Nominis quidem Chang-ti voces velut synonymae sunt Tien-tchi-tchou-tsai, Ouan-ou-tchi-chou, Tien-tchou, coeli Dominus rectorque, omnium rerum dominus, coeli dominus, quibus vulgo fideles utuntur. Verum si vox Chang-ti ab abusu (ut dixere nonnulli in Europa) philosophantium sub Song-tchao omniaque materialia facientium jam inidonea est, consequens est non meliores esse voces Tchou-tsai, Tien-chou, nec quascunque alias Chin-ling et ad sinice appellandum spiritum, animam et Y ab omnibus Christianis tritas. Ratio evidens est; nam iidem qui proferuntur scriptores et in iisdem omnino libris non solum voce Chang-ti sed et vocibus Tchou-tsai, Tien-tchou, Chin-ling (ut utar illorum formula) abusi sunt, omninoque depravarunt. Nec si illi ad nomina latina Deus, spiritus, anima etc. evadant, quidquam efficient. Urget enim semper necessitas haec latina (apud Sinas barbara) sinice explicandi, per quae enimvero voces sensu proprio clariores magisque usitatae, quam Tchou-tsai, Tchou, Chin-ling? at ineptae sunt et illicitae. Superest itaque unum dicendum, quo nihil absurdius: Sinicam doctrinae Christianae expositionem esse impossibilem; eo autem devenire, nihil aliud profecto est quam fateri se in principiis errare, nam ut male posuimus initia, sic caetera sequuntur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Res omnes prodiere primum in Tchin, id est in plaga orientali; ordinatae in Suen, id est in plaga inter orientem meridiemque media ordinatae dicuntur, id est distincte dispositae. Li quidem est ac Ming clarum, res omnes dicuntur factae spectabiles invicem in plaga australi quae claritatis est. Non nisi inde viri illi nostri eximie sapientes clare negotia introspientes, quae ad illorum aures deferebantur, potuerunt illa dirigere ac definire quaecunque et quocunque e genere congesta.

Koen idem ac terra. Res omnes sunt ad sustentationem, ideo dicitur in praecedente textu usibus destinari in Koen. Toui est autumnus, quo tempore laeta sunt omnia maturis fructibus messibusque; ideo etiam dicitur laetificare seu recreare est in Toui Vincera dicitur esse in Kien. Nempe Kien hic e plaga media inter occidentem et septentrionem pugnantque invicem principia Yn et Yang seu frigus et calor ibidem. Kan est aqua. Septentrio est quid laboriosum. Huc omnia redeunt tandem, nihil siquidem sine labore; ideo dicitur labor in Kan. Ken est plaga media inter septentrionem et orientem. Res omnes sunt ad finem perductae a primo earum initio statumque suum assecutae, ideo dicitur soliditas in Ken.

ADNOTATIONES.

Jam, nec semel, advertimus octo symbolorum nomina a Confucio ipso in Commentariis Toen et Siang traduci ad octo horizontis plagas, imo et ad octo anni partes a Sinis numerari solitas, ita ut v. g. Tchin, quod motum fulmenque in physiologia vulgo significet, interdum etiam accipiatur pro oriente, si ad horizontem refertur, et pro vere, si de tempore agitur. Hoc autem iterum liquet ex hoc loco vel uno, si tamen Confucianus est. Dubitationem siquidem movet 1) haec loquendi inconstantia in iisdem nominibus Sinicis

paucas intra lineas varie accipiendis. Tchin statim auctor explicas per Tong orientem, quasi textus ad horizontem pertineat; at tribut plagis vix decursis ubi devenit at Toui ad temporis divisionem memorato autumno transfert animum. 2) Clarum est hoc in textu auctorem laborare de explicatione praecedentis sensus vocum insertarum Tchin, Li, Toui etc. at Confucio praecedens textus tribuitur. Potèstne suboriri fluctuatio in significatione verborum quibus proxime usus est? Est tamen hic textus antiquus; reperitur siquidem in antiquissimis commentariis sub Han-tchao quos citat sequiturque collectio Chi-San-King imperatorum Tang, familiae auctoritate olim edita, etiam cum eadem vocis Ti significatione derivata (ait Kong-in-ta) ad nos per Ouang-fou-tse. Ti est idem ac dominus omnia producens, vel rerum omnium productarum dominus est summus imperator Ti seu Chang-ti: haec enim eundem habent (sinice saltem) sensum, supremi scilicet domini, in omnia primi principii, originisque rerum omnium excellentiaeque omni re et animo omni creato superioris, ita ut ipsi (in Si-Kiang) Imperatores suis supremo Imperatori sacrificiis id significatum populis imprimis vellent se quoque habere superiorem sibi ex officio colendum. Quo exemplo ad debitam erga superiores reverentiam exhibendam provocabant omnes. Haec similiaque jam dicta, quibus non clare Deum loquuntur non video certe persuaderi posse priscos philosophos Graecos aliosque Deum (quem tamen cognitum fuisse docet Sanctus Paulus) aliquando cognovisse. Nam apud Platonem, Aristotelem et quoscunque antiquitas habuit meliores, nihil hactenus repertum est clarius de Deo mundique origine testimoniis librorum horum Sinicorum summae vetustatis et auctoritatis in hoc toto orientali orbe.

CAPUT ULTIMUM.

Quae sequuntur capita vel ut in opusculo sinice vocantur, Tchang, sunt ejusmodi, ut mihi ne quidem digna videantur verti. Nihil enim continent nisi unam enumerationem rerum, quarum aliae dici possunt Yang, aliae Yn, translato scilicet nomine proprio materiae coelestis ad perfectiores et quidem nulla allata ita sentiendi causa. Quod ut quemvis philosophum dedecet, ita philosophorum principe Confucio indignum esse negari non potest. Idem est de vocibus Kien et Koen ad eadem translatis. Exempli sint qui sequuntur textus ex septimo Tchang. Kien est equus; Koen est vacca etc. ex octavo; Kien est caput, Koen est venter etc. ex nono; Kien est coelum, ideo dicitur pater. Koen est terra, ideo dicitur mater, Tchin junctum habet filium, qui est natu major, Suen est natu minor, ex decimo. Kien est coelum, est rotundum, est princeps, est pater, est gemma, est aurum etc.

ADNOTATIONES.

Notandum hic puto in tam fastidiosa enumeratione rerum quae dici possunt Yn et Yang, non recenseri circuitus annui partem hyemalem, quae dicenda sit Yn, aestivam Yang. Qui ergo his terminis usi sunt astrologi, falso appellant Y-king pro se.

De figuris mixte sumptis sinice Tsa-koua-tchouen.

Kien est firmum, Koen debile est. Pi est laetum, Sse triste. Lin et Kouan sensus est vel ad dandum vel ad petendum.

ADNOTATIONES.

Ex doctis ista explicari possunt. Kien et Koen habes Cap. 1. et 2. Pi et Sse Cap. 8. et 7. Lin et Kouan 19. et 20 quae consulenda sunt. Pi v. g. agit de foedere, ideo dicitur: Pi est laetum.

TEXTUS.

Tun vel Tchun non amittit locum. Mong habet multa mixta.

ADNOTATIONES.

Vide Caput tertium et quartum. In Cap. 3. agitur de conamine ad elevandum principem, analogice ad prima initia generationis annuae rerum.

TEXTUS.

Tchin incipit, Ken sistit. Sun et Y aliud inchoat detrimentum, aliud emolumentum.

ADNOTATIONES.

Cap. 51. est Tchin fulmen, sumiturque pro motu indito naturae ad inchoandam annuam generationem. Ken est 52. statumque rerum significat. Sun et Y sunt 41. 42.

TEXTUS.

Ta-Yo tempore venit Ou-ouang malo.

Ou-ouang est figura emblematica vigesima qui
contra vanos et impudentes. Ta-Yo est vigesima sec
Tsoui vel Tsu colligit. Ching ex se non re
Kien est diligens. Yn negligens. Chi-ho
habere edendum. Pi est non habere ornatum.

ADNOTATIONES.

Sensus repetendus est ex Cap. 45. 46. ex 15. 16. ex 21.
nam cum bina emblemata textus semper conjungat, sententiae ea
que conferendae sunt, ut de convenientia judicari possit. Ne
merito dicuntur in titulo opusculi figurae mixtae. Nam re ip
sumuntur, et quidem nullo servato in comparando ordine.

Toui prodit, Suen latet aliquando.

TEXTUS.

Soui non causam quaerit. Kou nihil pert
habet.

Po perdit. Fou redit.

Heng decori est, Ming-Y laesioni.

ADNOTATIONES.

Relegenda sunt Capita 57. 17. 18. 23. 24. 52. 56. ut hae
partes exponi possint: at mea quidem sententia non tanti e
distinctius nosse. Nec haec ego latina fecissem, nisi esset a
specimen hujus quoque opusculi dare, repraesentata saltem a
parte promissae versionis; qui supersunt autem textus amplius de
quod sint his omnino similes, omittemus.

Aliqua dicta ex Commentariolo dicto Ouen-Yen excerpta.

Hoc est vere magnum quod est principium diffusi boni; in quo collectae sunt perfectiones, vera penetratio est. Vere utile est quod convenit cum aequitate atque justitia; quae velut radix truncusque sustineat negotia sola est soliditas mentis.

ADNOTATIONES.

Hoc in loco affertur explicatio quatuor primorum characterum libri Y-king, Youen, Heng, Li, Tche, magnum, penetrans, conveniens seu utile, solidum; quibus velut cardinalibus virtutibus perfecti principis species informatur; et quidem non indigne Confucio (cui opusculum hoc vulgo tribuitur) quam ideo ita latinam fecimus ut paucis litterali sensui additis voculis facilis sit intelligi. Nec minus probabilis est, si (ut volunt celebres critici aliqui) Confucii temporibus illa est antiquior, quam scilicet Tso-chi attribuit reginae Mou-kiang. Haec siquidem totidem paene verbis quatuor has virtutes edisserens inducitur in Tso-tchouen; ex istis quidem notis hoc unum colligi potest pro indubitata Confucii elucubratione non habendum esse hoc opusculum, quod aliunde in nonnullis levissima consectatur in tam exiguo volumine et, quod mirabilius est, Confucium citat per nomen magistri. Fatendum nihilominus quatuor primis litteris sensuique principis Ouen-ouang convenire hunc textum, sicut et aliquos alios, quos partim secundae parti inseruimus partim hic addendos habemus, ne quis illos desideret tanquam forte doctrinae reconditioris.

TEXTUS.

Per substantem spectabilemque caritatem sapiens fit superior caeteris hominibus.

Collectione perfectionum praeclarus fit ad omnia implenda aeque aptus. Ita se accommodat rebus ut ex aequitate convenire possit. Soliditate sua par est susti-

nendis negotiis quibusque ; ideo dicitur sapiens princeps habere has quatuor virtutes initio Y-king.

ADNOTATIONES.

Vox Kien aliquoties versa a me est ut ab aliis per vocem sapientis nempe perfecti et interdum per vocem principis, regis; et quatuorve per has duas sapientis principis, ut in hoc loco ubi agitur de forma magna Imperatoris delineanda, quod etiam fit ab interpretibus Sinis. Vox Ti varie etiam ab iis accipitur pro substantia, re, pro figura, perinde ac si textus ad litteram diceret characterem esse substantiam sapientis aut sapientem dare figuram cartae. Utrumque sensum conjungit haec nostra interpretatio.

TEXTUS.

Ait magister, nempe Confucius, in haec Draco absconditus, epiphonema 1. Virtus viri (addit glossa eximie, Ching, sapientis est abscondita, latetque semper nec tamen quaerit sibi nomen inducendo in mundi mutationes. Manet a mundo remotus sine ulla tristitia, nec poenitet illum non omnia videre aut vidisse quae contigerunt.

Ait magister in epiphon. secundo: Sapiens in verbis tenax est medii recti seu mediocritatis inter excessum et defectum; unde fit ut semper loquatur solida fideque digna. In agendo semper est cautus omniaque circumspiciens, ut a pravis declinet, quaeratque perfecta. Nec se quid in populo existit boni, illud sibi arrogat quantaecunque manifestis suae virtutis exemplis conversiones morum fiant.

Confucius ait in epiphonem. tertio: Sapiens licet erit in sublimi collocatus, non superbit. Licet sit in humiliore loco positus, non tristatur. Sibi uni invigilare contentus est, et prout se dant tempora, cautione adhibere.

Ascendere et descendere non est se pravi reum facere.

ADNOTATIONES.

Id dicitur contra opinionem vulgi virtutem ex promotione ad magna munera aestimantis, reosque plerumque habentis qui vel munera perdunt vel ob causas ultro deserunt.

TEXTUS.

Cui necesse est quaerere dignitates honoresque, nondum vir dignus honoratusque ille est.

Sapiens scit tempore progredi et regredi tempore; scit conservare et perdere. At qui inter has vices nunquam a recto aberrat, ille solus viri eximie sapientis nomine dignus vere est.

Sapiens, qui medii tenax est, penetrat facile in rationes causasque agendi. Qui est in conveniente muneris gradu attentione sua illum observare potest. Vera pulchritudo quae sola sapientis animo inest, velut ex radice in ramos, ita et in actiones sese diffundit, atque adeo quod foras prodeat decori ac pulchri apicem assequitur admiratione omnium.

Finis secundae et ultimae partis.

EXPLICATIO TABULARUM.

TABULA I.

Figura 1. Mappa fluvialis Ho-tou appellata, de qua agitur vol. I. p. 1—4.

Figura 2. Mappa imperatoris Yu, Lo-chou appellata, vide vol. I. p. 59 sq.

Figura 3. Quadratum, quod appellant, magicum.

TABULA II.

Figura 1. Leang-y, duo elementa figurarum Koua, scilicet line perfecta, Yang-y, perfectum, et linea interrupta, Yn-y, imperfectum.

Figura 2. Tabula quatuor imaginum, Ssc-siang, nempe 1) ta-yang, sive majus perfectum, 2) siao-yn, minus imperfectum, 3) siao-yang, minus perfectum, 4) ta-yn, majus imperfectum.

Figura 3. Pa-koua, octo figurae in lineam rectam dispositae. Has figuras natura sua nihil significare manifestum est, tamen supponunt pro rebus physicis, atque dici possunt signa seu symbola earum. Nempe Kien est pro coelo, Koen pro terra, Kan pro aquae elemento, Li pro igne, Suen pro ventis, Ken pro montibus, Tchin pro tonitru, Toui pro aquis fontium, maris et similibus.

Figura 4. Pa-koua in circulum disposita.

TABULA III.

Sexaginta quatuor Koua, cum nominibus sinicis quae sunt in usu, et fuere saltem a tempore Ouen-ouang ante Christum 1172. De explicatione figurarum Koua totus agit liber Y-king, vide vol. I. p. 163 sq.

TABULA IV.

Figurae Koua in circulum et in quadratum dispositae. secundum nonnullos philosophos Sinenses recentiores, vide vol I. p. 11 sq.

Octo symbola (Pa-koua) disposita secundum ordinem Fohi.

Eadem in circulum disposita ut indicent naturalium rerum oppositiones, v. g. coelestis materiae et terrestris, frigoris et caloris. Si haec figura non est principis Fohi, est certe ad mentem Confucii. Octo symbola supponunt etiam pro octo plagis et tempestatibus.

Pa-koua disposita secundum ordinem imperatoris Ouen ouang. Nihil est novi in hac figura nisi dispositio in lineam rectam, nam mutatio symbolorum est etiam in mappa coeli posterioris (vide vol. I, p. 25 et 471).

Pa-koua in circulum disposita, secundum doctrinam imperatoris Ouen-ouang (vide vol. I. p. 21 sq.). Coelum et terra, venti et tonitru sibi invicem supra infraque et a adverso sunt, ut in figura principis Fohi. Caetera, u toui, li, se habent aliter. Koen, quae et in mapp coeli posterioris apellatur mater et censetur symbolum foemininum (sicut toui, suen), est in eodem axe cum kien, symbolo quod censetur masculinum, cum sui ken, kan, tchin; quo emblemate graphice a Ouen ouang exprimebatur subversio imperii in quo tunc cru delis foemina dominabatur. Idem adumbrat alia figur quae circumfertur, in qua symbolum li femininum locum supremum obtinet; sed illata a nobis utilior est ad explicationem sententiarum, ex quibus constat pars secunda.

CORRIGENDA.

Pag. 2 lin. ultima pro Ta-his lege Ta-hio
— 3 lin. 10 pro . hoc bonum, lege , hoc bonum;
— 8 — 18 — benevolentia lege benevolentiae
— 10 — 14 — Tcheou lege Tcheou,
— 12 — ult. — pericula simulatque lege pericule, simul atque
— 17 — ult. — methoris lege metaphoris
— 27 — 15 — tan lege tang
— 34 — 11 — Seng lege (Seng)
— 38 — 6 — (nos) lege nos
— 39 — 22 — Lu-king lege Liou-hing
— 43 — 9 — Poenae et lege Poenae et peccata
— 46 — 23 — Yn lege Yu
— 53 — 10 — statn lege statu
— 54 — 5 — , lege .
— 55 — 3 — decoro lege decore
— 56 — 17 — Yn lege Yu
— 57 — 2 — ; frustra lege . Frustra
— 78 — 26 — ndomitas lege indomitas
— 82 — 7 — siao lege siao,
— ib. — 14 — Chan lege Chun
— 86 — 7 — Kon lege Kong
— 93 — 7 — thong lege tsong
— 103 — 16 — suam lege suum
— ib. — 25 — Theou lege Tcheou
— 126 — 1 — 226 lege 126
— ib. — 23 — tigrides lege , tigrides
— 130 — 20 — digitum lege digitum,
— 131 — 4 — desumitus lege desumitur
— 134 — 24 — Chan lege Chun
— ib. — 26 — Chan lege Chun
— 137 — ult. — tatu lege statu
— 144 — 23 — magistatiis lege magistratus
— 158 — 4 — consilio lege consilia
— 159 — 21 — qui lege que
— 160 — 30 — Chao lege Tchao
— 164 — 4 — incredihili lege incredibili
— 166 — 14 — Sat lege Sa-
— ib. — 15 — Es- lege Est
— ib. — 25 — fulmini- lege fulminis
— 169 — 18 — Thing lege Tching
— ib. — 25 — Thing lege Tçhing
— 174 — 24 — est lege et

Pag. 175 lin. 9 pro exclatur lege excitatur
— ib. — 18 — ex lege est
— 178 — 9 — uxorum lege uxorem
— ib. — 18 — etatius lege totius
— 179 — 17 — de lege debet
— 183 — 4 — est lege , est
— ib. — 18 — barbarum lege barbarorum
— 184 — 17 — usurpatam lege usurpata
— 191 — 2 — puo lege quo
— 192 — 19 — datusquae lege datusque
— 193 — 28 — Quod lege Quoad
— 206 — 3 — dictionem lege ditionem
— 209 — 18 — ut lege aut
— 212 — 7 — annnatim lege annuatim
— 220 — 8 — hac lege hae
— ib. — 23 — populos lege populus
— 226 — 17 — suscipere lege suscipere,
— 234 — 1 — Gonfucius lege Confucius
— 237 — 10 — deferitur lege describitur
— ib. — 28 — quae lege „quae
— 248 — 26 — parentare lege parentare“
— 251 — 3 — lege
— 253 — 21 — suppremum lege supremum
— 258 — 12 — debilis lege debitis
— ib. — 24 — studio lege studio“
— 261 — 2 — Iu lege In
— ib. — 14 — idio lege ideo
— 263 — 3 — lege
— ib. — 13 — crescit lege decrescit
— 266 — 9 — coreae lege Coreae
— 267 — 8 — sublevandum lege sublevandam
— 269 — 2 — his lege hic
— 270 — 14 — ouang lege ouang)
— 274 — 2 — tigrom lege tigridem
— 287 — 14 — in acquales lege inacquales
— 291 — 1 — uhi lege ubi
— 292 — 12 — trabendus lege trahendus
— 294 — 6 — confirmant lege confirmant“
— 297 — 8 — mihi lege . Mihi
— 311 — 26 — rituai lege rituali
— 312 — 3 — Quantnm lege Quantum
— 313 — 6 — vol lege sol
— 321 — 5 — parva lege . Parva
— 323 — 16 — depertit lege deperdit
— 336 — 27 — familae lege familiae
— ib. — 30 — sustuilt lege sustulit
— 337 — 4 — itelligens lege intelligens
— 338 — 2 — pericusum lege periculosum
— ib. — 8 — illius lege illis

338 lin. 11 pro emnino lege omnino
342 — 5 — It qui lege Ut quis
343 — 8 — amimorum lege animorum
345 — 11 — cedendi lege caedendi
ib. — 20 — etiminandum lege eliminandum
348 — 5 — ex (delendum)
359 — 6 — censum lege centum
ib. — 16 — altra lege ultra
363 — 18 — hoc lege hos
365 — 15 — in quia lege quia in
366 — 4 — fangs lege fang,
374 — 12 — legendum lege et legendum:
375 — 6 — oang lege ouang
382 — 8 — ocules lege oculos
393 — 24 — hunc lege hanc
390 — 6 — summumque lege summamque
ib. — 8 — inertam lege inertem
391 — 12 — sad lege sed
392 — 2 — linea lege lineae
393 — 11 — animadversem lege animadversum
ib. — 20 — activam lege activum
395 — 4 — , calidius lege calidius
396 — 30 — fier lege fieri
399 — 20 — vetulimus lege retulimus
ib. — 32 — toe lege tse
401 — 21 — exignam lege exiguam
404 — 14 — verteri lege vertere
406 — 25 — interpretitus sam lege interpretatus sum
408 — 16 — opaae lege opaca
411 — 18 — Tchoan lege Tchouang
ib. — 25 — eum lege cum
412 — 2 — imperatos lege imperator
414 — 6 — operuntur lege operantur
417 — 18 — Hin lege Chin
ib. — ib. — scientis lege scientiis
421 — 9 — aanne lege anne
432 — 18 — Liki, lege Liki
433 — 9 — Yn lege Yu
437 — 22 — reprensiorum lege reprehensorum
438 — 11 — aute lege ante
ib. — 26 — certus lege certos
ib. — 28 — ex lege ea
439 — 23 — dici lege diei
441 — 14 — infinum lege infimum
442 — 18 — hae lege hac
444 — 8 — genuit. lege genuit
448 — 3 — di lege Li
451 — 2 — notatie lege rotatie
452 — 15 — fou lege ou

Pag. 452 lin. 22 pro , metitur lege metitur
— 454 — 28 — rposint lege prosint
— 455 — 3 — . Motum lege ; motum
— ib. — 5 — , Koen lege . Koen
— 456 — 12 — prodouxit lege produxit
— 461 — 15 — praecissa lege praecisa
— 462 — 32 — Chi. Absit lege Chi.“ „Absit
— 466 — 25 — fuos lege suos
— 473 — 17 — caput octavum lege capite octavo
— 475 — 7 — yang lege yang)
— 476 — 13 — plum lege plicem
— ib. — 30 — esset, lege esset
— 477 — 18 — luna pariter lege luna, pariter
— 479 — 8 — intercalanda, lege intercalanda
— ib. — 9 — novemdecennalio lege novemdecennalis
— 483 — 5 — tang lege fang
— ib. — 6 — Kian lege Kiun
— ib. — 39 — Kin lege King
— 484 — 30 — dici lege diei
— 486 — 27 — adhibuissa lege adhibuisse
— 488 — 31 — 364 lege 365
— 489 — 32 — e- lege. et
— 492 — 25 — Leany lege Leang
— 497 — 10 — pauca: lege pauca: 1)
— ib. — 29 — 1) lege 2)
— ib. — 33 — 1) lege 2)
— 498 — 2 — mia lege mise
— 500 — 1 — tomporum (delendum)
— ib. — 10 — supputatione lege supputatione habeatur
— 501 — 2 — anni lege ante
— ib. — 18 — Schalt lege Schall
— 503 — 8 — tchao, lege tchao, Yen-tsin,
— 505 — 5 — sit lege ſit
— 506 — 33 — popuos lege populos
— 509 — 18 — kouo lege koua
— ib. — 21 — principi lege principii
— ib. — 24 — Han lege Tan
— 511 — 4 — : lege ,
— 513 — 18 — habentes lege habentes
— ib. — 26 — possit lege possit?

陰儀

7
8
師
比
15
16
55
56
豐
旅
63
64
既濟
未濟






3 2044 048 295 687